JACOBUS M. RAMIREZ, O. P.

DE ANALOGIA



EDITIO PRAEPARATA A VICTORINO RODRIGUEZ, O. P.

INSTITUTO DE FILOSOFIA "LUIS VIVES"
MADRID, 1970

EDICION DE LAS OBRAS COMPLETAS

DE

SANTIAGO RAMIREZ, O. P.

TOMO II

CONSEJO SUPERIOR DE INVESTIGACIONES CIENTIFICAS

NIHIL OBSTAT: *Fr. Guillelmus Fraile, O.P.*
Fr. Victorinus Rodríguez, O.P.

IMPRIMI POTEST: *Fr. Sigismundus Cascón, O.P.*
Provincialis Provinciae Hispaniae.

IMPRIMATUR: *Dr. Constantius Palomo*
Vicarius Generalis.
Salmanticae, 22 novembris 1970.

DEPOSITO LEGAL: S. 334-1970
IMPRESO EN ESPAÑA
PRINTED IN SPAIN

IMPRENTA «CALATRAVA». Libreros, 9. - SALAMANCA 1970

NOTULA PRAEVIA EDITORIS

Est quidem *De analogia* opus praecipuum Jacobi Mariae Ramírez, non solum propter extensionem (quatuor volumina in hac editione), verum etiam et maxime propter profunditatem cogitationum, praeoccupationem continuam auctoris circa hoc idem thema, principalitatem systematicam quam illi tribuebat, necnon originalitatem quam adeptus est in detegenda exponendaque doctrina de analogia.

Etenim primum scriptum typis editum auctoris nostri est *De analogia secundum doctrinam aristotelico-thomisticam,* apud «La Ciencia Tomista» 24 (1921) 20-40, 195-214, 337-358; 25 (1922) 17-38. In fine autem vitae suae sibi dolebat opus suum de analogia perficere non valere ob defectum visus. Quatuor anni, Deo dante, illi sufficerent —mihi aiebat— ad illud complendum. Illi ergo articuli professoris iuvenis magnum philosophum thomistam revelabant —«primum post Caietanum», commentabat tunc temporis ex-Magister Generalis Ordinis Cardinalis Frühwirth (Cf. *Santiago Ramírez. In memoriam.* Salamanca 1968, p. 36)—. Cito exhaustis his fasciculis, secundam editionem auctorem rogabant Josephus Cuervo, Prior Provincialis, et Emmanuel Barbado, «Instituto de Filosofía Luis Vives» Director. Tandem, non secundam edi-

tionem, sed novam et ampliorem elaborationem aggresı est, quam Friburgi Helvetiorum incepit inter 1940-194 eamque Salmanticae prosequutus est per annos 194 1950. Sequenti decade attentio auctoris, ad rem philos phicam quod attinet, vertebat prae primis erga absol tionem operis *De ipsa philosophia in universum* et exp sitionem criticam *La filosofía de Ortega y Gasset*. Se antequam solicitudines Concilii Vaticani Secundi illi cor missae aliud urgerent, Ramírez reassumebat hoc opı complendum. Huius temporis (circiter 1958-1960) su indagationes *De analogia ante Aristotelem* (in hoc vol mine, pp. 76-169), quas intendebat protrahere usque a tempora nostra ut partem positivam vel historicam inve tigationis. Post dies Concilii, infirmitate obstante, tan incoepto humiliter desistebat.

Principalitatem systematicam analogiae in Philosoph ac Theologia universa ipsemet semper inculcabat. Ver gratia: «In Theologia S. Thomae Aquinatis, quae, iux sententiam iteratam plurium Romanorum Pontificum, e veluti typus et exemplar Theologiae Sacrae, nulla fortas est notio frequentior et magis fundamentalis quam not analogiae. Directe vel indirecte, proxime vel remote, e plicite vel implicite, vere tamen ac realiter notio ha omnes tractatus theologicos Aquinatis, omnes quaest nes, articulos omnes, immo et omnia argumenta perva ac veluti penetrat, eo fere modo quo sanguis totum c pus ac singula eis membra circuit ac pervadit eisque tam ac robur affert» (*De analogia in usum Theologi Sacrae cooptanda*, in IV volumine).

Agnoscebat sane synthesim thomisticam confici pos peculiari doctrina attenta de compositione *essenti exsistentiae* vel *potentiae-actus*, vel illa de *ordine*, qua Ramírez ipse nuper detexerat, quaeque hunc commen rium cuiusdam thomistae meruit: «Auctor vero nos alio fundamento (ab illo de actu et potentia) nititur synthesim thomisticam extruendam: nititur nempe d trina de ordine, quam ostendit esse principalem quanda veritatem in toto aedificio doctrinali S. Thomae, qui

dinem ponit quasi pervadentem totam realitatem» (G. P. iudicium operis J. M. RAMIREZ, *De ordine placita quaedam thomistica.* Salmanticae 1963, apud «Divus Thomas» 69 (1966) 457). Sit; verumtamen compositiones illae analogice intelliguntur, ordo analogus est sicut et analogia ipsa quidam ordo est. Analogia ergo praestantior mihi videtur —concludebat ille, iudicium G. P. considerans—.

Originale opus dicebam. Quod quidem nemo non videbit ex amplificatione historico-speculativa, proprio marte confecta, totius doctrinae de analogia super scriptoribus praecedentibus, a praesocraticis usque ad hodiernos, sancto Thoma non excluso. Sub hoc respectu novitatem notatu dignam affert, exempli gratia, indagatio originum analogiae proportionalitatis propriae apud mathematicos graecos. Sed specialiter originalis est nova propriaque interpretatio divisionis authentice thomisticae analogiae in analogiam attributionis intrinsecae et extrinsecae et in analogiam proportionalitatis propriae et metaphoricae, superando limitationes et exaggerationes tam cardinalis Thomae de Vio Caietani quam Francisci Suárez, et, plus quam limitationem, extenuationem verae analogiae Mc Inerny diebus nostris.

Denique, qui attente opus evolvat, in *profundum cogitationum* ducetur et quaestiones proprias de analogia considerando et alias affines vel implicitas aut consequentes: v. gr., quaestio solvenda de conceptu analogo eiusque abstractione occasionem praebet discutiendi ipsam philosophiam conceptus in genere, in crisim revocandi distinctiones rationis vulgatas, aliaque plura, quibus in omnibus nova vel authentica lux thomistica apparet legenti.

Dolendum tamen est auctorem non valuisse totum suum propositum executioni mandare. Quid ergo intenderit, quidque consequutus fuerit atque edituri sumus succincte exponam.

Sicut in prima editione anni 1921-1922, novus tractatus tribus partibus constaret: notio analogiae, divisio analogiae, proprietates analogiae. Duae priores partes per

longum et latum investigatae et conscriptae sunt, inte annos 1940 et 1950. Novo ergo proposito una pars brevic de proprietatibus desiderabatur elaboranda. Sed ant quam opus prosequeretur, eius lineamenta aliquantulu modificavit et amplificavit: Post *theoriam* analogiae (n tio, divisio, proprietates), secunda pars obveniret *applic tionis* eius ad diversas disciplinas philosophicas ac the logicas. Nec satis: pars theorica debebat perfici sub aspe tu historico. Ideo post notionem nominalem et ant definitionem realem interesset *conspectus historicus ev lutionis doctrinalis analogiae* a praesocraticis usque a dies nostros, cui negotio incumbebat ultimis annis, ut dix

Hanc ergo *ultimam intentionem* auctoris sequen synthesi contrahere possumus:

PARS PRIOR: THEORIA ANALOGIAE.

Sectio I. Notio analogiae:

- Notio nominalis.
- Notio realis:
  - Conspectus historicus evolutionis doctrinalis anal giae.
    - Apud philosophos graecos, arabos, latinos et m dernos.
    - Apud theologos: ab Origine, Clemente Alexandri et Joanne Damasceno inter graecos; et a S. A gustino, Boetio, Cassiodoro, S. Isidoro inter la nos, usque ad hodiernos.
  - Definitio analogiae per viam inductivam et per via deductivam.

Sectio II. Divisio analogiae.

Sectio III. Proprietates analogiae.

PARS ALTERA: APPLICATIO ANALOGIAE AD PHILOSOPHIAM ET THEOLOGIA

Sectio I. Methodus analogiae in Logica, Cosmologia, Psych logia, Ontologia, Theodicea, Ethica.

Sectio II. Methodus analogiae in diversis quaestionibus the logicis.

Executio vero est remissior. Primam partem quod spectat deficit in duobus: Conspectus historicus non progreditur ultra Platonem. Habemus tamen detectam historiam periodi obscurioris et quasi fontalis doctrinae analogiae. De cetero doctrina aristotelico-thomistica de analogia invenitur per longum et latum, in actu exercito, exposita in opere scripto, quod continuo illustratur et corroboratur placitis aliorum philosophorum et theologorum omnium temporum. Deest insuper tertia sectio huius partis, nempe de proprietatibus analogiae, quae ideo petietur a prima editione anni 1921-1922, et caput ultimum sectionis tertiae. Pars secunda, quae esset accurata applicatio theoriae analogiae ad quaestiones fundamentaliores Philosophiae ac Theologiae, fere tota desideratur. Duas tantum lectiones manuscriptas, rem ex professo attinentes, possidemus: aliam de analogia entis (incerti temporis, licet ex graphia et atramento dixerim periodi 1921-1923) et aliam de notione analoga scientiae theologicae, quam praecedebat ampla synthesis totius theoriae analogiae (an. 1949, in S. F. Americae Septemtrionalis). Qui tamen legat Opera Omnia auctoris hanc applicationem seu usum analogiae in Philosophia et Theologia universim procul dubio comprehendet, immo in hoc ipso opere theorico de ipsa analogia quamplurimas applicationes comprobabit, iam ab ipsa introductione, articulo secundo, de momento tractatus (pp. 4-16).

En ergo compositio schematica editionis nostrae:

INTRODUCTIO.

PARS PRIOR: THEORIA ANALOGIAE.

Sectio I. Notio analogiae.

— Definitio nominalis,

— Definitio realis:

  — Conspectus historicus evolutionis doctrinalis analogiae ante Aristotelem.

  — Definitio per viam inductivam et per viam deductivam.

Sectio II. Divisio analogiae uniuscuiusque modi analysis.

Sectio III. Proprietates analogiae (ex priori editione transcriptae).

PARS ALTERA: DE USU ANALOGIAE.

Sectio I. In Philosophia: De analogia entis.

Sectio II. In Theologia: De notione analoga ipsius Theologiae.

APPENDICES:

I. *En torno a un famoso texto de Santo Tomás sobre la analogía* (ex «Sapientia» 8 (1953) 166-192).

II. *Quorumdam operum recentiorum de analogia iudicium auctoris.*

In hac ergo editione alio commentario abstineo; studium mihi est textum manuscriptum acceptum integre et fideliter lectori offerre. Ne tamen lectura monotona aut difficilior resultet, textum distribuo numeris iuxta gradationem conceptuum. Eadem ratione singulae paginae superscriptum thema gerunt.

Volumen primum continet introductionem, notionem nominalem, conspectum historicum evolutionis doctrinalis analogiae ante Aristotelem, et definitionem realem. Haec omnia scripta sunt, ut videtur, per annos 1940-1945, excepto articulo primo introductionis (pp. 3-4) et excursu praevio historiae analogiae ante Aristotelem (pp. 78-171), qui pertinent ad ultimum conatum completionis operis (circiter 1958-1960). Ex nostris nihil addidimus, praeter nonnulla desiderata in referentiis sive notis, nisi paragraphum 4.°, pagina 284 qua connectuntur duae amplissimae distinctiones sequentes.

Quandam *retractationem* quam auctor me rogavit notandam in textu introductorio, forsitam edendo, malui

hic animadvertere, et textum traditum intactum servare. Discutiebat enim in articulo quarto introductionis (pp. 20-44) cuius sit tractatum de analogia instituere, an logici vel metaphysici. Tunc temporis Ramirez aestimabat veriorem et profundiorem sententiam praevalentiae aspectus metaphysici in doctrina analogiae, consentiens Dominico Báñez, Joanni Sedeño et aliis, dissentiens autem a Caietano, Joanne a Sancto Thoma et aliis. «Modo autem —mihi confitebatur ultimis diebus vitae suae— video veriorem esse sententiam Caietani: quaestio analogiae est prae primis quaestio praedicationis sive comparationis conceptuum, proindeque logica prae primis. Corrigas ergo, quaeso, quae scripsi in Introductione hac de re». Igitur inde abhinc huiusmodi retractationem intelligant lectores pervenientes ad paginas 35-42.

Volumen secundum est continuatio definitionis analogiae per viam deductivam: complectitur comparationem univocorum, aequivocorum et analogorum quantum ad eorum conceptum, abstractionem et universalitatem, quodque ideo brevius enuntiari potest *de conceptu analogo eiusque abstractione.*

Volumen tertium continet divisionem analogiae tam historice quam speculative.

Quartum volumen congerunt caput secundum divisionis, quod est de singulis analogiae modis in particulari; pars altera totius operis; appendices, et indices.

Elenchum bibliogrophicum nullum invenio ab auctore confectum. Eius tamen bibliotheca personalis abundat libris huius subiecti. Aestimo ergo opportunum sive utile tabulam operum recentiorum de analogia, quae auctor apud se habebat, quaeque attente legerat, huic monitioni addere.

Tandem non possum non me gratum, semel pro semper, praebere R. P. Angelo Rodríguez Serrano, O.P. ob efficacem collaborationem in correcta typographia curanda et indicibus locupletandis.

Victorinus Rodríguez, O.P.

NONNULLA OPERA RECENTIORA DE ANALOGIA

ALVAREZ, Severino, O. P., *De diversitate et identitate analogica iuxta Caietanum*. Romae, apud Athenaeum Angelicum 1934.

ANDERSON, James F., *The Bond of Being. An Essay on Analogy and Existence*. Herder Book, St. Louis and London 1949.

ARTOLA, José María, O. P., *Creación y participación*. Madrid. Institución Aquinas 1963.

BALTHASAR, Nicolás, *L'être et les principes métaphysiques*. Louvain. Institut Supérieur de Philosophie 1914.

— *L'abstraction et l'analogie de l'être*. Barcelona 1924.

BLANCHE, F.-A., *L'analogie*, en «Revue de Philosophie» (1923) 248-270.

BELLERATE, Bruno, S. D. B., *L'analogia tomista nei grandi commentatori di S. Tommaso*. Roma, P. A. S. 1960.

BOCHENSKI, J. M., O. P., *On analogy*, en «The Thomist» 12 (1948) 424-447.

DEBAISIEUX, Maurice, *Analogie et symbolisme*. Paris, B. Beauchesne 1921.

DERISI, O. N., *Esencia y significación de la analogía*, en «La Ciencia Tomista» 76 (1949) 298-312.

FABRO, C., *La nozione metafisica di partecipazione secondo S. Tommaso d'Aquino*. Torino, S. E. I. 1950.

— *Partecipazione e causalità secondo S. Tommaso d'Aquino*. Torino, S. E. I. 1960.

GEIGER, L.-B., O. P. *La participation dans la Philosophie de S. Thomas d'Aquin*. Bibliothèque Thomiste XXIII. Paris, J. Vrin 1942.

GIGON, Andreas Carolus, O. P., *De analogia*. Friburgi Helv. 1949.

GEORGEN, Aloys, *Die Lehre von der Analogie nach Kardinal Cajetan und ihr Verhältnis zu Thomas von Aquin*. Pilger-Verlag Speyer 1938.

HAYEN, André, S. J., *L'intentionnel selon S. Thomas*. Musseum Lessianum. Paris-Bruges-Bruxelles, Desclée de Br. 1954.

GRENET, Paul, *Les origines de l'analogie philosophique dans les*

dialogues de Platon. Editions Contemporaines. Boivin et Cie. 1948.

HELLIN, José, S. J., *La analogía del ser y el conocimiento de Dios en Suárez.* Madrid 1947.

HOFFDING, Harald, *Le concept d'analogie.* Trad. de R. Perrin. Paris, J. Vrin 1931.

INERNY, Ralph Mc, *The Logic of analogy. An interpretation of S. Thomas.* La Haye 1961. Cf. et *Studies in Analogy.* La Haye 1968.

ISAYE, Gaston, S. J., *La théorie de la mesure et l'existence d'un maximum selon S. Thomas,* en «Archives de Philosophie» XVI, cahier 1, Paris, Beauchesne et Fils 1940.

KLUBERTANZ, George, S. J., *St. Thomas Aquinas on analogy. A textual analysis and systematic synthesis.* Loyola Univ. Presse. Chicago 1960.

LANDRY, Bernard, *La notion d'analogie chez Saint Bonaventure,* en «Revue Neo-scolastique de Philosophie» 24 (1922) 137-169.

— *L'analogie de proportion chez S. Thomas d'Aquin.* Ibidem, 257-280.

— *L'analogie de proportionalité chez S. Thomas d'Aquin.* Ibidem, 454-464.

LEEUWEN, Antoine, S. J., *L'analogie de l'être,* en «Revue Philosophique de Louvain» 34 (1936) 293-320.

LYTTKENS, Hampus, *The analogy between God and the World.* Uppsala. Almqvist et Wiksells. Boktryckeri AB 1952.

MANSER, G. M., O. P., *Das wessen der analogie,* en «Das wesen des Thomismus». Trad. española de Valentín G. Yebra. C. S. I. C. Madrid 1947, pp. 427-535.

MARC, André, S. J., *L'idée de l'être chez saint Thomas et dans la Scolastique postérieure,* en «Archives de Philosophie» X, cahier 1. Paris, Beauchesne et Fils 1933.

MASCALL, E. L., *Existence and analogy.* Longmans. Green and Co. London-New York-Toronto 1949.

MONDIN, B., *The principle of analogy in Protestant and Catholic Theology.* Nijhoff 1963.

— *C'è stata un'evoluzione nel pensiero di S. Tommaso riguardo all'analogia?,* en «La Scuola Cattolica» 95 (1967) 369-383.

MONTAGNES, Bernard, O. P., *La doctrine de l'analogie de l'être d'après S. Thomas d'Aquin.* Louvain, P. U. 1963.

MORE-PONTGIBAUD, Ch. de, *Du fini à l'infini. Introduction à l'étude de la connaissance de Dieu.* Paris. Aubier. E. Montaigne 1956.

MUNNYNCK, P. M. de, *L'analogie métaphysique,* en «Revue Neoscolastique de Philosophie» 21 (1923) 129-153.

MUSKENS, G. L., *De vocis* ΑΝΑΛΟΓΙΑΣ *significatione ac usu apud Aristotelem.* J. B. Wolters-Groningae. Bataviae 1943.

NICOLAS, J. H., O. P., *Dieu connu comme inconnu.* Desclée de Br. Paris 1966.

OEING-HANHOFF, Ludger, *Ens et unum convertuntur. Stellung und gehalt des grundsutzes in der Philosophie des hl. Thomas von Aquin.* Münster 1953.

PENIDO, M. T.-L., O. P., *Le rôle de l'analogie en Théologie Dogmatique.* Bibliothèque Thomiste XV. Paris, J. Vrin 1931.

PHELAN, G. B., *Saint Thomas and analogy.* Milwaukee 1943[2].

PLATZECK, Erardo-Wolfram, O. F. M., *La evolución de la Lógica griega en el aspecto especial de la analogía.* Barcelona, C. S. I. C. 1954.

RIVIER, André, *Un emploi archïque de l'analogie chez Héraclite et Thucydide.* Lausanne 1952.

ROBILLARD, H. M., O. P., *De l'analogie et du concept d'être de Thomas de Vio Cajetan.* Traduction, commentaires et index. Université de Montréal 1963.

ROY, E. le, *Dogme et Critique.* Paris, Bloud et Cie. 1907.

SCHMAUS, M., *Zur Diskussion über das Problem der Univozität im Umkreis des Johannes Duns Skotus.* München 1957.

SERTILLANGES, A.-D., O. P., *Agnosticisme ou anthropomorphisme.* Paris, Bloud et Cie 1908.

SOEHNGEN, G., *Analogie und Metapher.* München 1962.

SOLAGES, Bruno de, *Dialogue sur l'analogie.* Paris. Aubier. Ed. Montaigne 1946.

URBANO, L., O. P., *Las analogías predilectas de Santa Teresa de Jesús.* Madrid-Valencia 1924.

VARANGOT, O. A., S. J., *Analogía de atribución intrínseca y analogía del ente según Santo Tomás.* Buenos Aires 1957.

WOLFSON, H. A., *The amphibolous terms in Aristotele, Arabic Philosophy and Maimonides,* en «The Harvard Theological Review» 31 (1938) 151-174.

INDEX RERUM SYNTHETICUS

PARS PRIOR. — THEORIA ANALOGIAE

DE ANALOGIA

INTRODUCTIO

Art. 1.- Modus historico-speculativus indagationis.

1. Scientia de Analogia sensim sive sensu efformata est saeculorum decursu. Quae autem hoc modo se habent, plene intelligi nequeunt nisi potiora eorum fata vel momenta intentis oculis considerentur. Quia tamen materia haec est eminenter speculativa et ad sublimiores speculationes instrumentum apprime necessarium, una historia non sufficit ad intimam eius rimandam naturam. Oportet igitur *historiam simul et speculationem* adhibere in inveniendа atque struenda doctrina de Analogia.

Quo autem sensu quave mesura, definire iuvat. Equidem satis non est theoriam condere in eiusque usum coaptare, prout casus ferat, ea quae historice iam forte explorata et comprobata sunt, quia hoc pacto insufficienter evolutio eius texeretur, immo et facile deformaretur.

Sed neque expedit data opera ex amussim enarrare omnia et singula momenta evolutionis, ac si historicum ex professo ágeremus. Non enim opus quod molimur mere historicum est, sed aliam habet portionem, eamque intentione praecipuam, de ipsa doctrina analogiae secun-

dum se. Quod si pars historica de industria et per se evolveretur separatim a parte systematica, vix aut ne vix quidem vitari poterunt complures atque inutiles repetitiones.

Satius ergo meliusque erit potiora tantum fata vel *momenta evolutionis doctrinalis* eius pervestigare atque expendere: quatenus nempe rerum visionis historicae angulum ita servet integrum et incorruptum, ut simul ac sufficienter illustrare valeat doctrinam ipsam de analogia, idque sine fastidiosa repetitione.

Ideo dabimus in primis conspectum quemdam evolutionis doctrinalis de analogia in suo processu historico, ac dein theoriam eius modo didactico atque systematico trademus. *Conspectum* historicum, inquimus, non historiam presse dictam, et quidem evolutionis *doctrinalis*, non proprie loquendo litterariae. Insuper in parte ipsa speculativa nonullas subnectemus notulas speciales historicas, prout opus fuerit ad doctrinas particulares illustrandas. Nimirum, historia doctrinalis adhibetur in hoc opere ut ministra speculationis et ut subordinata doctrinae ipsi de analogia.

Art. 2.- Momentum tractatus de Analogia.

2. «Quam necessaria sit Analogiae cognitio tum ad physicas et metaphysicas tum etiam ad theologicas quaestiones, experientia sola potest ostendere. Vix enim in scientiis reperitur nomem, quod aliqua analogia non sit analogum; vix tractatur difficultas, ad cuius solutionem aditum non patefaciat Analogia» [1].

---

[1] COLLEGII COMPLUTENSIS S. CYRILLI DISCALCEATORUM FRATRUM ORDINIS B. MARIAE DE MONTE CARMELI *disputationes in Aristotelis Dialecticam et Philosophiam Naturalem*, juxta miram Angelici Doctoris D. Thomae doctrinam et ejus Scholam, eidem communi Magistro et florentissimae Scholae dicatae; t. I, *in Dialecticam Aristotelis*, disp. 10, n. 1, p. 164. Lugduni, sumptibus Joannis-Amati Candy, typographi regii, 1651.

Norunt omnes has Disputationes in Logicam Aristotelis fuisse conscriptas a MICHAELI A SSMA. TRINITATE, C. D. (1588-1661); de quo videri

Revera Scientiae Naturales, quae dicuntur, ubique circumdantur analogiis nec nisi per medias analogias incedere possunt [1]. Nam una ex parte tota natura constructa est analogiis, idest proportionibus, cum sit essentialiter ordinata et apprime compaginata tum in singulis partibus inter se tum in partibus ad totum relatis; ex alia vero ipsamet structura sensuum et intellectus nostri analogica est [2], ideoque ad tales analogias detegendas et penetrandas naturaliter ordinantur: eo vel magis quod propria methodus harum Scientiarum est experimentum et inductio, cuius veluti anima est analogia, ut scite notaverat Aristoteles [3]. «Neque aliud fere est sagacitas illa,

---

potest SILVERIUS A S. TERESIA, C. D., *Historia del Carmen Descalzo en España, Portugal y América*, t. 99, pp. 26-36. Burgos 1940.

Binos Cursus, Philosophicum Complutensium et Theologicum Salmanticensium Carmelitanorum Discalceatorum, appellavit Joannes a S. Thoma, O. P., «aeternae peremnitatis monumenta solidaeque veritatis fastigia» (*Cursus Philosophicus*, IV P. Philosophiae Naturalis, Lectori, ed. B. Reiser, O. S. B., t. III, p. 2. Taurini, Marietti, 1937).

Similiter Joannes Cano († 1705); eorum [analogorum] notitia valde conducit, immo et est *necessaria*, non solum ad perfectam praedicamentorum cognitionem sed etiam *ad cuiuslibet scientiae perceptionem*» (*Cursus Philosophicus*, t. II, lib. 3, disp. unica, de antepraedicamentis, q. 2, p. 278. Salmanticae 1689).

[1] Qua de re videri potest FELIX LE DANTEC, *Homologie et Analogie*, apud «Revue Philosophique» 49 (1900), pp. 449-491. Similiter M. DE MUNNYNCK, O. P.: «nos sciences particulières de la Nature sont remplies de ces analogies» (*L'Analogie Métaphisique*, apud «Revue Neo-scolastique de Philosophie» 25 (1923), p. 139). Et post pauca: «practiquement toute systémation scientifique deviendrait impossible, si l'on ne pouvait pas y avoir recours» (ibid.).

[2] Quod enim S. Thomas de pulchritudine docet, eodem iure de veritate dici potest. «*Pulchrum* autem, ait S. Thomas, respicit *vim cognoscitivam*; pulchra enim dicuntur quae, *visa*, placent. Unde pulchrum in *debita proportione* consistit, quia *sensus delectatur in rebus debite proportionatis sicut in sibi similibus*: nam et *sensus ratio quaedam est, et omnis virtus cognoscitiva*» (*Summa theol.*, I, 5, 4 ad 1). *Ratio* autem hoc in loco idem valet quod *proportio*, iuxta illud eiusdem S. Doctoris: «sensus enim delectatur in proportionatis sicut in sibi similibus, eo quod *sensus est proportio quaedam*» (*In III de Anima*, lect. 2, ed. Pirotta, O. P., n. 598. Taurini, Marietti, 1925).

[3] *I Topicorum*, cap. 16, nn. 8-12, ed. Didot, I, 185-186, ubi docet considerationem similitudinum seu analogorum necessariam esse ad inductiones et hypotheses scientificas peragendas et ad definitiones investigandas; sicut, ex eo quod eadem proportione se habet unitas ad nume-

qua experrectae mentes veritatem propemodum odorantur venatuque studioso prosequuntur, quam facilitas quaedam et promptitudo analogias in analogiis detegendi detectasque applicandi, ampliandi, confirmandi»[1].

3. Quod si ascendamus ad Scientias Philosophicas, idipsum evidentius apparet. Ita Philosophia Rationalis, quam Logicam appellant, eo ipso quod versatur circa ens rationis, quod analogum est, sicut circa proprium obiectum, et per omnia vagatur sicut ens reale, tota necessario involvitur analogiis; quia proprium obiectum alicuius scientiae eiusque modus totam eius considerationem pervadit ac veluti informat. Ipsa namque ratio entis analoga est ad ens reale et ad ens rationis, quod nonnisi per analogiam ad ens reale cognosci valet, ac insuper analogice descendit ad sua inferiora quae sunt relatio et negatio[2]. Pariter ratic signi analoga est ad signum naturale et ad signum arbitrarium sive ad placitum; et inter ipsa naturalia signa, ad signum formale et ad signum instrumentale. Ratio termini est analoga ad terminum mentalem et ad terminum vocalem, ad terminum primae intentionis et ad terminum secundae intentionis, ad terminum categorematicum et ad terminum syncategorematicum. Ratio propositionis est analoga ad propositionem categoricam et ad propositionem hypotheticam[3], ad propositionem absolutam seu de inesse et ad propositionem modalem. Analoga est quoque ratio syllogismi ad syllogismum categoricum et ad syllogismum hypotheticum, ad syllogismum demonstrativum et ad syllogismum dialecticum et ad syllogismum sophisticum. Denique, ne plura con-

---

rum qua se habet punctum ad lineam, definitur unitas: principium numeri, sicut punctum definitur: principium lineae.

[1] S. Tongiorgi, S. J., *Institutiones Philisophicae*, t. I, *Logica*, lib. IV, cap. 3, art. 2, n. 323, pp. 209-210. Bruxellis 1873).

[2] S. Thomas, *De Verit.* 21, c. et ad 2; Caietanus, O. P., *Commentaria in Porphirii Isagogen*, cap. 1, ed. Marega, O. P., pp. 18-20. Romae 1934; Joannes a S. Thoma, O. P., *Cursus philosophicus*, *Logica*, II P., q. 2, a. 2, ed. B. Reiser, t. I, pp. 285-290. Taurini 1930.

[3] S. Thomas, *In I Periherm.*, lect. 10, n. 10; lect. 1, n. 8; lect. 2, n. 9.

secter, est analoga ratio demonstrationis ad demonstrationem *simpliciter* et ad demonstrationem *ad hominem*, ad demonstrationem *propter quid* et ad demonstrationem *quia*, ad demonstrationem directam seu ostensivam et ad demonstrationem indirectam seu *ad absurdum*: sicut et analoga est ratio necessarii et ratio dicendi per se ad quatuor diversos modos eius, qui sequuntur diversa causarum genera, et ratio oppositionis ad quatuor eius genera vel modos [1].

4. Idem dic de Philosophia Naturali. Eius enim formale obiectum est *natura*, hoc est, ens mobile vel substantia mobilis. Porro substantia mobilis essentialiter coalescit ex materia prima et forma substantiali, quae analogice tantum conveniunt in ratione entis et naturae, scilicet ut potentia (=materia) et actus (=forma): qua de causa, sicut actui convenit per prius ratio entis quam potentiae, ita formae per prius convenit ratio naturae quam materiae, quae nonnisi per ordinem ad formam appellatur natura sicut nonnisi per ordinem ad actum potentia dicitur ens. Insuper, talis compositio materiae primae et formae substantialis non est nobis cognoscibilis nisi per analogiam: via quidem *inventionis*, per analogiam ad compositionem artificialem formae accidentalis et materiae secundae, quae est compositio quaedam accidentalis; via vero *iudicii*, per analogiam ad compositionem stricte metaphysicam actus et potentiae in tota sua latitudine, maximeque per resolutionem usque ad compositionem essentiae et esse, quae prima et summa est compositio entis finiti [2]. Sed et ipsa ratio naturae est analoga ad substantiam naturalem et ad accidens connaturale, ut praeteream extensionem analogam nominis *natura* ad omnem

---

1 CAIETANUS, *Commentaria in Praedicamenta Aristotelis*, ed. Laurent, O. P., pp. 194-195. Romae 1939.

2 S. THOMAS, *In I Physic.*, lect. 13, n. 9; *in II Physic.*, lect. 2, n. 5; *Summa theol.* I, 50, 2 ad 2.

substantiam et ad omnem essentiam et ad omne ens[1]; quia omne ens habet suam naturam. Eodem modo, ratio motus est analoga ad motum localem, ad motum augmenti et decrementi et ad motum generationis et corruptionis, quae rursus analoga est ad motum generationis substantialis et ad motum generationis accidentalis: motus enim specificantur ex terminis, e quibus definitionem habent; sunt autem termini diversorum huiusmodi motuum diversa praedicamenta, quae sunt primo diversa et nonnisi analogice conveniunt inter se. Analoga est etiam ratio quantitatis ad quantitatem molis et ad quantitatem virtutis; et in ipsa quantitate dimensiva, ad quantitatem physicam et ad quantitatem mathematicam: neque eodem sensu dicitur *quantum* de corpore et de tempore.

Postremo sunt analoga alia sexcenta, ut ratio finiti et infiniti, prioris et posterioris, simultanei et successivi, moventis et moti, quae diversimode de diversis dicuntur, uti apparet attente legenti ac sedulo meditanti libros octo Physicorum Aristotelis cum S. Thomae profundissimis commentariis.

5. Similiter in Philosophia Morali. Nam proprium eius obiectum est ens morale id est bonitas et malitia moralis quae actibus et habitibus humanis convenit secundum ordinem rationis inter se et ad finem hominis ultimum. Bonum autem morale seu honestum, sicut et malum morale ei oppositum, analogice dicuntur de diversis bonis et malis. Est enim ratio boni honesti analoga ad finem et media, ad actus et ad habitus bonos, qui sunt virtutes. Alia namque ratione dicitur bonum honestum de actibus interioribus humanis et de actibus exterioribus; ac de ipsis interioribus aliter dicitur de actibus circa finem ultimum et aliter de actibus circa media. Pariter ratio boni honesti aliter convenit virtutibus intellectua-

---

[1] S. Thomas, *In V Metaph.*, lect. 5, nn. 808-826, ed. Cathala, O. P., Taurini 1915; *In III Sent.* d. 5, 1, 2, ed. Moos, O. P., nn. 41-42. Parisiis 1933; *Summa theol.*, III, 2, 1c.

libus et aliter virtutibus moralibus; aliter prudentiae, aliter iustitiae, aliter fortitudini, aliter temperantiae[1]. Eodem pacto, ratio mali moralis est analoga malo culpae et malo poenae, malo culpae actuali (=peccatis) et malo culpae habituali (=vitiis), malo culpae mortalis et malo culpae venialis[2].

6. Quanta vero sit necessitas Analogiae in Metaphysica per se notum est. Cum enim proprium obiectum Metaphysicae sit ens in quantum ens, quod maxime analogum est, plane infertur nullam notionem stricte metaphysicam non esse analogam. Quam ob rem S. Thomas nervose scribit: «ea quae in hac Scientia [=Metaphysica] considerantur, sunt omnibus communia, nec dicuntur univoce, sed secundum prius et posterius», id est analogice[3]. Quem Caietanus resonat, dicens: «est siquidem eius [=Analogiae] notitia adeo necessaria ut sine illa non possit Metaphysicam quispiam discere et multi in aliis Scientiis ex eius ignorantia errores procedant»[4]. Equidem ens reale analogum est ad ens creatum et ad ens increatum, ad decem praedicamenta in quae dividitur ens finitum, ad potentiam et actum, ad potentiam obiectivam et subiectivam, activam et passivam, ad actum primum et secundum, et quidem ad secundum qui est esse et ad secundum qui est agere, ad ens necessarium et contigens et ad diversos modos necessitatis et contingentiae, ad ens possibile et impossibile et ad modos diversos possibilitatis et impossibilitatis; analoga etiam

---

1 S. THOMAS, *In I Ethic. Nicom.*, lect. 7, nn. 94-96; *II Sent.* d. 21, 1, 3c; *De Verit.* 21, 4c; *Summa theol.* I, 5, 6; I-II, 20, 3 ad 3; 57, 2 ad 2; 61, 1 ad 1.

2 S. THOMAS, *De Malo* 1, 4c. et ad 12; *Summa theol.* I, 48, 5; I-II, 71, 3; 88, 1 ad 1; D. BAÑEZ, O. P., in I, 48, 6: «divisio mali in culpam et poenam est divisio *analogiae*, sicut divisio boni in bonum honestum et delectabile et utile, quia malum culpae est simpliciter et omnibus modis malum, et poena est malum imperfectum et quasi secundum quid respectu culpae» (ed. Venetiis 1585, col. 697B).

3 S. THOMAS, *In V Metaph.*, lect. 1, n. 479.

4 CAIETANUS, *De nominum analogia*, cap. 1, ed. Zammit, O. P., Romae 1934, p. 3.

sunt diversa genera principiorum et causarum, totius et partis, perfecti et imperfecti, veri et falsi, boni et mali, certitudinis et evidentiae aliaque id genus bene multa.

7. Quod si denique ascendamus ad omnium scientiarum Caput et Reginam, quae est Theologia Sacra, haec necessitas maiori adhuc cum evidentia resplendet. Nomina enim omnia, quibus Deum et res divinas nominamus, assumuntur ex creaturis intellectis quas prius cognoscimus [1]; sicut et creaturas intellectas nominamus ex sensibilibus, eo quod omnis nostra cognitio incipit a sensibilibus, et unumquodque nominatur a nobis secundum quod ipsum cognoscimus [2]. Quo in sensu profunde ait S. Thomas: «operationes sensitivae partis sunt nobis magis notae quam operationes partis intellectivae, quia cognitio nostra incipit a sensu et terminatur ad intellectum. Et quia ex notioribus minus nota cognoscuntur, nomina autem ad innotescendum rebus imponuntur, ideo nomina operationum sensitivae partis transferuntur in operationes intellectivae partis et ulterius ex humanis in divina» [3]. Iam vero corporalium et spiritualium sive sensibilium et intelligibilium nulla est univocatio, cum non conveniant in uno genere [4]; multoque minus creaturae et Creatoris, quia «Deus plus distat a creaturis quam quaecumque creaturae ad invicem» [5]: sed analogia tantum. Omnia ergo nomina, quae Deo tribuimus in hac vita, sunt analoga. Itaque sine Analogiae doctrina nihil de Deo rebusque divinis qua talibus intelligere et praedicare valemus, seu omnis vera Theologia evadit nobis radicitus impossibilis.

Quae quidem conclusio ex eo rursus comprobatur quod Theologia Sacra, quatenus *scientia*, tota quanta est

---

1 S. THOMAS, *In I Sent.* d. 22, 1-3; I, 13, 1 et 3; 56, 3c; et alibi passim.
2 S. THOMAS, I, 13, prol.
3 S. THOMAS, *In III Sent.* d. 26, 1, 5c., n. 70.
4 S. THOMAS, *In librum Boetii, de Trinitate*, 6, 4; *III Contra Gent.*, cap. 41; *De Anima*, 16.
5 S. THOMAS, I, 13, 5 sed contra.

versatur in illustrandis principiis revelatis et in eruendis conclusionibus in illis implicite contentis ope *Minorum,* quas vocant, rationis naturalis debito modo purificatarum et subordinatarum *Maioribus* ex divina revelatione descendentibus. Atqui totum id muneris est Analogiae, docente Concilio Vaticano: «ratio quidem fide illustrata, cum sedulo, pie ac sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo» [1], quod in analogiam quandam altioris ac divinioris ordinis resolvitur. Si ergo *medium* explicationis et demonstrationis theologicae *analogum* essentialiter est, vel saltem analogiis necessario involutum, fatendum est doctrinam de Analogia esse plane *vitalem* pro tota Sacra Doctrina. Qua de causa, iure Aemilius Brunner dixit doctrinam de analogia entis fundamentum et basim esse nedum theologiae catholicae verum et om-

---

[1] DENZ, n. 1.796. Qua de re iuvat exscribere adnotationes Josephi KLEUTGEN, S. J Exclusa scientia mere philosophica mysteriorum supernaturalium qualem rationalistae et semirrationalistae venditabunt, subiungit: «est alia mysteriorum scientia, quae progreditur ex principiis revelatis, atque his principiis innititur. Haec inteligentia absit ut excludatur; ea enim constituitur magna pars Sacrae Theologiae, Fide nimirum supposita inquiritur quomodo veritates in revelatione sint propositae, quae est theologia *Positiva,* ut dici solet; atque inde, assumptis etiam veritatibus et principiis rationalibus, aliqua *Analogica* inteligentia rerum per revelationem cognitarum deducitur quid sint in sepsis: fides quaerit intellectum; haecque est theologia *Speculativa.* Ubi sensus dogmatum, ut in revelatione continetur et ab Ecclesia declaratur, praestituitur tamquam norma, secundum quam notiones philosophicae expoliandae sunt in sua applicatione ad *analogicam* aliquam intelligentiam mysteriorum, ut a Sanctis Patribus et Theologis catholicis semper factum est; non vero ordine inverso notiones mere rationales ex Philosophia praestituere fas est, quibus sensus dogmatum accommodetur diversus ab eo qui in revelatione secundum doctrinam ac professionem Ecclesiae continetur» (*Adnotationes ad primum Schema Constitutionis dogmaticae de doctrina catholica,* n. 13. Acta Concilii Vaticani, Mansi, Martini et Petit, t. 50, col. 84D-85A. Arnhem et Leipzig 1924).

nis theologiae christianae [1], quin etiam omnis verae theologiae.

Quae cum ita sint, concludere licet desipere illum qui, lampade analogiae non praelucente, in interiora scientiarum cum humanarum tum divinarum penetrare nitatur. Nihil sine ea formaliter videbit, sed, veluti caecus sine duce, huc illuc offendet, in praeceps finaliter ruiturus. Ac revera, ut historia philosophiae ac theologiae invicte demonstrat, qui sane doctrina de Analogia non fuerunt illustrati; Charybdin anthropomorphismi vel Scyllam agnosticismi offenderunt, naufragium passi intellectus et vitae.

Nihil ergo mirum, si catholici scriptores, depositis praeiudiciis quibus detinebantur plerique philosophorum ac theologorum saeculi XVIII et primae medietatis saeculi XIX ac si ageretur de re magis subtili quam utili [2], in

---

[1] «Die Analogia entis ist nitchs spezifisch Katholisches, sondern die Basis jeder Theologie, der christlichen so gut wie der heidnischen» (EMIL BRUNNER, *Nature und Gnade*², p. 41. Tübingen 1935).

[2] Unde et nobilissimus philosophus SALVATOR ROSELLI, O. P., coactus est movere quaestionem: *utrum aliqua sit analogiae utilitas*, ubi contra Antonium Genuensem aliosque eiusdem furfuris viros invicte demonstrat Analogiam magnae solidaeque utilitatis esse in omnibus scientiis (*Summa Philosophica, Logica,* q. 11, a. 2, ed. Matriti, 1788, t. I, pp. 324-328).

Equidem nonnullos defectus hac etiam in re inter quosdam scholasticos irrepsisse non ibo infitias, qui mordicus et multa cum exaggeratione corripiuntur a MELCHIORE CANO, O. P. (†1560), hisce verbis: «quidam nimis magnum studium multamque operam *in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias.* Quo in genere multos etiam e nostris peccare video; ut eas quoque quaestiones latissime prosequerentur quibus Porphirius abstinuit, homo impius, sed in hac re prudens tamen, ut Platonis Aristotelisque discipulum possis agnoscere, qui nec quidquam nisi opportunis et loco et tempore tractavere nec quaestiones ullas persecuti sunt quae iuvenum ingenia obruerent, non iuvarent. Nostri autem theologi, importunis vel locis, longa de his oratione disserunt quae *nec iuvenes portare possunt nec senes ferre.* Quis enim ferre possit disputationes illas de universalibus, de *nominum analogia,* de primo cognito, de principio individuationis —sic enim inscribunt—, de distinctione quantitatis a re quanta, de maximo et minimo, de infinito, de intensione et remissione, de proportionibus et gradibus deque aliis huiusmodi sexcentis, quae ego etiam, cum nec essem ingenio nimis tardo nec his intelligendis parum temporis et

doctrinam de Analogia confugiant, ad radicitus evincendos extremos errores pantheismi et rationalismi ex una parte, agnosticismi et symbolismi ex alia [1].

---

diligentiae adhibuerim, animo vel informare non poteram?, *Puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerent qui haec tractarunt*» (*De locis teheologicis*, lib. 9, cap. 7, ed. Cuchi, Romae 1900, t. II, p. 135).

Quae verba resonare videtur saeculo sequenti PETRUS HURTADO DE MENDOZA, S. J. († 1651), dicentis de re analogiae: «hic *multi multis inutilibus tempus impendunt*» (*Cursus Philosophicus* a Summulis ad Metaphysicam, t. I, Logica, disp. 9, sect. 3 in fine, p. 392. Tolosae 1617). Et post pauca: «quid enim, ait, frequentius est in Scholis quam Deo et creaturae, substantiae et accidenti nullam dari univocam rationem, sed *analogam*? At *quis explicavit in quo haec analogia consistat*? Equidem, *cum primum saepius audierim, secundum a nullo audivi*» (*Op. et loc. cit.*, sect. 4, p. 393).

Ne quid nimis! Vitandi excessus, si qui sint, quin tamen in vitium oppositum fiat lapsus.

[1] Ita Card. FRANZELIN, S. J., in medium adducta doctrina de Analogia entis, subiungit: «haec vindicatio diversitatis in ipsa entis ratione inter Deum et quidquid praeter Deum concipi potest, est *necessaria et sola sufficiens exclusio pantheismi cuiuscumque formae*» (*Tractatus de Deo Uno secundum naturam*[2], thes. 24 in fine, p. 294. Romae 1876).

Pariter Card. SATOLLI indignabundus scribit: «*dum* idealismus *pantheisticus* Germaniae et *ontologismus* quorumdam italorum *ex ignorata vel spreta Analogorum disciplina prodierit, usque ad Theologiam labefactandam, infandum est a plerisque praesentem explorationem despici et pro nihilo haberi*» (*Praelectiones in Summam Theologicam Divi Thomae Aquinatis*, in I, 13, 5, p. 518. Romae 1884).

Quibus addere placet haec gravissima verba Jos. M. PETAZZI, S. J.: «chi non conosce il vero valore dell'analogia, quando trattasi di determinare il senso esatto di una espressione o di un termino analogo, si trova spesso in serio imbarazzo; perchi altri vedendo che a quel termine analogo applicato, p. e., a cosa spirituale, non corrisponde alcuna realtà corporea, è tentato di credere che nulla affato vi corresponda: ed ecco aperta la via a una serie infinita di errori, fine alle ultime aberrazioni del positivismo, dello scetticismo, dell'sgnosticismo; altri, al contrario, volendo ad ogni costo che a quel termine analogo risponda qualche cosa di reale, no possedendo perfectamente l'arte del analogare, è portato ad attribuire alle cose spirituali ed a Dio stesso, ciò che è proprio della creatura meramente sensibile; di qui, nuove confusioni, nuovi errori, fino a giungere all'antropomorfismo, al panteismo. E dunque evidente l'importanza di considerare ed analizare la natura e la proprietà dell'univocità e dell'analogia, per non prendere abbaglio» (*Univocità od Analogia?*, apud «Rivista di Filosofia Neo-scolastica», 3 (1917), pp. 34-35).

Et concludit: «ad alcuno potrebe forse sembrare strano ed exagerato l'asserire che le *stesse degenerationi della Scolastica e gran parte dei traviamenti modernisti hanno la loro origine logica nella ignoranza dell'arte dell'Analogare*: eppure noi ne siamo intimamente persuasi, ed,

Quam ob rem, merito Cardinalis Satolli († 1910) scripsit duo haec esse potissima fundamenta totius systematis thomistici: doctrinam de potentia et actu pro Philosophia, et doctrinam de Analogia pro Theologia [1]. Quin immo, cum divisio entis finiti per potentiam et actum sit radix analogiae in rebus creatis, et ipsamet sit analoga divisio, iure dici potest geminum hoc fundamentum in unum resolvi de Analogia. Quod et idem Auctor innuisse videtur, dum asserit in quaestione de Analogia rem agi «pene totius Metaphysicae et Theologiae» [2].

---

almeno in parte, lo verremo mostrando in questo stesso studio che abbiamo tra mano» (*Ibid.*, p. 35, nota 1).

Similia docuerunt Card. ZIGLIARA, O. P., *Propaedeutica ad Sacram Theologiam*[3], lib. 1, cap. 12, pp. 57-77. Roma 1890; DEL PRADO, *O. P.*, *Escoto y Santo Tomás*, apud «La Ciencia Tomista» 9 (1914), pp. 181 et 357; ac praesertim 10 (1914b), pp. 37-45, 196-205; R. GARRIGOU LAGRANGE, O. P., *Dieu, son existence et sa nature*, passim, Paris 1914; *Le sens commun, la philosophie de l'etre et les formules dogmatiques*[3], Paris 1922; M. DOBAISIEUX, *Analogie et Symbolisme*, Paris 1921; M. PENIDO, *Le rôle de l'analogie en Theologie dogmatique*, I, P., chap. 2-3, Paris 1931; *Dieu dans le Bergsonisme*, Paris 1934. «Ne pourrions-nous pas chercher la raison de cette misère dans l'oubli où semble tombée l'analogie métaphysique? Rickert dépasserait son demi-agnosticismi, et Bergson pourrait renoncer à toutes ses intuitions supérieures, si l'un et l'outre se pénétraient de cette doctrine fondamentale: le connaissence analogique, très réelle pour le psychologue, indispensable pour le métaphysicien» (M. DE MUNNYNCK, O. P., *L'Analogie metaphysique*, apud «Revue Neo-scolastique de Philosophie», 25 (1923), p. 152).

[1] «Ego autem sic reputavi, sic sentio, Thomistici systematis, pro scientia universali et dogmate perscrutando, duo haec esse potissimum fundamenta et criteria: unum, illud de substantiali corporum constitutione [ex materia prima et ex forma substantiali sicut ex potentia et actu], et reliquum de nominum Analogia» (*Op. et loc. cit.*, p. 518).

[2] *Op. et loc cit.*, p. 518. Similiter Card. ZIGLIARA, O. P., commendat plurimum doctrinam de Analogia, ex eo quod saepissime recurrit in Philosophia, et in solvendis non parvi momenti quaestionibus est scitu necessaria (*In expositionem S. Thomae super I Periherm.*, lect. 5, n. 19 adnot. 5, ed. leon. t. I, p. 27. Romae 1882); et Card. LEPICIER, ORD. SERV. B. M. V., pariter affirmat eam esse scitu maxime necessariam tum in Theologia tum etiam in Philosophia (*Tractatus de Deo Uno* in I. P., q. 13. a. 5, n. 1. p. 503. Parisiis 1902). Doctor item IOACHIM SESTILI adnotat: «maximi momenti sunt quae in hisce capitibus de nominibus univocis et analogis in ordine ad cognitionem Dei, duce Angelico Doctore, a Ferrariensi acutissime disputantur; falsus enim istorum conceptus in errores quamplurimos circa divinitatem induci» (FRANCISCI DE SYLVESTRIS, FERRARIENSIS, O. P., *Commentaria in libro*

Neque huiusmodi momentum summum latuit S. Thomam eiusque Magistrum Albertum Magnum. Notat enim S. Albertus quod doctrina de univocitate entis est error pessimus et periculosus «non solum contra veritatem Philosophiae, sed etiam contra veritatem Fidei», eunque confutat ex doctrina de Analogia [1]. Approbat etiam sententiam Praepositini, eiusque asseclarum asserentium «quod nihil dicitur univoce de Deo et creaturis; et isti concedunt quod, termino semel posito, Theologica Facultas [eo] utitur aequivoce [=analogice], quamvis hoc non contingat in aliis Facultatibus. Et huius causam dicunt, quia theologica sunt supra rationem et, ut possumus, ut dicit Gregorius [*Moral.*, lib. V, cap. 36, et lib. XXIX, cap. 1. ML. 75, 715; et 76, 477], balbutiendo excelsa Dei resonamus», de novo confutans per doctrinam de analogia sententiam aliorum theologorum dicentium *saltem* «nomina *mystica univoce* dici de Creatore et creatura» [2].

---

quatuor contra Gentiles S. Thomae de Aquino, editio novissima, ad fidem antiquioris exemplaris impressa novoque ordine digesta, cura et studio JOACHIM SESTILI, S. Theol. Doctoris: in lib. I, cap. 32, t. I, p. 211, nota 1. Romae 1897); et M. J. L. PENIDO: «en réalité il y a là une clé de voûte, une notion centrale et universelle, sans laquelle, impossible de rien comprendre à la métaphysique et, à plus forte raison, à la théologie spéculative» (*Le rôle de l'Analogie en Théologie dogmatique,* Bibliothèque thomiste, t. 15, pp. 8-9. Paris 1931).

Etiam pridem celeberrimus D. PETAVIUS, S. J. († 1652), dixerat Analogiam magno esse usui in Theologia (*Dogmata Theologica,* De Incarnatione, lib. 20, cap. 2, n. 2, ed. Vives. Parisiis 1866-1867, t. VII, p. 179b).

[1] S. ALBERTUS MAGNUS, O. P., *Summa theologica,* I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 3, particula 1c. Opera, ed. Borgnet, t. 31, p. 246b.

[2] *Op. cit., trac.* 14, q. 59, memb. 4 ad 2 quaest. t. 31, p. 595. Nomina *mystica,* iuxta terminologiam Pseudo-Dionysii, contradistinguuntur a nominibus *symbolicis. Mystica* ergo sunt quae ex sua formali significatione dicunt perfectiones simpliciter simplices, ut ens, vita, intellectus, sapientia, bonitas; *symbolica* vero quae formali significatione important perfectiones secundum quid tantum, ut leo, lapis, ignis. Quam nominum divinorum distinctionem egregie exponit S. Albertus in *I Sent.* d. 2, a. 17 (Opera, ed. cit., t. 25, p. 73). Prima nomina dicuntur de Deo proprie; secunda vero nonnisi metaphorice, ut clariori loquendi modo interpretatur S. Thomas in I, 13, 3. Omnia enim huiusmidi nomina, secundum S. Albertum et S. Thomam, transferuntur analogice ad divina: mystica quidem analogia *propria,* symbolica autem analogia *metaphysica.* Decipiebantur vero illi antiqui theologi ex eo quod, aliquando, nomen *proprium* est nomen *univocum,* quod contradistinguitur a nomine *analogo.* At de his infra redivit sermo.

Eodem modo S. Thomas, qui invicte confutavit praesertim alium errorem extremum agnosticimi Maimonidis [1], simul tamen asserens quod «sicut Deum imperfecte cognoscimus, ita etiam imperfecte nominamus, quasi balbutiendo, ut dicit Gregorius» [2], nervose dixit de doctrina analogiae quod *ex ea «pendet totus intellectus* eorum quae in primo libro dicuntur» [3], ubi est sermo de Deo uno et trino, hoc est, de apice totius Sacrae Theologiae.

Iure igitur Sacra Studiorum Congregatio declaravit (die 29 iunii 1914), has duas theses ultra alias duas et viginti «plane continere *S. Doctoris principia et pronuntiata* maiora»: 1, «*potentia et actus* ita dividunt ens, ut quidquid est, vel sit actus purus, vel ex potentia et actu tanquam primis atque instrinsecis principiis necessario coalescat...; 4, *ens,* quod denominatur ab esse, *non univoce de Deo ac de creaturis dicitur, nec tamen prorsus aequivoce, sed analogice, analogia tum attributionis tum proportionalitatis»* [4].

---

1 In *I Sent.* d. 2, aa. 2-3; d. 22, aa. 1-3; d. 35, a. 4; *De Verit.* 2, 11; *De Pot.* 7, 4-7; *I Contra Gent.* cap. 32-34; I, 13, 1-6, 12.

2 *In I Sent.* d. 22, 1c.

3 *In I Sent.* d. 2, 3c.

4 *Acta Apostolica Sedis,* 6 (1914), p. 384. Quibus in verbis approbata sunt et veluti confirmata ea quae iam pridem dixerat Card. ZEPHIRINUS GONZALEZ, O. P.: «a la inteligencia poderosa y previsora de Santo Tomás no podía ocultarse que en el fondo de esas cuestiones, que han sido ridiculizadas como frívolas por espíritus superficiales que no alcanzan a comprender su importancia, en el fondo del realismo y del nominalismo [eodemque iure de univocismo et de agnosticismo nominalista], iba envuelta una cuestión de vida o muerte para la Filosofía. La solución acertada o viciosa de estos problemas debía influir necesariamente y de una manera capital en toda la ciencia filosófica: porque si la solución nominalista lleva lógicamente al idealismo, a las puertas del realismo exagerado hallábase el panteísmo con todas sus consecuencias» (*Estudios sobre la Filosofía de Santo Tomás,* lib. 4, cap. 21, t. II, p. 468. Manila 1864. Cf. etiam lib. 2, cap. 2, t. I, p. 130).

Art. 3.- **Theoria analogiae eiusdemque applicatio ad scientias.**

8. Iam vero Analogiam in duplici quasi statu considerare possumus, scilicet abstracte vel secundum se et concrete vel secundum applicationem ad diversa analogata quibus imbibitur. Priori modo consideratur Analogia pura sive Theoria Analogiae, quae est Analogia in actu signato seu Analogia formalis, unoque verbo dici potest Analogia docens; secundo modo attenditur Analogia applicata, id est praxis sive usus vel exercitium Analogiae, qui est Analogia in actu exercito seu Analogia quasi materialis, unoque verbo appellari potest Analogia utens. Quemadmodum enim antiqui peripatetici, commentaria scribentes in Organum Aristotelis, distinguere consueverunt Logicam in *docentem*, quae ex propria natura entis rationis tradit regulas et principia universalia recte definiendi, praedicandi et syllogizandi; et *utentem*, quae regulas illas ad diversas scientias et materias reales applicat iuxta propriam indolem uniuscuiusque, ut inde obtineatur vera cognitio entis realis [1]: ita nos distinguere possumus Analogiam *docentem*, quae theoriam generalem Analogiae continet, hoc est, naturam, modos, conditiones eius; et *utentem* quae, inspectis exigentiis diversarum scientiarum et obiectorum, studeat principia et regulas Analogiae docentis sapienti prudentique modo applicare, ut veritas obiectiva rerum utcumque a nobis percipiatur.

Quod si, ut docet S. Thomas, «*non est facile* quod homo *simul duo* capiat, sed, dum ad *duo* attendit, ***neutrum*** capere potest» [2]; quando agitur de rebus et quaestionibus difficillimis, quales sunt quaestiones de Analogia, id certe videtur impossibile.

---

[1] S. THOMAS, *In librum Boetii, de Trinitate*, 6, 1c; *in IV Metaph.* lect. 4, nn. 576-577; *in I Poster.*, lect. 20, n. 5.
[2] S. THOMAS, *In II Metaph.*, lect. 5, n. 335.

Necesse est igitur distinctim ac separatim tractare de ipsa Analogia secundum se, ac dein de usu vel applicatione eius ad diversa realia obiecta diversarum scientiarum.

Quae cum ita sint, ipsamet rerum natura id postulante, dividimus tractatum nostrum in partes duas, in quarum prima exponemus theoriam generalem de Analogia, in secunda vero nonnullas dabimus applicationes materiis diversarum scientiarum.

Art. 4.- Cuius sit tractatum de Analogia instituere.

9. Antequam vero tractatum aggrediamur nostrum, operae pretium est determinare habitum intellectualem cui tale munus incumbit. Hoc enim maximi momenti est cum ex eo dependeat propria methodus sequenda, quae diversa est pro diversis scientiis sive habitibus intellectualibus, iuxta illud S. Thomae: peccant qui uniformiter in omnibus scientiis procedere nituntur [1]. Constat autem res arduas et difficiles, prout revera est Analogia, vix aut ne vix quidem inoffenso pede tractari posse propria methodo neglecta.

10. Si ergo loquamur de Analogia *utente*, ea sine dubio pertinet ad omnes et singulas scientias, quia in omnibus et singulis scientiis dantur analogiae, secundum proprium uniuscuiusque modum. Est enim triplex usus legitimus Analogiae, nimirum usus dialecticus, usus demonstrativus et usus explicativus, qui concrete denominat analogiam triplicem: dialecticam, apodicticam sive demonstrativam et mere explicativam. Adhibemus siquidem in scientiis analogias quandoque mere probabiles; nonnunquam vere demonstrativas; aliquando pure explicativas, quae mediae quodammodo se habent inter dialecticas et apodicticas; nam plus valoris habent quam mere dialectica, et minus quam vere demonstrativae.

---

1 S. THOMAS, *In librum Boetii de Trinitate*, 6, 2c, in fine.

Exempli causa, analogiae quae adhibentur in scientiis naturalibus, sunt plerumque mere probabiles; qua ratione, solent logici ratiocinationem ex analogia reducere ad argumentationem mere probabilem; id quod verum est, ut plurimum, de analogiis huius generis, non tamen semper. Pariter est probabilis huiusmodi analogia, qua utebantur multi theologi saeculi XIII cum Guillelmo Alverno ad probandam traductionem peccati originalis; ita se habet peccatum originale ad animam sicut morbus congenitus ad corpus, quia sicut morbus congenitus corporalis est aegritudo physica ita peccatum originale est aegritudo congenita spiritualis. Atqui morbus congenitus corporalis, v. gr., lepra vel podagra vel syphilis, traducitur per generationem, quasi lege hereditatis, a parentibus in filios. Ergo similiter morbus congenitus animae, qui est originale peccatum, traducitur per generationem, hereditatis lege, a parentibus in filios [1]. Argumentum mere probabile, ex eo quod non explicat sufficienter traductionem peccati originalis sub ratione propria *peccati* seu mali *culpae,* licet explicet verisimiliter traductionem eius sub ratione communi *mali* vel etiam propria mali *poenae;* nam morbus corporalis est quidem *malum* quoddam, immo et malum *poenae* dici potest, non tamem malum culpae. Qua de causa, S. Thomas senior illud arguit insufficientiae [2], licet junior ipsum adhibuerit [3].

E contra, est analogia vere demonstrativa cum ostenditur appetitionem finis esse radicem et causam appetitionis mediorum sequenti argumento: ita se habet finis in agibilibus sicut principium in speculabilibus; quia sicut principium per se notum primo et per se intelligitur, ita finis primo et propter se appetitur. Atqui intellectio principii est radix et causa scientiae conclusionum, quae *ex* et *per* principia noscuntur. Ergo similiter appetitio finis est radix et causa electionis mediorum, quae *ex* et

---

1 GUILLELMUS ALVERNUS, *De vitiis et peccatis,* cap. 5, p. 260b. Opera, ed. Venetiis, 1591.

2 S. THOMAS, I-II, 81, 1c.

3 S. THOMAS, *In II Sent.* d. 32, 1, 2c. et ad 3 et 4.

propter finem appetuntur. Nec tamen in eodem, sed in diverso genere causae; nam sicut intellectio principii est radix scientiae conclusionum in genere causae efficientis, ita volitio finis est radix electionis mediorum in genere causae finalis.

Est autem haec analogia *vere demonstrativa*, quia proportio et similitudo utriusque membri sumuntur ex propria causalitate utriusque generis causae quae inter se est essentialiter proportionata, cum causa efficiens et causa finalis sint ad invicem causae in diverso genere suo.

Sicut est vere demonstrativus processus analogicus, quem adhibet S. Thomas cum ait: «*sicut* influere causae efficientis est agere, *ita* influere causae finalis est appeti et desiderari; et ideo, *sicut* secundarium agens non agit nisi per virtutem primi agentis existentem in eo, *ita* secundarius finis non appetitur nisi per virtutem finis principalis in eo existentem, prout scilicet est ordinatum in illum vel habet similitudinem eius. Et ideo, *sicut* Deus, propter hoc quod est Primum Efficiens, agit in omni agente; *ita*, propter hoc quod est Ultimus Finis, appetitur in omni fine» [1].

Tandem est analogia mere explicativa cum dicitur: «*sicut* anima rationalis et caro unus est homo, *ita* Deus et homo unus est Christus» [2], quia utrobique est unio substantialis inmediata; licet unio hypostatica Verbi Dei cum humana natura in Christo non demonstretur nec demonstrabilis sit ex unione substantiali animae rationalis cum corpore in homine quae naturaliter cognoscitur, eo quod unio hypostatica est mysterium supernaturale stricte dictum quod, nisi revelatum divinitus, nobis innotescere nequit [3]. Pari modo, cum Filium in divinis confitemur «Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum

1 S. THOMAS, *De Verit.* 22, 2c.

2 *Symbolum "Quicumque"*, Denz. n. 40.

3 PIUS IX Epist. *Gravissimas inter*, ad Archiepiscopum Monaco-Frisingensem, die 11 Decembris 1862. Denz. n. 1.669. Cf. CONC. VATIC. I ibid., n. 1.795.

de Deo vero»[1]; nam Concilium Nicaenum «lumina ponit non ad denuntiandam perfectionem divinarum personarum, [quia lumen non est substantia], sed ad demonstrandam processionem *immaterialem* ipsarum; quia *sicut* lumen est de lumine, *ita* Deus est de Deo»[2].

Usus igitur mere probabilis, qui «recedit a modo scientiae»[3], est proprius Logicae in ea parte quae dicitur Dialectica»[4]; «quia ex communibus procedit arguendo Dialecticus ad ea quae sunt aliarum scientiarum, sive per propria sive per communia, maxime tamen per communia»[5]: usus vero demonstrativus et explicativus est proprius singularum scientiarum realium, nempe aliarum partium Philosophiae realis et Theologiae Sacrae, iuxta illud S. Thomae: «In parte Logicae, quae dicitur Demonstrativa, solum doctrina pertinet ad Logicam, usus vero ad Philosophiam [=Primam seu Metaphysicam] et ad alias particulares Scientias quae sunt de rebus natu-

---

1 *Symbolum Nicaenum,* DENZ. n. 54.

2 S. ALBERTUS MAGNUS, *In librum Dionysii de Mystica theologia,* cap. 3, § 1, C. Dubium, ad 3. Opera, ed. cit., t. 14, p. 848a. Cf. *Summa theol.* I P. tract. 6, q. 30, memb. 1c, t. 31, p. 307a.

3 S. THOMAS, *In IV Metaph.*, lect. 4, n. 576.

4 Ut omnes norunt, Dialectica quandoque sumitur pro tota Logica, ut testis est Dominicus de Soto, O. P., dicens: «iam Doctores promiscue utuntur utroque nomine, ut idem sit Logica et Dialectica, et ita nos utimur in proposito» (*Comment. in Aristotelis Dialecticam,* q. prima prooem., p. 3a. Venetiis 1574); quandoque vero, et magis presse loquendo, a Logica contradistinguitur ut pars a toto, quatenus exclusive agit de syllogismis probabilibus, et ita sumitur a S. Thoma, qui Dialecticam contradistinguit tunc a Demonstrativa vel Iudicativa quae est de syllogismis necessariis seu demonstrativis, tum a Sophistica vel Litigiosa quae est de syllogismis falsis. Dialecticam appellat etiam Topicam, Inventivam et Tentativam, quia inquirimus tentando hinc et inde quasi ex utraque parte (*De Fallaciis,* cap. 2; *in I Post.*, lect. 1, n. 6; lect. 20, nn. 5-6; *in IV Metaph.*, lect. 4, nn. 572-577).

5 S. THOMAS, *In I Post.*, lect. 20, n. 5. «Dialectica enim potest considerari secundum quod est docens et secundum quod est utens. Secundum quidem quod est docens, habet considerationem de istis intentionibus [rationis, intelligibilibus, secundis], instituens modum quo per eas procedi possit ad conclussiones in singulis scientiis *probabiliter* ostendendas: et hoc demonstrative facit, et secundum hoc est scientia. Utens vero est secundum quod modo adiuncto utitur ad concludendum aliquid *probabiliter* in singulis scientiis, et sic recedit a modo scientiae» (*In IV Metaph.*, lect. 4, n. 576).

rae; et hoc ideo, quia *usus Demonstrativae* consistit in *utendo* principiis *rerum*, de quibus fit demonstratio, quae ad scientias reales pertinet, non utendo intentionibus logicis»[1], nam demonstratio et explicatio debent fieri ex *propriis*, non ex communibus[2]. Quo fit, ut sola Dialectica sit simul Docens et Utens active usu legitimo probabili[3]; Logica vero Demonstrativa, quae vere proprie est instrumentum et introductio aliarum Scientiarum Realium, est, qua talis, Docens tantum, non Utens active — nisi quando reflexe versatur circa seipsam et proprium eius objectum, quia tunc docendo exercet seipsam et seipsa utitur—, sed passive solummodo, quatenus aliae Scientiae Reales utuntur active praeceptis et regulis Logicae Demonstrativae Docentis ad proprias earum demonstrationes inveniendas et exercendas[4]. Et ideo Logica Demonstrativa, potius quam Utens dici debet *Usitata*, ut scite animadvertit Averroes[5]. Quod si hoc valet de ceteris notionibus reali-

---

1 S. THOMAS, *In IV Metaph.*, lect. 4, n. 577.

2 «Demonstratio est ex principiis propriis, non extraneis, neque ex communibus» (S. THOMAS, *In I Post.*, lect. 15, n. 1). «Pars autem Logicae, quae Demonstrativa, [Iudicativa, Analytica, Resolutoria] est, etsi circa communes intentiones versetur docendo, tamen usus Demonstrativae Scientiae non est in procedendo ex his communibus intentionibus ad aliquid ostendendum de rebus quae sunt subiecta aliarum scientiarum» (*In I Post.*, lect. 20, n. 5. Cf. *ibid.*, lect. 1, n. 6).

3 Non enim loquimur de usu illegitimo et falso, qui proprius est Sophisticae; talis enim usus non ducit ad scientiam, sed ad errorem «Sophistica..., prout est docens, tradit per necessarias et demonstrativas rationes modum arguendi apparenter; secundum vero quod est utens, deficit a processu verae argumentationis» (*In IV Metaph.*, lect 4, n. 576).

4 «Quaedam partes Logicae habent ipsam scientiam et doctrinam et usum, sicut Dialectica tentativa et Sophistica; quaedam autem doctrinam et non usum [activum], sicut Demonstrativa» (*In IV Metaph.* lect. 4, n. 577).

5 AVERROES, *In I Physic.*, text. 35, fol. 20v. Lugduni 1542. «Unde ut apposite dicit IOANNES MARTINEZ DE PRADO, O. P., prout contemplatur suum obiectum et in se consideratur, dicitur *docens*; prout ab aliis assumitur et subservit eis, dicitur utens» (*Quaestiones Logicae in tres libros distributae*, lib. 1, q. 1, § 3, n. 10, p. 6a. Compluti 1655). Quo in sensu SILVESTER MAURUS, S. J., acute observat quod potest dici Logica utens non in nominativo sed in ablativo: utens Logica. «Logica utens potest etiam sumi pro scientiis quae utuntur praeceptis logicis cum reflexione ad ipsa; sed in hac aceptione videtur potius Logica ute

bus, id a fortiori asserendum est de notione Analogiae, quae et ipsa Analoga est et ab analogatis non perfecte abstrahibilis. Quia ergo aliter salvatur Analogia in Logica, aliter in Philosophia Naturali, aliter in Ethica, aliter in Metaphysica, aliter in Theologia Sacra, eo quod alia vel aliter sunt analogata in singulis illis disciplinis: omnino necesse est quod unusquisque ex his habitibus circa propriam materiam studeat proprias analogias suo quoquo modo exacto detegere, definire et applicare.

Equidem errorem ingentem committeret qui analogiam univoce conciperet: maximum autem, si ulterius vellet usum eius uniformem in omnibus tenere.

11. Sin vero agatur de Analogia *docente*, difficilior quaestio est. Possumus enim loqui de hac Analogia quadrupliciter: primo, ut est quidam modus *praedicandi* de inferioribus analogatis, vel etiam *argumentandi* ex medio analogico, et sic pertinere videtur ad Logicam; secundo, ut est quidam modus *concipiendi* et *repraesentandi* objecta «metempirica», praesertim divina, et tunc spectat ad Psychologiam; tertio, ut est medium *validum*, licet imperfectum, attingendi et quodammodo penetrandi obiecta illa spiritualia et metaphysica, quo in casu reducitur ad Epistemologiam; quarto, ut haec omnia inveniuntur revera fundata in ipsa rerum et intellectus nostri natura, et iam incidere videtur in proprium ambitum Metaphysicae.

Quamvis autem omnes istae considerationes simul concurrere debeant ad perfectam *doctrinam* de Analogia, non tamen omnes eodem gradu eademque ratione. Nam adspectus psychologicus videtur esse aliquo modo partialis et relativus ad conditiones quibus subiectum cognoscens sibi repraesentat obiecta sic dicta analogica vel rationes analogatas; similiter adspectus epistemolo-

---

in ablativo quam in nominativo, cum Scientiae non sint Logica, sed sint utentes Logica» (*Quaestiones philosophicae*, t. I, quaest. prooemiales, q. 24, ad 3, p. 264. Cenomani 1875).

gicus, licet magis amplus et obiectivus, non tamen, haurire videtur totam latitudinem et universalitatem A logiae. Ergo neque ad Psychologiam neque ad Critic presse sumptam videtur ex propriis pertinere consid tio de *ipsa* Analogia secundum se, quia obiectum j prium alicuius habitus cognoscitivi non potest latius tere quam amplitudo et virtus luminis proprii t habitus.

12. Sed adspectus logicus et metaphysicus, ob utı que transcendentiam [1], circumeunt totam universalita Analogiae, licet sub diversa ratione; quia semper Log cum sit de secundis intentionibus entis rationis, mend obiectivitatem et scibilitatem suam ex Metaphysica, q primas intentiones entis realis directe et formaliter siderat. Propter quod S. Thomas iure dixit quod «mai virtutis est consideratio Philosophi [=Metaphysici], q consideratio Dialectici» et Logici [2], sicut maius est reale quam ens rationis.

Quia ergo *lumen* proprium Logicae et Metaphys adaequare videtur totam visibilitatem Analogiae

---

[1] Tam enim Logica quam Metaphysica ex propriis considerai in quantum ens secundum communia eius praedicata, non tamen nec secundum idem; quia Logica considerat ens prout est intell et secundum sola praedicata quae ei hoc modo conveniunt, du taphysica considerat ens prout est in re et secundum praedicata quae ei conveniunt essentialiter et independerter ab esse quod in intellectu. Ad rem S. Thomas: «ens est duplex, ens scilicet ra et ens naturae. Ens autem rationis dicitur proprie de illis intenti quae ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, et similum, quae quidem non inveniuntur in rerum natura, sed derationem rationis consequuntur: et huiusmodi, scilicet ens ra est proprium subiectum Logicae. Huiusmodi autem intentiones gibiles entibus naturae *aequiparantur*, eo quod omnia entia r sub consideratione rationis cadunt; et ideo subiectum Logicae nia se extendit de quibus 'ens naturae praedicatur. Unde co [Aristoteles] quod subiectum Logicae *aequiparatur* subiecto I phiae [Primae seu Metaphysicae], quod est ens naturae» (*In IV M* lect. 4, n. 574. Cf. etiam in *I Post.*, lect. 20, n. 5; *De natura* cap. 3, ed. Vives, t. 28, p. 8).

[2] S. THOMAS, *In IV Metaph.*, lect. 4, n. 574.

vagatur per omne ens, dicendum est ad eas pertinere *ex propriis* theoriam generalem de Analogia instituere. Quam ob rem S. Albertus Magnus iure scripsit: «si enim de communi loquamur secundum *intentionem* qua *praedicatur* de pluribus, *logici* est determinare multiplicitatem eius; si vero loquamur de communitate *rei*, talis multiplicitas determinanda est a *metaphysico*» [1].

Hoc autem semel dato, superest determinare quo in sensu quave mensura tale munus eis incumbat: an ex aequo, vel secundum prius et posterius.

13. Atqui *non ex aequo.* Nam habitus, actus et obiectum sunt ad invicem proportionata; quia habitus specificantur ex actibus, et actus ex obiectis [2]. Atqui unus actus non potest ex aequo esse duplicis habitus. Non quidem in genere causalitatis finalis specificantis, quia duplicis speciei non potest ex aequo esse unum specificativum; neque in genere causalitatis efficientis, quatenus actus efficienter producitur ab habitu, quia eiusdem effectus non potest esse duplex causa efficiens totalis et adaequata eiusdem ordinis [3]. Ergo neque unum obiectum. Cum igitur Logica et Metaphysica sint duo habitus intellectuales specie distincti, impossibile est eas unum obiectum, quod est Analógia, ex aequo respicere.

Pertinet ergo ad Logicam et ad Metaphysicam de Analogia tractare ordine quodam, id est secundum prius et posterius. Utri autem per prius conveniat, ardua quaestio est.

---

[1] S. ALBERTUS MAGNUS, *In I Ethicorum*, tract. 5, cap. 17, ed. cit., .. 7, p. 82a. Quod enim dicitur de Analogia boni —de qua directe loquebatur S. Doctor— eodem iure valet de ceteris analogis et de ipsa Analogia universaliter.

[2] S. THOMAS, I-II, 54, 1-2; II-II, 4, 1c.

[3] Ut enim constat ex doctrina metaphysica de causis, «impossibile est quod duae causae completae sint immediatae unius et eiusdem rei: quod patet in omni genere causarum» (I, 52, 3c.); et ita «respectu eiusdem operationis non potest esse duplex causa proxima eodem modo» (*I Sent.*, d. 33, 1, 1 ad 4). Sicut ergo «non potest esse unus actus *ex aequo* duarum potentiarum», ita nec duorum habituum (*De Verit.* 14, 4c.).

14. Maior philosophorum, etiam thomistarum, pa existimat hunc tractatum primum et per se ad Logica aspectare. Haec est sententia Caietani, qui primus o nium theoriam generalem edidit *De nominum analog* Distinguit enim Caietanus Analogiam in actu signato Analogiam in actu exercito. Agere de Analogia in *a* *exercito,* praesertim de Analogia transcendentalium, sunt ens, unum, verum, bonum, pertinet ad Metaph cam, non ad Logicam. «Dubium est, inquit, an *ens* univocum, an sit secundum *nomen solum* commune [= re aequivocum], an sit ambiguum seu *analogum*... S quoniam haec logicales transcendunt metas, differan usque ad *Metaphysicam*»[1]. Et alio in loco: «de prop nominibus proportionum ad esse *in actu exercito* importantibus disputare nolo ad praesens, quoniam *taphysici* negotii opus hoc est, et exemplariter hic de loquimur. Simile siquidem est de actu, potentia, for materia, principio, causa et aliis huiusmodi iudiciur Ex adverso, agere de Analogia *in actu signato* munus proprium Logicae, non Metaphysicae. *Aequiparantur* r que a Caietano, quod ad rem spectat, *Isagoge* Porph quae manifeste Logica est, et Opella sua *De nomi* *analogia*: utrobique enim se excusat a tractanda ar gia entis in actu exercitio, quia hoc transcendit m logicales intra quas tunc manebat, et ideo disputare lebat de hac re in illis operibus logicis, *quoniam n* *physici negotii hoc est.* Quin etiam positive, aequiv ter tamen, idipsum asserere videtur. Exponens siqu librum Praedicamentorum Aristotelis —qui certe *cus* est—, definitiones explicat univocorum et ana rum, statimque addit: «quot autem modis continga riari analogiam et quomodo, *nunc, cum summarie l* *mur, silentio pertransibimus, specialem de hoc Tr*

---

1 CAIETANUS, *Commentaria in Porphyrii Isagogen*, p. 53, ed. rega, O. P. Romae 1934.

2 *De nominum Analogia*, cap. 6, n. 72, p. 58, ed. N. Zammit, Romae 1934.

tum, si Deo placuerit, cito confecturi» [1]. Quod et citissime fecit: nam haec *Commentaria in Aristotelis Praedicamenta* complevit «die nona ianuarii, anno christianae salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo, in conventu S. Apollinaris in suburbiis Papiae» [2]; tractatum vero *de nominum analogia* finivit eodem loco eodemque anno, die prima septembris [3]. Nimirum se excusat a considerande Analogia in actu signato dum commentaria logica edebat in Logicam Aristotelis, non quia talis consideratio esset opus metaphysici negotii, sed unice ratione indolis operis summarii seu compendiosi non ferentis longam de hac re disputationem [4]: quod est aequivalenter dicere hunc Tractatum plene iure ad Logicam pertinere.

Eamdem sententiam aperte profitentur Complutenses Carmelitani, dicentes quod «disputatio de Analogia in communi... proprie ad Dialecticam [=Logicam] pertinet» [5].

Idem tenet Joannes a S. Thoma. Quamvis enim dicat quod «difficultates de Analogia *satis metaphysicae* sunt» [6], postmodum tamen scribit: «*Analogia* autem, sicut univocatio et aequivocatio, *formaliter est intentio secunda*, sicut genus formaliter est secunda intentio; *pertinet enim ad modum praedicabilitatis et universalitatis et convenit media abstractione intellectus*» [7]. Et rursus: «dicimus quod Analogia formaliter est secunda intentio, et sic pro secunda intentione non est relatio realis sed rationis,

---

1 CAIETANUS, *Commentaria in Praedicamenta Aristotelis*, p. 11, ed. H. Laurent, O. P. Romae 1939.

2 *Op. cit.*, p. 242.

3 «Completo in Conventu S. Apollinaris, Papiae suburbio, die primo septembris 1498» (*De nominum Analogia*, cap. 11, n. 125, ed. cit., p. 93).

4 Scripsit enim Caietanus haec Commentaria in Logicam Aristotelis pro «incipientibus peripateticis» (*In Porphyrii Isagogen*, prologus, ed. cit., p. 3), et «pro tardiunculis ingeniis» (*Ibid.*, epistula nuncupatoria ad Card. Oliverium, p. LXXXIII).

5 *Disputationes in Aristotelis Dialecticam*, disp. 10, n. 1, p. 164. Lugduni 1651.

6 IOANNES A S. THOMA, O. P., *Cursus philosophicus*, Logica, II P., q. 13, a. 3, ed. B. Reiser, O. S. B., t. I, p. 481b, 30. Taurini 1930.

7 *Op. cit.*, q. 14, a. 3, p. 512b, 43-47

sicut intentio generis vel speciei; habet vero pro fundamento proportionem, non quatenus relatio formaliter est sed quatenus convenientia et similitudo proportionalis multorum, sive in entibus realibus sive rationis: sicut intentio generis fundatur in convenientia similitudinis genericae, sive in entibus realibus sive rationis»[1].

Quibus consentit Nicolaus Arnu, asserens quod «nomen commune dicitur analogum analogans; res autem significatae *analoga analogata,* quae *secundo intentionaliter sumpta* heic describuntur»[2].

Alii autem sat frecuenter distinguentes Analogiam in analogiam *physicam* seu improprie dictam, quam Caietanus apellaverat analogiam *inaequalitatis*[3], et in analogiam *Logicam* sive proprie sumptam, quam ulterius distinguunt in analogiam attributionis et analogiam proportionalitatis, ipso facto innuunt Analogiam presse sumptam ad Logicam pertinere: logica enim ad Logicam proprie spectant, non ad Metaphysicam. Ita, ut nonnullos referam Josephus Maria Zucchi[4], Froylanus Díaz[5], Complutenses Dominiciani[6].

Pro philosophis e Societate Jesu testis sit Antonius Rubio scribens quod «*tractatio de natura et ratione Analogiae* maxima ex parte pertinet ad Metaphysicam, cum

---

1 *Ibid.*, p. 514a48-b1-13. Idipsum ergo docent in hac re Caietanus et Ioannes a S. Thoma, neque ulla est ratio eos inter se opponendi, ut videtur facere N. BALTHASAR, *L'être et les principes métaphysiques*, p. 61. Louvain 1914.

2 NICOLAUS ARNU, O. P., *Dilucidum Philosophiae Syntagma* e Divi Thomae Aquinatis Doctoris Angelici, Beati Alberti Magni et optimorum quorumque philosophorum effatis ac dogmatibus concinnatum, variaque eruditione locupletatum, t. II, Logicam Aristotelis complectens, q. 2, a. 1, n. 2, p. 14. Patavii 1685. Cf. *ibid.*, n. 1, p. 13.

3 *De nominum analogia*, cap. 1, nn. 3-7, ed. cit., pp. 6-9.

4 IOSEPHUS MARIA ZUCCHI A CRAMA, O. P., *Metaphysica* ad mentem Aristotelis et Angelici Praeceptoris D. Thomae Aquinatis, ex thomistis collecta doctoribus, q. 3, a. 1, n. 1, p. 47a. Bononiae 1684.

5 FROYLANUS DIAZ, O. P., *Logica rationalis* per quaestiones et articulos divisa, iuxta mentem D. Thomae, Liber 6, q. 2, a. 1, p. 441b. Vallisoleti 1697.

6 COLLEGII S. THOMAE COMPLUTENSIS *in universam Aristotelis Logicam quaestiones*, q. 7, a. 3, nn. 25-26, p. 453. Compluti 1677.

praecipue reperiri possit in ente universalissimo, quod proprium obiectum eius est, atque etiam in passionibus eius; et in accidenti, quod novem praedicamentis est commune: sed *proprie pertinet ad Logicam,* ut ex ea cognoscatur analoga excludenda esse a praedicamentis, atque etiam a syllogismis et aliis argumentationibus, quae in solis terminis univocis commode fieri possunt» [1].

15. Huic argumento ex auctoritate suffragatur argumentum duplex *ex ratione. Primum,* quod dici potest demonstratio *quia* utpote ex communibus procedens, est huuismodi. Eiusdem scientiae est tractare de extremis et de medio inter extrema contento, quia medium qua tale, nonnisi per relationem ad extrema cognosci et definiri potest. Atqui Logicae est tractare de extremis inter quae veluti medium continetur analogia; nam extrema illa sunt aequivocitas pura et univocitas, quae manifeste et in omnium sententia, sunt Logicae considerationis: univocitas quidem univocata, quae est ipsa universalitas logica presse sumpta; aequivocitas etiam pura, quae propria est Sophisticae, ab omnibus peripateticis inde ab ipso Aristotele inter partes Logicae adnumeratae. Ergo et Logicae est tractare de Analogia, quae media essentialiter consistit inter puram aequivocationem et univocitatem.

16. *Aliud* argumentum, quod demonstratio *propter quid* appellari potest, utpote *ex propriis* dessumptum, tale est. Logicae est formaliter agere de universali logico, quod est secunda intentio universalitatis ideoque ens rationis, quod est obiectum formale Logicae [2]. Atqui Ana-

---

[1] ANTONIUS RUBIO, S. J., *Commentariorum in universam Aristotelis Dialecticam,* magnam et parvam, una cum dubiis et quaestionibus hac tempestate circa utramque agitari solitis Pars Prima. In librum Categoriarum Aristotelis, cap. 1, n. 8, p. 163a. Compluti 1613.

[2] S. Thomas explicat perspicue primas et secundas intentiones hisce verbis: «*prima* enim *intellecta* sunt res extra animam, in quae *primo* intellectus intelligenda fertur; *secunda* autem *intellecta* dicuntur intentiones consequentes modum intelligendi: haec enim *secundo* intellectus intelligit, in quantum reflectitur supra seipsum, intelligens

logia formaliter est universale quoddam logicum, nemp
secunda intentio universalitatis qua ratio analoga apt
nata est in multis, id est analogatis, esse ac de illis pra
dicari. Cum enim Analogia non sit unius tantum sing
laris, sed necessario plurium sit vel inter plura, ipsa ei
formalis ratio qua talis non est concreta uni analoga
tantum, sed essentialiter est ab analogatis abstracta ide
que universalis. Et quidem universalitate reflexa si
logica, quia fit per actum *comparativum* quo intellect
possibilis apprehendit naturam abstractam analogiae cu
ordine et respectu ad inferiora analogata: sive haec si
diversae *res* analogicae uno modo analogiae, verbi grati
attributionis; sive sint diversi *modi* ipsius analogiae, q
inferiores quodammodo sunt respectu ipsius analogiae
sic. Analogia namque importat formaliter *comparation*
inter plura analogata vel plures analogiae modos, ideoq
necessario fit per actum *comparativum* quo cognoscit
ut relata ad sua inferiora, ita ut apta sit esse in il
multis ac de illis praedicari suo modo [1].

Itaque analogia formaliter fit eo modo quo fit univ
sale logicum, non quo fit universale metaphysicum;
insuper ei convenit definitio universalis logici. Est e
formaliter universale quoddam logicum: nam per se

---

se intelligere et modum quo intelligit» (*De Pot.*, 7, 9c.). «Ex hoc e
quod intellectus in seipsum reflectitur, sicut intelligit res exsiste
extra animam, ita intelligit eas esse intellectas: et sic sicut est q
dam conceptio intellectus, vel ratio cui respondet res ipsa quae
extra animam, ita est quaedam conceptio vel ratio cui respondet
intellecta secundum quod huiusmodi; sicut rationi hominis vel
ceptioni hominis respondet res extra animam, rationi vero vel
ceptioni generis aut speciei respondet solum res intellecta» (*De*
7, 6c.). Et alio in loco: «ens autem rationis dicitur proprie de
intentionibus quae ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut inte
generis, speciei et similium, quae quidem non inveniuntur in re
natura, sed considerationem rationis consequuntur. Et huiusmodi,
licet ens rationis, est proprium subiectum Logicae» (*In IV Meta*
lect. 4, n. 574). Videri etiam potest Caietanus de hac re acute disse
in suis *Comment. in Porphyrii Isagogen*, ed. cit., pp. 18-19.

[1] «Huiusmodi enim intentiones format intellectus attribuens naturae intellectae, secundum quod *comparat* ipsam ad res quae extra animam» (S. Thomas, *In I Perih.*, lect. 10, n. 9).

tum est quod cui convenit esse et fieri universalis logici, est universale logicum. Ergo et Logicae proprie et formaliter est agere de Analogia universali sive in communi.

17. Non defuerunt tamen qui dixerint tractatum de Analogia proprie et per se ad Metaphysicam pertinere. Ita Dominicus Báñez, O. P. (1528-1604), qui, breviter collectis definitionibus nominis univoci, aequivoci et analogici, subiungit: «sunt autem variae proportiones et habitudines et similitudines in aequivocis a consilio, quae etiam analoga dicuntur; *de quibus per singula nunc disserere, esset extra chorum canere*» [1]. Eodem modo Joannes Sánchez Sedeño, O. P. († 1610): «advertendum est analogiam tripliciter accipi a *metaphysicis*. Primus pro analogia inaequalitatis, quae alio nomine vocatur physica...; secunda analogia est attributionis...; tertia analogia est proportionalitatis» [2]. Pariter Joannes Martinez de Prado, O. P. († 1668), conlega Joannis a S. Thoma in Universitate Complutensi. «Analogorum notitia inquit, non minus necessaria est quam difficilis est et *metaphysica*; et quia *ad illam* [=*Metaphysicam*] *directe spectat*, ideo integrum de ea tractatum in Tertia Parte Metaphysicae ut in loco opportuno inseremus» [3].

Idem sentire videtur Philippus a SSma. Trinitate, C. D. Brevissime enim tradita notione et divisione Analogiae in sua Logica, subiungit: «haec modo sufficiant de analogis; ob maximam quippe Analogiae difficultatem, *exactio-*

---

[1] *Institutiones minoris Dialecticae, quas Summulas vocant*, lib. I, tract. 1, cap. 1, . 6. Salmanticae, 1599. Unde et carpit quosdam sui temporis viros, «qui ostentationis causa, initio Summularum, importune satis, Metaphysicam exercere affectant» (*Op. cit.*, Ad Lectorem), ut quando loquuntur de Analogia entis; nam de Analogia entis metaphysica consideratio est» (*Op. et loc. cit.*, p. 6).

[2] *Commentarii in Aristotelis Logicam*, lib. III, q. 2, pp. 391-392. Salmanticae 1600.

[3] IOANNES MARTINEZ DE PRADO, O. P., *Quaestiones logicae in tres libros distributae*[2], lib. II, q. 3, n. 1, p. 269b. Compluti, 1655. Dolendum tamen hanc Metaphysicae Partem non fuisse unquam typis mandatam, sed solum duas priores Partes, Compluti, 1649. Nihilominus plura de Analogia habet in sua Logica: «ne tamen logici defraudentur doctrina sibi debita et necessaria, *ibi latius disputanda breviter nunc perstringemus*» (*Op.* et *loc.* cit.).

rem eius tractatum ad Metaphysicam remittimus, ubi agitur de analogia entis»[1].

Ac recentioribus temporibus huic sententiae calculum adiecit Card. Franciscus Satolli, dicens sibi persuasum esse «totam de divinis nominibus disputationem pendere a *metaphysica doctrina circa Analogiam nominum*»[2].

Cui etiam consentire videtur Michael de Maria S. J. In prologo enim, quem praeposuit novae editioni Opusculi Caietani *De nominum analogia*, scribit: «quaestio de nominum analogia, quam Cardinalis de Vio Caietanus in hoc perinsigni opusculo enodandam explicandamque iuxta dogmata ac sapientiam summi Aquinatis ingreditur, tanti momenti profecto est tantaeque difficultatis, ut plurimos omnium ferme aetatum philosophos torserit, eosdemque in diversas admodumque oppositas distraxerit sententias *circa prima philosophandi principia*. Hoc nullus vel leviter *in metaphysicis* versatus ignorat aut inficiatur»[3].

Idem aperte docet Josephus La Rohellec, C. S. Sp. «Problema de analogia, inquit, *ad Metaphysicam apprime pertinet*»; quaestio de analogia «*proprie* est *metaphysica*». Et concludit: «liceat ergo de Analogia *metaphysice* disputare»[4].

Similiter Angelus M. Pirotta, O. P. «Hic [in Logica] mentionem non facimus de Analogia, sicut plures ex phi-

---

1 *Summa philosophica* ex mira principis philosophorum Aristotelis et Doctoris Angelici D. Thomae doctrina iuxta legitimam Scholae thomisticae intelligentiam composita. Prima Pars (Logica), q. 10, a. 3, p. 207. Coloniae Agrippinae 1665.

2 *Praelectiones in Summam Theologicam Divi Thomae*, I, 13, 5, ed. cit., p. 517.

3 THOMAE DE VIO CAIETANI, Cardinalis, *De nominum analogia opusculum*, Parisiis, in libreriis Consociationis S. Pauli, 1884, p. 3. Et huius signum est quod ipse De Maria non tradidit theoriam de Analogia in sua Logica, sed in Metaphysica (*Philosophia peripatetico-scholastica ex fontibus Aristotelis et S. Thomae Aquinatis expressa*², t. I, pp. 342-347. Romae 1898.

4 *Problèmes philosophiques*, I P., IV: de fundamento metaphysico Analogiae, p. 97. Parisiis 1937. Hanc disquisitionem de Analogia ediderat Auctor anno 1926, in Commentario «Divus Thomas Plac».

losophis erronee tractant; *non enim de hac agere ad Logicum pertinet, sed proprie et per se ad Metaphysicum*»[1].

Postremo eidem adhaerent sententiae Severinus Alvarez-Menéndez, O. P.[2], Aloysius Georgen[3], nosque ipsi in prima huius Opellae editione[4].

18. Et haec positio videtur esse verior et profundior. Ipsa enim Analogia potest dupliciter considerari: primo, relate ad diversos analogiae modos; secundo, relate ad diversa analogata realia quibus apta est inesse ac de illis praedicari secundum unum vel secundum plures analogiae modos. Atqui sub utroque respectu metas transcendit Logicae et ambitum ingreditur Metaphysicae.

Sub primo quidem, quia ipsa ratio Analogiae non est univoca ad tres Analogiae modos, scilicet inaequalitatis (=secundum esse tantum et non secundum intentionem), attributionis (=secundum intentionem tantum et non secundum esse) et proportionalitatis (=secundum intentionem et secundum esse), cum non se habeat ad eos ut genus ad species neque ut species ad individua, ab eis perfecte abstrahens eosque in potentia continens, eo ipso quod sunt modi diversorum generum, sicut ens reale (=secundum esse) et ens rationis (=secundum intentionem): sed analoga, ideoque actu implicite eos in confuso continens ab eisque imperfecte tantum et secundum quid

---

[1] *Summa philosophiae aristotelicae-thomisticae*, t. I, *Philosophia Rationalis*, p. 28, nota 2. Taurini 1931.

[2] *Introductio* in novissimam editionem opusculi Caietani *De nominum Analogia*, quam curavit N. Zammit, O. P., p. XI. Romae 1934.

[3] *Die Lehre von der Analogie nach Kardinal Cajetan und ihr Verhaltnis zu Thomas von Aquin*, pp. 35-37. Pilger-Verlag Speyer, 1938.

[4] *De Analogia, secundum doctrinam aristotelico-thomisticam*, p. 3. Matriti 1922. Ubi rationem eius reddebamus hisce verbis: «cum enim Analogia ipsa analoga sit et idcirco non perfecte ab analogatis abstrahat, cumque summum analogatum inter cetera quae in actu exercito analogari queunt sit entis analogia, manifestum est tractatum de Analogia in actu signato ad scientiam de ente pertinere, quae *Metaphysica* est». [*N. B. editoris*: Quid denique senserit Auctor hac de re notum fecimus in Notula praevia editoris huius voluminis].

abstrahens: ita sane ut actu explicite dicat summum analogiae modum qui est analogia proportionalitatis propriae, et nonnisi implicite et diminute alios duos modos quatenus aliquo modo participantes aliquam eius rationem, nempe prius et posterius in esse tantum (=analogia inaequalitatis) et prius et posterius in praedicari tantum (=analogia purae attributionis) ut confuse conveniunt in ratione communi Analogiae, quae essentialiter est secundum prius et posterius et perfecte ac complete salvatur in sola analogia proportionalitatis, utpote utrumque modum eminenter formaliter continens. Ipsa ergo Analogia ut sic non est pure logica seu intentionalis ut analogia attributionis, neque pure Metaphysica seu realis ut analogia inaequalitatis; sed simul, et modo quidem eminentiori, logica et metaphysica, sive intentionalis et realis

19. Quid autem per prius sit, an logica vel metaphysica, determinandum est *ex secundo respectu*, nempe e modo quo analogia proportionalitatis propriae refertu ad diversa sua analogata realia.

Iam vero sub hoc etiam respectu analogice ad ea d scendit, scilicet non per differentias extrinsecas seu p modum excludentis et exclusi, sicut univocitas; sed p

---

[1] Analogia. quam S. Thomas appellavit *secundum esse tantum* non secundum intentionem (*In I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1), et Caietar Analogiam *inaequalitatis*, a scholasticis sacculi XVII vocari solet ana gia *physica*, sed a DOMINICO DE SOTO, O. P. (1494-1560), analogia *re et metaphysica*: analoga enim huius generis, «quia in re sunt diver naturae, vocatur aequivocatio *metaphysica et realis*, et univocatio log et intentionalis» (*Commentarii in Aristotelis Dialecticam*: in libr Praedicamentorum, cap. 1, q. unica, p. 118a. Venetiis 1574). Utra denominatio fundamentum habet in S. Thoma, qui loquens de analogia secundum esse tantum, ait: «unde, quantum ad *metaphysic* et *naturalem* [=physicum], qui considerant res secundum *esse*, hoc nomen, corpus, nec ad quid aliud dicitur univoce de corruptibili et incorruptibilibus» (*In I Sent.*, loc. cit.). Denique IOSEPHUS OLIVA, (MINIMORUM (1616-c. 1648), analogiam secundum esse tantum nom *physicam*, secundum intentionem tantum appellat *logicam*, secunc intentionem et secundum esse simul vocat *metaphysicam* (*Gemmea loga ab Angelici Doctoris Thomae Schola gemmata*, I. P., dub. 4, ed. Criterion, 1 (1925), p. 365): qui modus loquendi sat fundatu rationabilis esse videtur.

modos intrinsecos sive per modum includentis et inclusi, seu expliciti et impliciti actualis, ut ens et alia transcendentia. Plus ergo habet de intentione prima quam de intentione secunda, quia simpliciter dicit *rem* analogatam et nonnisi secundum quid *formam* analogiae; et hac de causa, analogia imperfecte tantum et secundum quid abstrahit ab analogatis, simpliciter vero in eis actu, licet implicite, imbibitur: constat autem intentionem secundam sequi per se abstractionem totalem, quae est abstractio logica qua totum abstrahitur a partibus, id est universale (=totum) a particularibus [1], ideoque necessario sequi modos eius, iuxta illud: sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis et minus ad minus [2]. Ex quo igitur analogiae abstractio est secundum quid et imbibens simpliciter, concludendum est eam simpliciter dicere intentionem primam et nonnisi secundum quid intentionem secundam.

A primo ergo ad ultimum, oportet resolvere ac definire Analogiam per ordinem ad supremum modum eius, qui est analogia proportionalitatis propriae; et hanc rursus per ordinem ad supremum modum quo forma eius salvatur in diversis analogatis, id est *rebus* in quibus essentialiter imbibitur: et hic est ens reale commune ad Deum et creaturas et ad substantiam et accidens, quod est praecise obiectum formale Metaphysicae.

Aliis verbis: Analogia maxime et simpliciter dicta, quae est analogia proportionalitatis propriae, necessario et essentialiter involvitur transcendentia sicut ens, et necessario fit secundum perfectiones puras sive simpliciter simplices, ac praesertim secundum rationem entis quae est perfectio maxime pura [3]. Constat autem has

---

1 De abstractione totali eiusque differentia ab abstractione formali ac de aliis modis abstractionis, videri potest I. M. RAMIREZ, *De ipsa Philosophia in universum secundum doctrinam aristotelico-thomisticam*, apud «La ciencia Tomista», 26 (1922), pp. 341-348, [et in hac editione *Opera omnia*, I, pp. 63-77].

2 ARISTOTELES, *V Topic.*, cap. 8, nn. 3-4, Opera, ed. Didot, t. I, p. 233, 10-24; S. THOMAS, *III Contra Gent.*, cap. 27, arg. 7, cap. 139.

3 S. THOMAS, *In I Sent.*, d. 8, 1, 1; d. 21, 1-2; *De Pot.*, 7, 5; I, 13, 11.

perfectiones puras esse proprias considerationes Metaphysicae. Cum ergo propria indoles Analogiae sit ut necessario et essentialiter imbibatur actu in analogatis, impossibile est eam intelligere ac definire in actu signato sine respectu ad analogiam proportionalitatis propriae, neque hanc sine respectu actuali ad usum vel exercitium eius in prima et summa re analoga quae est ens ut ens: quod est aequivalenter dicere analogiam ut sic definiri non posse sine actuali resolutione eius usque ad ipsum formale objectum Metaphysicae, quod est ens ut sic; et haec resolutio est propria Metaphysicae.

20. Quod quidem argumentum *confirmatur* ulterius ex eo quod, in omnium sententia, doctrina de Analogia est simpliciter necessaria ad Metaphysicam addiscendam, cum omnes aut fere omnes res et notiones metaphysicae sint analogicae[1]: qua ratione, ars analogandi iure dicenda est methodologia propria Metaphysicae, cum doceat modum proprium sciendi Metaphysicae. Atque tradere propriam methodologiam Metaphysicae, pertinet ex propriis ad Metaphysicam ipsam, iuxta illud S. Thomae: «Logica tradit *communem* modum procedendi [=methodum generalem] in *omnibus* aliis scientiis; modus autem *proprius* [=propria methodus] *singularum* scientiarum, in scientiis *singulis* [et a singulis scientiis] *circa principium* tradi debet»[2]. Ergo et ad Metaphysicam maxime

---

[1] «Et simile est de aliis rebus *analogis, quales sunt fere omnes metaphysicales*» (CAIETANUS, *De Analogia nominum*, cap. 5, n. 46, ed. cit., p. 42). Revera enim aliae scientiae particulares agunt de aliquo genere entis, nempe de aliquo *univoco*, cui forte adiungi possunt analoga vel saltem adspectus analogi; sed Metaphysica pro obiecto formali habet aliquod analogum, quod nullo modo potest esse univocum, nempe ens in quantum ens. Doctrina ergo de Analogia non solum est necessaria secundum quid ad Metaphysicam addiscendam, hoc est, ad melius et facilius addiscendam, sed *simpliciter*: «est siquidem eius notitia *necessaria adeo*, ut sine illa *non possit* Metaphysicam *quispiam* discere; et *multi* in aliis scientiis ex eius ignorantia errores procedant» (CAIETANUS, *De nominum Analogia*, cap. 1, ed. cit., p. 3). Quod est aequivalentur dicere eam esse *simpliciter* necessariam ad Metaphysicam acquirendam et exercendam, et *secundum quid* ad alias scientias addiscendas.

[2] *In II Metaph.*, lect. 5, n. 335.

spectat doctrinam tradere de ipsa Analogia, sicut ad eam pertinet hac doctrina uti.

21. Neque argumenta in favorem alterius sententiae contrarium demonstrant.

Non primum. Quia, licet analoga ut adunantur in uno nomine analogo sint quodammodo media inter pure aequivocata adunata sub uno nomine aequivoco et univoca adunata sub uno nomine univoco; attamen secundum conceptum formalem et obiectivum et secundum ipsas res, analogia transcendit extrema illa, et ideo non potest perfecte definiri per solam viam remotionis seu negationis ab univocis et a pure aequivocis, sed oportet ulterius adhibere viam eminentiae qua positive notificetur per resolutionem ad supremum modum Analogiae signatae et exercitae, qui est analogia proportionalitatis propriae in ente communi reali.

Quae cum ita sint, in processu definitionis vel notificationis Analogiae, ideoque in tota eius theoria, terminus *a quo* est logici, sed terminus *ad quem* est *metaphysici*. Constat autem *primatum* deberi termino *ad quem*, cum se habeat ad terminum *a quo* ut forma et finis: non enim habetur scientia in termino *a quo* investigationis, sed in termino *ad quem*[1]. Nisi quis ergo transcendat Logicam et ingrediatur Metaphysicam, non poterit scientiam habere Analogiae.

22. *Neque secundum*, quia Analogia in communi non est proprie loquendo universale logicum. Est enim universale duplex. Unum *proprie* dictum, quod est universale *univocum* adaequate divisum in quinque praedicabilia, quae sunt genus, differentia, species, proprium et accidens[2]: et consideratio huius universalis proprie spectat ad Logicam, cum revera ei conveniat plene et perfecte

---

[1] Cf. S. THOMAM, *In librum Boetii de Trinitate*, 6, 2.

[2] «Omne, quod de pluribus *univoce* praedicatur, vel est genus, vel species, vel differentia, vel accidens, aut proprium» (S. THOMAS, *I Contra Gent.*, cap. 32, arg. 3).

secunda intentio universalitatis[1]. Aliud est universale *large et improprie* dictum, quod est universale *analogum* et trascendens, sicut entitas, unitas, veritas, bonitas et ipsa analogia, quae transcendens est et transcendentalibus necessario et essentialiter imbibitur[2]: et hoc universale non est perfecte secunda intentio universalitatis, cum non sit perfecte et totaliter abstractum a suis inferioribus, sed imperfecte tantum et secundum quid, eo modo eaque ratione quibus secundum quid tantum et imperfecte abstrahit ab inferioribus in quibus simpliciter imbibitur actu implicite; et ideo ab eis abstrahit potius abstractione formali, qua abstrahitur forma et perfectio pura ab imperfectis essendi modis, quam abstractione totali[3].

Hoc ergo universale, quod melius diceretur *commune*[4],

---

[1] Cf. S. THOMAM, *De ente et essentia*, cap. 3, ed. Roland-Gosselin, O.P. Bibliothèque thomiste, t. VIII, pp. 23-29. Paris 1926.

[2] «Genus dupliciter potest accipit. Uno modo *proprie*, prout praedicatur de pluribus in eo quod quid; et sic neque bonum neque malum sunt genera, sed sunt in transcendentalibus, quia bonum et ens convertuntur. Alio modo *communiter*, ut genus dicitur omne id quod sua communitate multa ambit et continet; et sic bonum et malum dicuntur genera omnium contrariorum» (S. THOMAS, *In II Sent.*, d. 34, 2 ad 1). Et alio in loco: «contrariorum, inquit, quaedam sunt *univoca*, et ista sunt, *vel in uno genere proximo* ut album et nigrum in genere coloris..., *vel in contrariis generibus proximis*, sicut castitas et impudicitia quae sunt sub virtute et vitio..., quaedam vero sunt *aequivoca* [=analoga], sicut bonum quod circuit omnia genera sicut et ens, et similiter malum: et ideo bonum et malum dixit [Aristoteles] *nec in uno genere nec in pluribus, sed ipsa esse genera, prout genus dici potest id quod genera transcendit, sicut ens et unum*» (*De malo*, 1, 1 ad 11). Videri etiam potest CAIETANUS, *In Praedicamenta Aristotelis*, De oppositis, ed. cit., p. 223.

[3] «In Analogo... abstractio quaedam, quae non tam abstractio quam quidam abstractionis modus» invenitur (CAIETANUS, *De nominum Analogia*, cap. 5, n. 56, ed. cit., pp. 48-49). «Unde nihil aliud est dicere ens abstractum a naturis praedicamentorum abstractione *formali*, quam dicere naturas praedicamentales proportionales ad sua esse ut sic praecise; a specialibus autem seu singulis analogiae rationibus extremis, non tertio conceptu simplici sed voce communi et identitate proportionali earumdem, quodammodo abstrahit» (*ibid.*, n. 58, p. 50). Et ideo universale analogum est quidem communius quam singula analogata sub eo contenta ut *res* analoga vel *modi* analogiae, «non tamen genus, aut species, aut proprium, aut deffinitio, aut differentia, aut accidens universaliter est» (*Op. cit.*, cap. 6, n. 70, p. 57).

[4] «*Commune*, quantum est de se, non determinat rei communitatem vel rationis sicut universale» (S. THOMAS, *In I Sent.*, d. 19, 4, 2

non est formaliter secunda intentio, sed in recto dicit intentionem primam, connotando tamen secundam aut modum diminutum secundae aliqualiter et in obliquo; et ideo proprie exit limites considerationis Logicae, ut plene cadat sub consideratione Metaphysicae.

Neque urget amplius id quod in eius confirmationem additur, nempe universalitatem analogiae fieri per actum comparativum sicut universale logicum; nam haec comparatio non differt in analogia ab actu absoluto quo cognoscitur propria analogiae essentia ut universale metaphysicum, quia ipsa essentia metaphysica analogiae comparationem importat, sicut essentia metaphysica relationis relationem importat. Non enim comparatio cognoscitur actu comparativo sed absoluto, ut aliae essentiae metaphysicae, sicut relatio non fit alia relatione. Qua de causa, communitas Analogiae plus habet de universali metaphysico quam de universali logico, eiusque totalitas plus accedit ad rationem totius definibilis quam totius universalis, sicut et eius abstractio potius est formalis quam totalis [1].

Itaque dicendum est ad Metaphysicam maxime pertinere theoriam facere de Analogia, utentem tamen Logica et aliis Philosophiae partibus ad suum propositum osten-

---

ad 2); sicut individuum *vagum* est commune et indeterminatum respectu individui *signati*, cum tamen non sit universale respectu eius, neque perfecte a individuis signatis abstrahat, eo quod illa non continet in potentia sed in actu, licet implicite tantum et in confuso. Et hic modus universalitatis convenit proprie analogiae. Neque individualitas vel personalitas vage sumpta et in communi est proprie loquendo secunda intentio, sed prima, cum sit essentialiter forma substantiae primae qua talis, quae non dicit intentionem logicam, sed *rem* naturae. Qua de causa, dixit S. Thomas quod «nomen *persona* non est nomen negationis neque intentionis, sed nomen rei» (I, 30, 4c.). Cf. etiam *I Sent.*, d. 25, 2-3; *De Pot.*, 9, 2 ad 1; I, 30, 4: insuper IOANNES A S. THOMA, *Cursus Philosophicus*, *Logica*, II P., q. 9, a. 2, ed. cit., t. I, pp. 430-435; *Cursus Theologicus*, in I, 29-30, disp. 14, a. 1, nn. 12-26, ed. Coloniae Agrippinae 1711, t. III, pp. 118-123.

[1] De toto universali et de toto definibili videri possunt S. THOMAS, *in I Physic.*, lect. 1, nn. 7, 9, 11; I, 82, 3c. et ad 2, cum expositione CAIETANI, nn. 7 et 9; CAIETANUS, *Comment. in De ente et essentia*, q. 1, n. 3, ed. Laurent. O. P., pp. 2-4, Taurini 1934.

dendum, sicut facit ubique per totam longitudinem, latitudinem et profunditatem rerum quas considerat ex propriis [1].

23. Et hoc etiam videtur magis respondere menti S. Thomae et Aristotelis. Exponens enim analogiam boni, quam innuerat Aristotelis, scribit: «Qualiter bonum dicatur secundum unam vel diversas rationes de bonis, oportet nunc [in Ethica] relinquere, quia *per certitudinem determinare de hoc pertinet* magis ad aliam Philosophiam, scilicet *ad Metaphysicam*» [2]. Similiter commentatores graeci. Ait enim Heliodorus: ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἀφετέον νῦν· ἐξακριβοῦν γὰρ ὑπὲρ αὐτῶν ἄλλῃ ἂν εἴη φιλοσοφίᾳ οἰκειότερον· οὐ γὰρ τῇ ἠθικῇ ταῦτα προσήκει. ὁμοίως δὲ καὶ τὸ περὶ τῆς ἰδέας λέγειν καθόλου. Θεολογικοῦ γάρ τινος καὶ τοῦτο [3]. Multoque limpidius Eustratius Nicaenus: περὶ τοῦ τρόπου τῆς ὁμωνυμίας, καθ' ὃν ἀγαθὰ πάντα τὰ ἀγαθὰ λέγεται, παραιτεῖται ['Αριστότελες] νῦν ἐξετάζειν, ὡς οὐ τῆς ἠθικῆς ὂν φιλοσοφίας ἢ τινος ἄλλης ὑπὸ τὴν πρακτικὴν τὸ περὶ τούτων ἐξακριβοῦν ἀλλὰ τῆς μετὰ τὰ φυσικά, ἧς ἐν τῷ Δ περὶ τῶν πρεοναχῶς λεγομένων ἐξακριβοῦται [4]. Quod autem dicitur de bono, eodem iure dicendum est de vero et de uno et de ente et de omnibus transcendentalibus et de ipsa Analogia, quae transcendentalis est, cum transcendat praedicamenta sicut ens. Non enim ad Metaphysicam spectat agere solum de *rebus* ei subiectis, sed etiam de *intentionibus* nominum earum, hoc est, de nominum metaphysicorum multiplici significatione analogica, inter quae est ipsa Analogia non minus

---

[1] Utitur enim Metaphysica ad suum finem omnibus aliis scientiis inferioribus, sicut Theologia Sacra utitur ad suum proprium omnibus scientiis ordinis naturalis, etiam, et quidem potissime, ipsius Metaphysicae (Cf. in *I Sent.*, prolog. a. 1c.; *II Contra Gent.*, cap. 4; I, 1, 5 ad 2). Qui tamen usus non est actus scientiarum inferiorum, sed Metaphysicae vel Theologiae Sacrae.

[2] *In I Ethic. Nicom.*, lect. 8, n. 97.

[3] HELIODORUS, *in Ethica Nicomachea Paraphrasis*, lib. I, cap. 10 ed. G. Heylbut (Commentaria in Aristotelem graeca, vol. XIX, P. II) p. 11, 2-5. Berolini 1889.

[4] EUSTRATIUS, *in Ethica Nicomachea Commentaria*, lib. I, cap. 4 ed. G. Heylbut (Comment. in Aristotelem graeca, vol. XX), p. 56, 11-14 Berolini 1892.

quam actus et potentia, et principium et causa, et necessitas et contigentia, aliaeque sexcenta, ut docet ipse S. Thomas hisce verbis: «quia ea, quae in hac scientia [=Metaphysica] considerantur, sunt omnibus communia, nec dicuntur univoce sed secundum prius et posterius de diversis..., ideo *prius* distinguit *intentiones* nominum quae in huius scientiae consideratione cadunt, *secundo* incipit determinare de *rebus* quae sub consideratione huius scientiae cadunt» [1]. Sicut ergo ad Theologiam Sacram pertinet proprie et elicitive non solum agere de *rebus* divinis sed etiam de divinis *nominibus* [2]; ita etiam spectat ad Metaphysicam elicitive et proprie tractare non solum de *rebus* verum etiam de *nominibus* metaphysicis.

Insuper analogia est essentialiter proportio, ut omnes admittunt. Atqui, iuxta S. Thomam «proportio, quaedam *relatio realis est*» [3]. Ergo analogia est essentialiter quid

---

[1] *In V Metaph.*, lect. 1, n. 749.

[2] Sibi enim *obiicienti* S. Thomas quod ad theologum non videtur pertinere tractatus de *nominibus*, «quia *non est eiusdem scientiae* considerare *res* et *nomina*», respondet «quod *Theologia*, in quantum est *principalis omnium scientiarum, aliquid* in se habet de *omnibus scientiis*; et ideo non solum *res*, sed *nominum significationes* pertractat: quia ad salutem consequendam non solum est necessaria *fides* de veritate rerum, sed etiam vocalis confessio per *nomina*, [iuxta illud] Rom. 10, 10: *corde* creditur ad iustitiam, *ore* autem confessio fit ad salutem» (*In I Sent.*, d. 22, exp. textus). Si enim fides *elicitive* «*confessionem* producit tanquam *proprium* actum, nulla alia virtute mediante» (II-II, 3, 1 ad 3), et non solum actum interiorem qui est *credere*; eadem ratione Theologia Sacra, quae scientia fidei est, debet etiam *elicitive*, nulla alia scientia mediante, agere non solum de *rebus* sed et de *nominibus* seu formulis fidei. Evidenter ergo tractatus de nominibus Dei, hoc est, *de Analogia nominum divinorum*, ut habetur v. gr. in I, 13, est Theologiae Sacrae elicitive et immediate et non mere imperative et mediante Grammatica vel Logica. Et similiter *universalis* tractatus de nominum Analogia est elicitive et immediate scientiae *universalis de rebus* analogicis, quae non est Logica neque Grammatica, sed Metaphysica.

[3] *De Pot.*, 7, 10, obi. 9: quam propositionem concedit, ut patet ex eius responsione. Ceterum eam ex professo docet *in V Metaph.*, lect. 17, nn. 104-108, ubi, postquam docuit quod relatio «quae est in rebus», id est *realis*, consistit in *ordine* quodam unius *rei* ad aliam *rem* (n. 104), ponit inter huiusmodi relationes reales illam quae fit «secundum quod quantitas unius *rei* potest *mensurari* per aliam»: et ad hanc relationem mensurationis reducit *proportionem* (nn. 1.007-1.008). Quod

reale seu metaphysicum, et non quid mere intentionale sive logicum.

Quae cum ita sint, theoriam de Analogia confecturi in prima huius Opellae parte, omnes, aut certe primas partes tribuemus Metaphysicae.

---

si proportio mathematica inter quantitates dimensivas, quae reales sunt est relatio realis; *a fortiori* proportiones metaphysicae inter quantitates virtuales, quae realissimae sunt, debent esse realissimae relationes Quam ob rem nervosse scribit S. Doctor: «*proportio* quae est inter animam et corpus est in ipsis proportionatis», et non in solo intellectu sicut intentiones logicae (*De Anima*, 9 ad 12).

PARS PRIOR
THEORIA ANALOGIAE

24. Aristoteles eiusque commentatores graeci, arabes, latini, saepissime *usi* sunt Analogia, nullus tamen eorum *theoriam* ipsius fecit ut *doctrinam* tradederet completam, sed notiones quasdam et divisiones, prout se offerebat occasio eis utendi, pluribus in locis sparserunt.

Haec tamen omnia colligens multumque locupletans, non sine ingenti labore, primus omnium *Doctrinam* de Analogia data opera tradidit Thomas de Vio Caietanus, O. P. (1469-1534), in suo opusculo *De nominum analogia,* conscripto anno 1498, probabiliter inter diem decimam tertiam iulii et primam diem septembris [1]. Quam opellam thomistae magno cum plausu susceperunt [2], ab

---

[1] Die enim decima tertia iulii complevit opusculum suum *De monte Pietatis* (ed. N. Zammit, O. P., *Opuscula oeconomico-socialia Caietani,* p. 89. Romae 1934), die vere prima septembris opusculum *De nominum analogia* (ed. Zammit, p. 93. Romae 1934); hoc est, tempore vacationum aestivarum, ut ipsemet narrat: «*de nominum analogia* in his vacationibus tractatum edere intendo» (ed. cit., cap. 1, p. 3).

[2] Exempli causa, FERRARIENSIS, O. P.: «alias dificultates, quae circa nominum analogiam occurrunt, si vis ad plenum intelligere, vide *ingeniosissimum opus de Nominum Analogia* Reverendissimi Thomae Caietani, Cardinalis Sancti Xisti» (*In I Contra Gen.*, cap. 34, n. 11, ed. leon. t. 13. p. 107a); RAPHAEL PIPA, O. P.: «*nunquam satis laudatus* De nominum analogia tractatus» (*In Opusc. S. Thomae De ente et essentia,* cap. 1, q. 2, a. 3); DIDACUS MAS, O. P.: «qui inter omnes tractationem hanc [de Analogia] et eruditissime et acutissime absolvit, is est Cardinalis Caietanus in illo aureo opere De nominum analogia et in altero opusculo de hoc eodem genere argumenti [=De conceptu entis] ad

eaque tam ipsi quam alii posteriores theoriam analogiae magna ex parte mutuati sunt [1], quadam tamen cum libertate plerumque, ut vere sapientes decet.

---

telis Logicam una cum quaestionibus quae a gravissimis viris agitari solent: in Antecategorias, cap. 6, Disp. de ente, cap. 1, t. 1, p. 366. Moguntae, 1617); IOANNES SANCHEZ SEDEÑO, O. P.: «hanc materiam *exactissime* tractavit Caietanus opusculo *de nominum analogia*» (*Commentarii in Aristotelis Logicam*, lib. III, q. 2, p. 391a. Salmanticae 1600). FRANCISCUS DE ARAUJO, O. P.: «insigne et omnibus numeris absolutum opusculum» (*Comment. in Universam Aristotelis Metaphysicam*: in lib. IV, q. 2, a. 3, t. I, p. 436. Salmanticae 1631); COMPLUTENSES CARMELITANI: «quorum [Aristotelis et S. Tomae] mentem veramque analogiae notitiam, inter alios, assecutus est plene Caietanus in aureo illo opusculo De nominum analogia» (*Op. supra cit.*, *in Dialecticam Aristotelis*, disp. 10, n. 1, ed. cit., p. 164); IOANNES A S. THOMA, O. P.: «difficultates de analogia, quae satis metaphysicae sunt, ita copiose et subtiliter a Caietano disputatae sunt in opusculo De analogia nominum, ut nobis locum non reliquerit quidquam aliud excogitandi» (*Cursus phil. Logica*, II P., q. 13, a. 3, ed. cit., t. I, pp. 481b, 30-35). DIDACUS ORTIZ, O. P.: «de quibus D. Caietanus edidit speciale opusculum nunquam satis digne laudatum» (*Cursus philosophicus*, t. II, tract. 4, conferentia prima, n. 571, p. 446, typis ducalis monasterii Campidonensis, 1667).

Ac recentioribus temporibus, Cardinalis FRANCISCUS SATOLLI: «*nullus Caietano praeferendus* in hac parte videbitur, qui tam profunde et proprie de nominum Analogia disceptaverit» (Op. et loc. supra cit., p. 518); Card. IOSEPHUS PECCI vocat opellam «veramente aurea» (*Parafrasi e dichiarazione dell'Opuscolo di S. Thommaso De ente et essentia* cap. 2, n. 2, apud L'Academia romana di S. Tommaso d'Aquino, 2 (1882), p. 136. Romae 1882); MICHAEL DE MARIA, S. J., appellat ipsum *praestans, praeclarum, perinsigne* opusculum: «in eo enim, ut cuilibet legenti apparebit, peripateticam Aquinatis doctrinam de diversis Analogiae modis ac rationibus tanta abundantia ingenii tantoque mentis acumine exponit ac defendit, ut omnibus veritatem quaerentibus Aquinatis mens atque sententia circa litigiosam hanc difficilemque quaestionem dubita atque obscura haudquaquam esse possit» (*Prologus* in novam editionem opusculi Caietani De nominum Analogia, pp. 3-4 Parisiis 1884). Quapropter alio in loco subiungit: «ducemque in hac re sequemur Caietanum, qui *praestantissimum* exaravit De nominum analogia opusculum» (*Philosophia peripatetico-scholastica*², Ontologia P. I, q. 2, t. I, p. 342. Romae 1898).

Tandem M. DE MUNNYNCK, O. P.: «qu'on reprenne l'opuscule de Cajetan De nominum analogia, il contient des trésors» (*L'analogia metaphysique* apud «Revue Neo-scolastica de Philosophie», 25 (1923), p. 152); et G. M. MANSER, O. P.: «Unterblich wird immer Cajetanus Schrift De nominum analogia bleiben) (*Das Werssen des Tomismus*², p. 352, Freiburg i. d. Schweiz, 1935.

[1] Quod et ipsi ultro fatentur, ut videre est in CONRADO KOELLIN (*Expositio commentaria prima subtilissima simulque lucidissima cunctique Theologicae facultatis secundum quamcumque opinionem studi*

Nihilominus fatendum est haec opera, sicut et ceteroquin alia recentiora quae ex eis plus minusve incorrupte promanarunt —licet aliunde optima contineant—, plerumque mutila ac saepe parum digesta et ordinata esse, nec semper prudenti critica fontium instructa.

His ergo aliisque id genus mederi intendentes quantum in nobis est et materia ipsa tractanda permittit, totam theoriam de Analogia reducimus ad tres sectiones videlicet:

Sect. I. De natura Analogiae.

Sect. II. De divisione eius.

Sect. III. De eius proprietatibus.

De facto enim ad has tres quaestiones, quae ad amussim respondent tribus operationibus mentis, omnia, quae de re aliqua cognosci possunt, reducuntur; nam ad *primam*, quae est apprehensiva essentiae, pertinet *definitio;* ad *secundam, divisio*, quae forma quaedam iudicii est; ad *tertiam*, attributa vel *proprietates*, quae ex definitione deducuntur per *syllogismum* apodicticum.

---

sis maxime necessaria in Primam Secundae Angelici Doctoris S. Thomae Aquinatis, q. 61, a. 1 ad 1, p. 416a. Venetiis 1589), Didaco Mas (*Op.* et *loc. cit.*, p. 366: «quem certe tanquam antesignanum in hac disputatione potissime sequemur, innitentes iis quae D. Thomas cum in aliis locis tum vel maxime I lib. Sent. dist. 19, q. 5, a. 2 ad 1; q. 7 de Pot., a. 7 et 8 et Contra Gent. cap. 34, de Analogia nobis conscripta reliquit»); Complutensibus Carmelitanis (*Op.* et *loc. cit.*, p. 164); Michaele Zanardi, O. P. (*Commentaria cum quaestionibus in duodecim libros Metaphysicae Aristotelis*: in IV Metaph., cap. 1, de multiplici analogia iuxta doctrinam Domini Caietani, p. 44. Venetiis 1615); Paulo Cauvino de Nicaea, O. P. (*Cursus Philometaphysicus, scilicet continens tum universae Philosophiae cum famosiores Metaphysicae speculationes*, t. I, tract. 4, disp. 2, p. 236. Bononiae 1692), et aliis.

SECTIO PRIMA

DE NATURA ANALOGIAE

25. Quaerere naturam Analogiae idem est ac investigare eius definitionem vel descriptionem. Est autem nobis connaturale in definitionibus inquirendis, sicut in aliis ad intellectum pertinentibus et sensum transcendentibus, a sensibilibus incipere, eo quod omnis nostra cognitio intellectualis incipit a sensibilibus, iuxta illud: nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu [1]. Cum ergo nomen Analogiae se habeat ad rem tali nomine expressam ut signum sensibile ad rem intelligibilem eo significatam —*audimus* enim nomen ore prolatum, aut *videmus* nomen scriptum—, necesse est in investigatione definitionis Analogiae incipere a significatione sive definitione nominis eius [2]: eo vel magis quod, ut scite animadvertit S. Albertus Magnus, «nomen nihil est aliud nisi *implicita definitio*, et definitio [realis] est nominis [seu rei nominatae] per singula *explicatio*» [3]; quandoquidem, ut addit S. Thomas, «*ratio, quam significat nomen,* est *definitio*» [4], quae est terminus cognitionis intellectualis; «*incipit* enim

---

[1] «Circa idem virtus superior et inferior operantur, non similiter, sed superior sublimius. Unde et per formam, quae a rebus accipitur, sensus non ita efficaciter rem cognoscit sicut intellectus: sed sensus per eam manuducitur in cognitionem *exteriorum* accidentium; intellectus vero pervenit ad *nudam quidditatem rei,* secernendo eam ab omnibus materialibus conditionibus. Unde pro tanto dicitur cognitio mentis a sensu originem habere: non quod omne illud quod mens cognoscit, sensus apprehendat; sed quia *ex his,* quae sensus apprehendit, mens in aliqua ulteriora manuducitur: sicut etiam sensibilia, intellecta, manuducunt in intelligibilia divinorum» (S. THOMAS, *De Verit,* 10, 6 ad 2. Cf. etiam I, 78, 4 ad 4).

[2] Ad rem iterum S. THOMAS: «sunt autem multa genera eorum quae interius latent, ad quae oportet cognitionem hominis quasi intrinsecus penetrare. Nam sub accidentibus latet natura rerum substantialis; *sub verbis latent significata verborum; sub similitudinibus et figuris latet veritas figurata*» (II-II, 8, 1c).

[3] S. ALBERTUS MAGNUS, *In I Ethic. Nicom.*, tract. 5, cap. 2, ed. cit., t. 7, p. 59a.

[4] S. THOMAS, *In I Periherm.*, lect. 2, n. 10.

cognitio *rei* ab aliquibus *signis exterioribus* [inter qua est *nomen*] quibus *pervenitur* ad cognoscendam *rei definitionem*: quo, cum perventum fuerit, habetur *perfecta cognitio de re*»[1].

---

[1] S. THOMAS, *In IV Metaph.*, lect. 19, n. 1.048. Quomodo se habea definitio nominalis ad definitionem realem explicat eleganter Caietanu hisce verbis: «definitio quid *nominis* ita differt a definitione quid *re* sicut ipsum quid *nominis* differt a quid *rei*. Haec autem duo ex ho differunt, quod alterum est *rei* significatae quidditas, alterum ast *quiditas* ipsius *nominis*. *Huius ratio in significatione consistit*, et proptere definitio quid *nominis* nihil aliud est quam *nominis interpretatio*. Definitio autem quid *rei* est *essentialium ipsius rei explicativa oratio*. Unde etsi *utraque* definitio explicet *quid per nomen importetur*, *illa* tame *nominis significationem declarando*, *ista* autem *rem significatam distincte dilucidando a prima potentia usque ad ultimum actum*» (*I II Post.*, cap. 6, § circa tertiam conclusionem, fol. 89, col. 4. Venetii impensis nobilis viri Luceantonii de Giunta, florentini, die 8 mens iulii 1519). «Et haec est essentialis differentia inter quid nominis quid rei, scilicet quod quid *nominis* est *relatio nominis ad signatu* quid vero *rei* est *rei relatae seu significatae essentia*» (*In Opuscul S. Thomae De ente et essentia*, q. 1, a. 8, ed. H. Laurent, O. P., p. Taurini 1934).

CAPUT I

DEFINITIO NOMINALIS ANALOGIAE

26. Nomen ἀναλογία, apud graecos usitatissimum, primus Tullius Cicero in linguam proxime transtulit latinam, ut ipsemet narrat hisce verbis: «quae grece ἀναλογία, latine— audendum est enim, quoniam *haec primum a nobis novantur*— *comparatio proportiove* dici potest» [1]. Et paucis interiectis, haec verba Platonis: οὕτω δή, πυρός τε καὶ γῆς ὕδωρ ἀέρα τε ὁ Θεὸς ἐν μέσῳ θείς, καὶ πρὸς ἄλληλα καθ' ὅσον ἦν δυνατὸν ἀνὰ τὸν αὐτὸν λόγον ἀπεργασάμενος, ὅ, τι περ πῦρ πρὸς ἀέρα, τοῦτο ἀέρα πρὸς ὕδωρ, καὶ ὅ, τι ἀὴρ πρὸς ὕδωρ, τοῦτο ὕδωρ πρὸς γῆν [2], ita latine vertit: «ita contigit ut inter ignem et terram aquam Deus animamque poneret, eaque inter se *compararet et proportione coniungeret*, ut, quemadmodum ignis animae, sic anima aquae; quodque anima aquae, id aqua terrae proportione redderet» [3]. Licet aliquando verbum ipsum graecum relinquat prout iacet, ut videre

---

[1] CICERO, *Timaeus sive de Universalitate*, cap. 4. Opera. Ed. Olivet, t. III, p. 592. Genevae 1758.
[2] PLATO, *Timaeus*. Opera, ed. Didot, t. II, p. 206, 24-28.
[3] CICERO, *Op. et loc. cit.*, p. 593.

est in his verbis ad Atticum: «sed primo me ἀναλ deceperat Φλιοῦς, Ὀποῦς, Σιποῦς, quod Ὀποῦντιοι, Σιποῦντιοι

Postmodum vero amicus eius Terentius Varro lat tate donavit[2], indeque iura civitatis in lingua latina ve acquisivit, ita ut Seneca scribere potuerit: «utar e illo [nomine] non tantum tamquam accepto, sed t *quam usitato*»[3]. Quemadmodum igitur latini in propr linguam cooptarunt verba graeca, Φιλοσοφία, Θεολογία, sexcenta; ita et verbum, ἀναλογία, eodem sensu eadem frequentia eo utentes sicut graeci: licet S. Augusti renitatur adhuc, cum dicit: graecum nomen, ἀναλ nostri quidam[4] *proportionem* vocaverunt, *quo non utamur, si placet; non enim libenter,* nisi necessit

---

1 *Epist. ad Atticum*, lib. 6, epist. 2, ed. cit., t. VIII, p. 263.

2 *De lingua latina*, lib. 8-10, passim, ed. L. Spengel, pp. 164-26 rolini 1885. Ad quem alludere videtur Seneca, dum scribit: «hoc ve cum *latini grammatici* civitate donaverint, ego [damnandum] non in civitatem suam redigendum» (*Epist. morales*, lib. 3, epist. 3, Opera, F. Haase, t. III, p. 397. Lipsiae 1872).

3 *Op.* et *loc. cit.*, p. 397.

4 Ita communiter auctores latini, post Tullium Ciceronem, verl nomen ἀναλογία. Liceat nobis referre nonnullus. TERENTIUS VARRO cam... quid ratio quam appellant λόγον quid *proportione* quod (ἀνάλογον» (*Op. cit., lib.* 10, § 2, p. 237, 10-12); «sequitur... quae sit *proportione*: ea graece vocatur ἀνάλογον, ab analogo dicta ana (*Ibid.*, § 37, p. 248, 19-20). MARCUS VITRUVIUS: «aedium compositio c ex symmetria, cuius rationem diligentissime architecti tenere d ea autem paritur a *proportione*, quae graece ἀναλογία dicitur» (*De tectura*, lib. 3, cap. 1, p. 101. Argentorati 1550). QUINTILLIANUS: ἀν ...quam proxime ex graeco transferenter in latinum *proportionem* verunt» (*Instit. Orat.*, lib. 1, cap. 6, nn. 3-4, ed. Georg. Lud. Sp t. I, p. 151. Parisiis 1821). AULUS GELLIUS: ἀναλογία est similium declinatio, quam quidam latine *proportionem* vocant» (*Noctes A* lib. 2, cap. 25, t. I, p. 129. Biponti 1784); «ratio *proportionis* ἀναλογία appellatur» (*Op. cit.*, lib. 15, cap. 9, t. II, p. 140). DIC ἀναλογία apud nos, idest *proportio*, praetermissis graecorum amb simplici modo tam in verbis quam in nominibus observatur» (*Ars maticae*, lib. 1, Grammatici latini, ex recensione Henr. Keilli p. 384, 15-16. Lipsiae 1857); «quam graeci ἀναλογία vocant quid nostris *proportionem*» (*Op. cit.*, lib. 2, p. 456, 5-6). MARIUS S HONORATUS: ἀναλογία dicitur ratio declinationis nominum inter s parte similium; latine *proportio* vocatur» (*Comment. in Artem maticae*] *Donati*, Grammatici latini, ex recensione H. Keilli. t. IV, 15-16. Lipsiae 1864). MARTIANUS CAPELLA: ἀναλογία est igitur, quae *proportio* dicitur, observatio similium inter se loquelarum» (*De

graeca vocabula in *latino* sermone usurpaverim»[1]. Et alio in loco: «unde *conrationalitas* quaedam —ita enim *malui* analogiam vocare— ut, quam rationem habet longitudo ad impertilem notam, eamdem longitudo ad latitudinem et ad latitudinem habeat altitudo» in animalium et arborum corporibus?[2].

Sed oportet, id quod caput est, magis presse videre, tum sensum verbi ἀναλογία apud ipsos graecos, cum etiam quomodo ex amussim ei respondeat verbum latinum comparatio vel proportio.

Apud graecos igitur nomen ἀναλογία primo inventum et adhibitum est a mathematicis ad significandam *habitudinem* quamdam seu *relationem commensurationis* quantitatis ad quantitatem, sive continuae ad continuam sive discretae ad discretam, nempe quatuor aut plurium quantitatum homogenearum inter se.

Distinguebant enim mathematici λόγον, ἀνάλογον et ἀναλογίαν. Simplex λόγος est relatio seu habitudo *commensurationis duarum* quantitatum *homogenearum*; exempli gratia, senarii ad ternarium est ratio seu relatio dupli: nimirum, ut ait Euclides, λόγος ἐστί δύο μεγεθῶν ὁμογενῶν ἡ κατὰ πηλικότητά ποια σχέσις.[3].

27. Λόγος vero composita sive comparata est ratio *duarum aut plurium* rationum, hoc est, relatio seu *habi-*

---

philologiae et Mercurii; et septem artibus liberalibus libri novem, lib. 3, p. 80. Lugduni 1592); «...nam *proportio* dicenda est, grai [=graeci] ἀναλογίαν quam vocant» (*Ib.*, paulo antea). Quam versionem ipse Augustinus admittit adhibetque cum dicit: «extremorum cum medio et medii cum extremis in illa, quae graece ἀναλογία dicitur, *proportione* consensio est» (*De musica*, lib. 1, cap. 12, n. 24. ML. 32, 1.097.

[1] S. AUGUSTINUS, *De musica*, lib. 1, cap. 12, n. 23. ML. 32, 1.097.

[2] *Op. cit.*, lib. 6, cap. 17, n. 57, col. 1.192. Qua de causa JOANNES SCOTUS ERIUGENA graecum ἀναλογία et ἀναλόγως latine reddit plerumque proportio, corrationalitas, corrationabilitas, proportionaliter, proportionalibiter, conrationabiliter; quandoque verso analogia; HILDUINUS autem, e contra, semper habet analogia, analogice (Cf. G. THERY, O. P., *Etudes Dionysiennes*. t. II: Esquisse d'un lexique comparé, la terminologie d'Hilduin et de Jean Scot, p. 428. Paris 1937).

[3] EUCLIDIS *Elementa*, lib. 5, n. 3. Opera, ed. I. L. Heiberg, t. II, p. 2, 6-7. Lipsiae 1884.

tudo commensurationis duarum vel plurium rationum, et vocari solet *identitas* vel *aequalitas* earum; v. gr., aequalis est ratio sive relatio senarii ad ternarium et denarii ad quinarium, nempe ratio seu relatio dupli: sicut enim senarius est duplus ternarii, ita denarius est duplus quinarii. Et huiusmodi λόγος composita seu aequalitas rationum proprie appellatur ἀναλογία, quae postulat saltem quatuor terminos eo ipso quod est ad minus inter duos λόγους, quorum unusquisque duos terminos relationis commensurationis exigit: ἡ γὰρ ἀναλογία, inquit Aristoteles, ἰσότης ἐστὶ λόγων καὶ ἐν τέτταρσιν ἐλαχίστοις [1]. Si enim sit ἀναλογία διῃρημένη, hoc manifestum est, ut apparet in exemplo allato; sin autem ἀναλογία συνεχής, reapse etiam sunt quatuor termini, quia uno materiali termino utitur bis sub respectu formali diverso, v. gr., ita se habet octonarius ad quaternarium sicut quaternarius ad binarium [2]. Quo in sensu recte dixit Euclides: ἀναλογία δὲ ἐν τρισὶν ὅροις ἐλαχίστη ἐστίν [3].

Sive autem λόγον sive ἀναλογίαν distinguunt in arithmeticam et geometricam. Prima fit secundum partes *aliquantas*; alia, secundum partes *aliquotas*. Et inde est quod τῆς ἀναλογίας ἀριθμητικῆς ratio seu medium est aequalitas *absoluta*, κατ' ἰσότητα dum μέσον τῆς ἀναλογίας γεωμετρικῆς est aequalitas *relativa* tantum et *mere proportionalis* κατ' ἀναλογίαν [4]. Ita est ἀναλογία ἀριθμητική cum dicimus: sic se habet denarius ad septenarium sicut quinarius ad binarium, quia utrobique est idem seu aequalis excessus trium unitatum, nempe denarii super septenarium et quinarii super binarium, aequalitate *absoluta*; e contra, est ἀναλογία γεωμετρική si dicamus: ita se habet denarius ad quinarium sicut senarius ad ternarium, quia denarius est *duplus* quinarii sicut senarius est *duplus* ternarii, licet

---

1 ARISTOTELES, *V Ethic. Nicom.*, cap. 3, n. 8. Opera, ed. Didot, t. I p. 55, 41-42.

2 ARISTOTELES, *Op. et loc.* cit., n. 9, p. 55, 42-47.

3 EUCLIDES, *Elementa*, lib. V, n. 8, ed. cit., p. 4, 7.

4 ARISTOTELES, *V Ethic. Nicom.*, cap. 3, n. 13; cap. 4, n. 3; cap. n. 6 (II, 56, 5-8; 56. 27 30; 57, 49-50).

denarius excedat quinarium in *quinque* unitatibus dum senarius excedit ternarium in *tribus* tantum. Et haec ἀναλογία γεωμετρική est quae primo et propriissime et κατ' ἐξοχὴν appellata est a mathematicis 'Αναλογία. Qua de causa, iure dixit Terentius Varro quod utuntur nomine «hoc acutissime *geometrae*» [1], cum geometrarum sit proprium per analogias procedere et analogias componere, ut scite animadvertit Origenes [2].

Denique binas quantitates mensuratas vel λόγους duos ad invicem comparatos et commensuratos, qua tales, apellant unumquemque ἀνάλογον, iuxta illud Euclidis: τὰ δὲ τὸν αὐτὸν ἔχοντα λόγον μεγέθη ἀνάλογον καλείσθω [3].

Quae omnia, ut in Grammatica modo simili reperiuntur, ita egregie describit Terentius Varro: «sequitur tertius locus, quae sit ratio proportione; ea graece vocatur ἀνάλογον, ab analogo dicta analogia.

Ex eodem genere quae res inter se aliqua parte dissimiles rationem habent aliquam, si ad eas duas alterae duae res collatae sunt, quae *rationem* habeant *eamdem*, quod ea verba bina habent *eumdem* λόγον, dicitur *utrumque separatim* ἀνάλογον, *simul* —*collata*— *quatuor*, ἀναλογία. Nam *ut* in geminis, cum *similem* dicimus esse Menaechmum Menaechmo *de uno* dicimus, *similitudinem* esse in his *de utroque*: *sic* cum dicimus *eamdem rationem* habere assem ad semissem quam habet in argento libella ad semibellam, quid sit ἀνάλογον ostendimus; cum *utrubique* dicimus et in aere et in argento esse eamdem rationem, tum dicimus de ἀναλογία

Ut Sodalis et Sodalitas, Civis et Civitas non est idem, sed utrumque ab eodem ac coniunctum: *sic* ἀνάλογον et ἀναλογία idem non est, sed item est congeneratum. Quare si homines sustuleris, sodalis sustuleris; si sodalis, soda-

---

[1] TERENTIUS VARRO, *De lingua latina*, lib. 10, § 42, ed. cit., p. 250, 6.

[2] «Κέλσος μὲν οὖν ἤτοι τῇ συνθέσει τῇ ἐπὶ τὰ ἄλλα, ἀνάλογον τῇ παρὰ τοῖς γεωμετραις καλουμένῃ συνθέσει, ἢ καὶ ἀναλογία ἀναλογον τῇ παρὰ τοῖς αὐτοις ἀναλογία, οἴεται γιγνώσκεσθαι τὸν θεόν» (*Contra Celsum*, lib. 7, n. 44, MG. 11, 1.484C); ed. Keetschan (Corpus Berolinense), Opera Origenis, t. II, p. 194, 22-28. Leipzig 1899.

[3] EUCLIDES, *Elementa*, lib. V, n. 6, ed. cit., p. 2, 17-18.

litatem: *sic item* si sustuleris λόγον sustuleris ἀνάλογον si id, ἀναλογίαν» [1].

Et vere huic significationi primaevae proportionis geometricae respondet nomen ipsum ἀναλογία.

Praepositio enim ἀνά, cum in compositionem venit prout revera accidit in verbo ἀνα-λογία, iterationem quamdam et quasi duplicationem importat aliquando [2]; et quidem per modum collationis seu comparationis ut in aequa distributione contingit, ita ut una pars pro alia vel sicut alia haberi possit. Quo in sensu Herodotus dicit: ἀνὰ πᾶσαν ἡμέρην, ἀνὰ πᾶν ἔτος, ἀνὰ πάντα ἔτεα [3]. Et similiter in Evangelic legimus [4]: ἔλαβον ἀνὰ δηνάριον; καὶ ἔλαβον καὶ αὐτοὶ ἀνὰ δηνάριον (acceperunt, *singulos* denarios); item [5]: χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο ἢ τρεῖς (capientes *singulae* metretas binas vel ternas). Nimirum ἀνὰ importat comparationem in ordine ad aequam distributionem, ita ut tantumdem sit una portio sicut alia: quo fit, ut praepositio ἀνὰ idem valeat ac praepositiones πρὸς, κατὰ, εἰς, quae vere signa sunt proportionis geometricae. Et inde phrases eiusdem sensus: κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον [6], ἀνὰ τὸν αὐτὸν λόγον [7], εἰς τὸν αὐτὸν λόγον [8]; κατὰ λόγον τινός [9], πρὸς λόγον τινός [10], ἀνὰ λόγον τινός [11].

Λόγος autem nominat computationem, calculationem

---

[1] *Op. cit.*, lib. 10, § 37-39, pp. 248, 19-23, 249, 1-14.

[2] Exempli gratia, in verbo ἀναβίωσις iteratio vitae, resurrectio, e ἀνάγνωσις recognitio, iterata cognitio. Cf. Henricus Stephanus, *Thesaurus linguae graecae*, v. ἀνά t. I, col. 301-302, Parisiis 1830-1858.

[3] Herodotus, *Historiae*, lib. II, n. 37, l. 3, ed. F. E. Legrand, t. I p. 91; n. 93, l. 3, p. 130. Parisiis 1936.

[4] *Mt.* 20, 9-10.

[5] *Ioan.* 2, 6.

[6] Herodotus, *Hist.*, lib. 1, n. 186, l. 15, ed. cit., t. I, p. 185. Parisiis 1932.

[7] Plato, *Phaedo*, n. 59, ed. cit., t. I, p. 87, 12; *Timaeus*, ed. cit., t. I p. 206, 26.

[8] Plato, *Civitas*, lib. I, prope finem, ed. cit., t. II, p. 21, 6.

[9] Herodotus, *Hist.* lib. 1, n. 134, l. 9, 12, 14-15, ed. cit., p. 152.

[10] Eschyles, *Septem.*, v. 519. Opera, ed. P. Mazon, t. II, p. 128. Parisiis 1920.

[11] Plato, *Timaeus*, ed. cit., t. II, p. 208, 45.

aestimationem, mensurationem, numerationem. Et inde λογίζομαι = calculare, computare; λογισμός = computatio; λογιστής = computator; λογιστήριον = locus ubi commorabant computatores: inde etiam Logistica = Logica Mathematica, et Logarithmus; sunt enim logarithmi (ex λόγος et ἀριθμός «numeri secundum proportionem arithemeticam quamcumque continue crescentes aut decrescentes, adiuncti numeris ab unitate inchoatis, et secundum proportionem geometricam continue crescentibus» [1]; aut brevius: «exponentes numerorum continue proportionalium proportione geometrica» [2].

Quae cum ita sint, merito dicuntur a graecis huiusmodi operationes inveniendi aut demonstrandi tales proportiones vel analogias, ἀναλογίσματα; easque exercere, ἀναλογίζομαι.

Porro verbis graecis, λόγος, ἀνάλογον, ἀναλογία, ex amussim respondent latina verba, ratio, proportionale vel proportionatum, et proportio sive comparatio.

28. *Ratio* enim, a verbo *reor* = computare, calculare, aestimare, idem est ac computatio, aestimatio, mensuratio, sicut et graecum λόγος; et inde phrases: rationem habere, rationem ponere, rationem petere, rationem reddere; et verba: ratiocinium (ratiociniis obligatus), rationarium (=liber computationum), ratiocinari. Quo in sensu Tullius Cicero iure dixit «*de pecunia ratiocinari* sordidum esse, cum de gratia referenda deliberetur» [3]. Et alio in loco: «honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria: iacentque ea semper quae apud quosque improbantur... In summo apud illos [=graecos] honore *Geometria* fuit. Itaque nihil mathematicis illustrius. At nos *metiendi ratiocinandique* utilitate *huius artis* terminavimus modum» [4].

---

1 GASPAR SCHOTTUS, S. I., *Cursus mathematicus* sive absoluta omnium mathematicarum disciplinarum Encyclopedia in libros XXVIII digesta, lib. 27, cap. 1, p. 589a. Bambergae 1677.

2 *Op. et loc. cit.*, cap. 2, p. 590a.

3 CICERO, *De Inventione Rhetorica*, lib. II, cap. 39, ed. cit., t. I, p. 103.

4 *Tuscullan. quaest.*, lib. I, cap. 2, ed. cit., t. II, p. 290.

29. *Proportio* autem (ex praepositione *pro*, et substantivo *portio*) aequalitatem vel similitudinem plurium rationum importat, sicut ἀναλογία, quam omnino perfecte et adaequate latine reddit: ἀνά=κατά=εἰς=πρός, latine = *pro*; λόγος = ratio, *portio*.

Pro siquidem, cum in compositionem venit ut revera contingit in verbo *pro-portio*, idem sonat ac *tamquam*, *sicut, quasi, secundum, iuxta*, sicut graecum ἀνά et πρός ita sane ut unum alterius *vicem* gerere possit et *pro* illo haberi; et inde usitata verba: Propraetor, Proconsul Promagister. Apposite Tullius Cicero: «quod est, eo dece uti; et quidquid agas, agere *pro viribus*»[1]. Et alibi: «ver sor autem in gemitu Italiae et in Urbis miserrimis que relis; quibus aliquid opis fortasse ego *pro* mea, tu *pr* tua, *pro* sua quisque *parte* ferre potuisset, si Aucto affuisset: quare velim, *pro* tua perpetua erga me bene volentia, scribas ad me quid videas, quid sentias, qui exspectandum, quid agendum nobis existimes»[2]. Iten que: «Cato ille noster, qui mihi unus est *pro* centu millibus»[3]. Postremo: «libenter etiam copulando verb iungebant, ut sodes *pro* si audes; sis *pro* si vis. Iam i uno, *capsis*, tria verba sunt[4]; ain' *pro* aisne, nequire *p* non quire, malle *pro* magis velle, nolle *pro* non vell dein etiam saepe et exin *pro* deinde et exinde dicimus Quo etiam facit proloquium illud: parum *pro* nihilo rep tatur; nam «quod parum est, *quasi* nihil accipit ratio

---

1 *De Senectute*, cap. 9, ed. cit., t. III, p. 429.

2 *Epist. ad Familiares*, lib. 15, epist. 15, ed. cit., t. VII. p. 529.

3 *Epist. ad Atticum*, lib. 2, epist. 5, ed. cit., t. VIII, p. 107.

4 Nimirum, *cape si vis*, ut explicat Quintilianus, *Inst. Orat.*, lib cap. 5, n. 66, ed. cit., t. I, p. 146, quidquid revera sit de hac etymolo Oportet enim in verborum originibus explicandis prudentem esse. Qu ob rem, ob quorumdam grammaticorum et philosophorum, praeser stoicorum, excessus, scribit S. Augustinus non sine quodam etiam cessu opposito: «non quaeramus origines nominum; multum e habet ista res loquacitatis, utilitatis parum: neque enim eo minus liter in loquendo appellas panem, lignum, lapidem, quod nescis haec ita sint appellata» (*De musica*, lib. II, cap. 8, n. 15, ML. 32, 1.1

5 *Orator*, cap. 45, ed. cit., t. I, p. 535.

6 S. Thomas, I-II, 14, 4c.

Portio vero est quasi pars, mensura, ratio. «*Portionis* quoque elocutio, |μοίρα| notanda est: non enim *partem,* quippe simplicis et incorporeae rei, sed *portionem,* id est *partis instar,* dixit esse sublatam, quod est geometricae illius notae simile»[1]. Quo fit, ut nomen *proportio* idem sit ac *pro-rata-portione* vel *pro-rata-parte*; nempe collatio duarum vel plurium quantitatum (=partium seu portionum vel rationum) mensuratarum sive ratihabitarum, vi cuius una pro alia vel sicut alia haberi possit utpote ei similis vel aequalis.

Ac revera unum pro alio sumebatur a melioribus auctoribus latinis. Ita Iulius Caesar: «interim suos cohortatus, tormenta in muris disposuit, *certasque cuique partes* ad custodiam urbis attribuit; militibus in concione agros ex suis possessionibus pollicetur, quaterna in singulos iugera, et *pro rata parte* centurionibus evocatisque»[2].

Pariter Tullius Cicero: «hic, inquam, quis est qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, qui intervallis coniunctus imparibus, sed tamen *pro rata portione* distinctis, impulsu et motu ipso-

---

1 CHALCIDIUS, *In Platonis Timaeum commentarius,* n. 33, ed. F. G. Mullach, Fragmenta philosophorum graecorum, t. II, p. 188a. Parisiis 1867. Usu tamen latinorum portio et pars pro eodem sumuntur. «Eligant sibi, ait S. Augustinus, alii *partes* quibus fruantur terrenas et temporales; *portio* sanctorum Dominus aeternus est: bibant alii mortiferas voluptates, *portio* calicis mei Dominus est» (*Enarratio in Psalmum* 15, 5, n. 5, ML 36, 145). «Eligant sibi *partes* genus humanum. Videamus homines cupiditatum diversitate laniari: eligant alii militiam, alii advocationem, alii diversas variasque doctrinas, alii negotiationem, alii agriculturam; istas *partes* sibi faciant de rebus humanis: clamet populus Dei: *pars* mea Deus meus» (*Enarratio in Psalmum* 72, 26, n. 32, ML 36, 928). Rursus: «*pars* mea Dominus; quod habent quidam; *portio* mea, Domine. Quod utrum ideo dicatur quia *perticeps* ejus fit quisquis ei adhaeret, sicut scriptum est, mihi autem adhaerere Deo bonum est (Psalm. 72, 28); non enim exsistendo sunt homines dii, sed fiunt *participando* illius unius qui versus est Deus: an quia *partes* sibi eligunt homines in hoc mundo sive sortiuntur, alius hoc, alius illud, unde quisque vivat; quodam modo *portio* piorum Deus est unde semper vivant: uterque non est sensus absurdus» (*Enarratio in Psalm.* 118, 57, sermo 16, n. 1, ML, 37, 1.545.

2 IULIUS CAESAR, *De bello civili,* lib. I, cap. 8, pp. 327-328. Bassani 1775.

rum orbium efficitur: qui acuta cum gravibus temperans, varios *aequabiliter* concentus efficit»[1]. Quae verba ita commentatur Macrobius: «vides ut intervalla commemorat, et haec inter se imparia esse testatur; nec diffitetur *rata ratione* distincta, quia secundum Timaeum Platonis imparium inter se intervalla numerorum *ratis* ad se *numeris*, hemiolis scilicet, epitritis et epogdois hemitoniisque distincta sunt, quibus omnis canora *ratio* continetur»[2].

Accedit Vitruvius: «*proportio*, inquit, est *ratae partis* membrorum in omni opere totiusque commodulatio, ex qua ratio efficitur symmetriarum. Namque non potest aedes ulla sine symmetria atque proportione rationem habere compositionis, nisi uti ad hominis bene figurati membrorum habuerit exactam rationem»[3]. Et alio in loco: «symmetria est ex ipsius operis membris conveniens consensus ex partibusque separatis ad universae figurae speciem *ratae partis* responsus; *ut* in hominis corpore e cubitu, pede, palmo, digito ceterisque partibus symmetria est, *sic* est in operum perfectionibus»[4].

Similiter Plinius: «aestiva mellatione decimam partem apibus relinqui placet, si plenae fuerint alvi; si minus *pro rata portione*; aut si inanes, omnino non attingi»[5]

Eodem modo S. Augustinus dicit: «at si *in ratis dimensionibus ratio est*, numquid et aves quod fabrican minus apte congruenterque dimensum est? Immo numerosissimum est»[6]. Et alio in loco: «unusquisque nostrum *pro portione* habet clamorem suum in toto isto corpore [Christi]. Clamasti tu diebus tuis, et transierunt dies tui

---

[1] CICERO, *Somnium Scipionis*, cap. 5, ed. cit., t. III, pp. 559-560.
[2] MACROBIUS, *In Somnium Scipionis*, lib. II, cap. 2, n. 125, p. 10 Opera omnia quae exstant. Patavii 1736. Textus Ciceronis a Macrobi relatus habet: *pro rata parte* ratione distinctis.
[3] VITRUVIUS, *De Architectura*, lib. III, cap. 1, pp. 101-102. Argentorati 1550.
[4] VITRUVIUS, *Op. cit.*, lib. I, cap. 2, p. 17.
[5] PLINIUS, *Historia Naturalis*, lib. 11, cap. 15, n. 15, ed. Lugdun 1548, col. 279, 32-35.
[6] S. AUGUSTINUS, *De ordine*, lib. II, cap. 19, n. 49. ML. 32, 1.018.

successit tibi alius, et clamavit diebus suis; et tu hic, ille ibi, ille alibi: corpus Christi tota die clamat tibi decedentibus membris»[1].

Et inde est quod quandoque scribunt *portione* tantum, aliquando *pro rata* tantum, nonnunquam *pro portione* et *pro rata portione* vel *pro rata parte.* «Cerebrum, ait Plinius, omnia habent animalia quae sanguinem; sed homo *portione* maximum»[2]. Et Quintus Curtius: «praemium erit ei, qui primum occupaverit verticem, talenta decem; uno minus accipiet qui proximus ei venerit; eademque ad decem homines servabitur *portio*»[3]. Tandem Flavius Vegetius: «murus autem, ut nunquam possit elidi, hac ratione perficietur. Intervallo vicenum pedum interposito, duo intrinsecus parietes fabricantur. Deinde terra quae de fossis fuerit egesta, inter illos mittitur vectibusque densatur: ita ut a muro primus paries *pro rata* inferior, secundus longe minor ducatur; ut de plano civitatis ad similitudinem graduum quasi clivo molli usque ad propugnacula possit adscendi»[4].

Itaque *proportio* idem est ac *pro sua* quodque *portione,* quae eadem vel similis est utrobique. Ut enim scribit Quintilianus: «ne id quidem tacendum, quod eidem Ciceroni placet, nullum nostrum usquam negligentem esse sermonem: *quidquid* loquemur ubicumque, sit *pro sua* scilicet *portione perfectum*»[5]. Rursusque: «ipsam togam, inquit, rotundam esse et apte caesam velim; aliter enim multis modis fiet enormis. Pars eius prior mediis

---

1 *Enarratio in Psalmum* 85, n. 5, ML. 37, 1.085.

2 PLINIUS, *Op. cit.*, lib. 11, cap. 37, n. 49, col. 298, 33.

3 QUINTUS CURTIUS, *De rebus gestis Alexandri Magni*, lib. VII, cap. 4, ed. Parisiis 1678, p. 300, 29-31. Et alio in loco: «copiarum duces coronis et mille aureis singulos donat; ceteris quoque *pro portione*, aut gradus quem in militia obtineant, aut navatae operae, honos habitus est» (*Op. cit.*, lib. IX, cap. 1, p. 353, 3-6).

4 FLAVIUS VEGETIUS, *De re militari libri quinque* cum selectis notis Godeschalci Stewechi et Petri Scriverii necnon ad codicum manuscriptorum fidem notis perpetuis criticis emendati cura M. Nicolai Schwelii, lib. IV, cap. 3, p. 132. Norimbergae 1767.

5 QUINTILLIANUS, *Inst. Orat.* lib. 10, cap. 7, n. 28, ed. cit., t. IV, pp. 196-197.

cruribus optime terminatur, posterior *eadem por* altius quam cinctura»[1].

30. Et idem valet verbum *comparatio*. Ut enim Tullius Cicero explicat, «comparabile est quod in ı diversis *similem aliquam rationem* continet»[2]; com tio vero est comparabilium *collatio*, iuxta illud eiu Ciceronis: «*collatio* est oratio *rem cum re ex simil ne conferens*», nempe secundum rationem alicuius litudinis inter eas vigentis[3]. Hoc enim «similitudin nus *collatione* sumitur, cum una res uni, par pari paratur, hoc modo: *quemadmodum* si in urbe de fi controversia est, quia fines magis agrorum videntuı quam urbis, finibus regendis adigere arbitrum non p *sic* si aqua pluvia in urbe nocet, quoniam res tota agrorum est, aquae pluviae arcendae adigere non arbitrum»[4]. Vel exemplo magis apto: «*ut* locus sine navibus esse non potest esse tutus, *sic* animus sin stabilis amicis non potest esse»[5].

«*Comparantur* [autem] ea quae aut maiora aut ra aut paria dicuntur», ut mensuremus aut cognos eorum aequalitetem vel inaequalitatem, hoc est ea vel similem rationem aequalitatis aut inaequali quae est praecise ratio analoga seu proportionalis. (causa, comparatio importat quamdam adaequation coaequationem rerum vel rationum quae compar sive *absolutam*, ut in proportione arithmetica; siv *tivam* et mere proportionalem, ut in proportione trica; atque ita una *pro* alia vel *sicut* alia haberi

Id, quod alibi eleganter exponit idem Tullius hisce verbis: «quando enim trium vel numeron figurarum vel quorumcumque generum contingit u medium sit, ut ei primum *proportione*, ita id po

1 *Op. cit.*, lib. 11, cap. 3, n. 139, tom. cit., pp. 384-385.
2 T. CICERO, *De Inventione Rhetor.*, lib. 1, cap. 30, ed. cit., t.
3 *Op.* et *loc. cit.*, p. 33.
4 TULLIUS CICERO, *Topica*, cap. 10, ed. cit., t. I, p. 577.
5 *De Invent. Rhetor.*, lib. 1, cap. 3, t. I, p. 32.
6 TULLIUS CICERO, *Topica*, cap. 18, t. I, p. 585.

comparetur; *vicissimque*, ut extremum cum medio, sic medium cum primo *conferatur:* id, quod medium est, tum primum fit, tum postremum; postrema vero et prima media fiunt. Ita necessitas cogit ut *eadem* sint ea quae disiuncta fuerant»[1].

Quibus similia tradit Seneca. Quaerenti enim «quomodo ad nos prima boni honestique notitia pervenerit», respondet: «nobis videtur observatio *collegisse* et rerum saepe factarum inter se *conlatio*: per analogiam nostri intellectum et honestum et bonum iudicant... *Quae sit haec analogia,* dicam: noveramus *corporis* sanitatem; ex hac *cogitavimus* esse aliquam et *animi*: noveramus *corporis* vires; ex his *collegimus* esse et *animi* robur»[2].

Tandem audire placet Chalcidium haec omnia egregie explanantem. «Quid sit hoc quod *competens* [=conveniens, consonans, congruens, compar, proportionatum], ἀναλογία vero a graecis, explicabo. *Continuum* competens est quod *communi* medio fine coniungit extima: *distans,* quod *duobus* mediis finibus separat extima. *Ratio* vero est *duum* finium *iuxta semetipsos* habitus et quasi quaedam *conventio.*

Itaque *competens* ex complurium rationum *comparatione* subsistit. Et *continuum* quidem competens *in tribus, ut parum,* finibus invenitur: sicut primus iuxta secundum, sic secundus iuxta tertium; hoc est, ut octo iuxta quatuor, sic quatuor iuxta duo. Quorum quidem finium is, qui est medius, in se replicatus, aequalis est ei qui de multiplicatione nascitur extimorum, quadrato: bis octoni siquidem sexdecim et quaterni quater totidem.

Distans autem competens *in quatuor minimum* limitibus reperitur: sicut primus iuxta secundum, sic tertius iuxta quartum; id est, ut octo iuxta quatuor, ita sex iuxta tria. Non enim possumus repetentes dicere: sic quatuor iuxta sex. In quibus aeque, ut in continui competentis finibus, is qui confit ab extimis, aequalis ei qui nascitur

---

1 *Timaeus*, cap. 5, ed. cit., t. III, p. 592.

2 SENECA, ...

ex supputatione mediorum: ter enim octo viginti quatuor summam faciunt, aeque sexies quatuor eamdem summam creant»[1].

«Igitur secundum rationem *continui* competentis, quae est ratio *geometrica,* quod valent octo adversus quatuor, hoc quatuor adversus duo, et duo adversus unum. Rursum quod valet viginti septem numerus adversum novem, hoc novem adversum tria, et tria adversum unum»[2].

Ex quibus omnibus apparet Tullium Ciceronem quam exactissime nomen, ἀναλογία, latine reddidisse: *comparatio* vel *proportio.*

31. Hac tamen in re, ut omnis aequivocatio praecludatur, operae pretium est adnotare differentiam quamdam terminologiae, quam vocant, inter Aristotelem aliosque graecos et S. Thomam aliosque philosophos ac theologos scholasticos.

Aristoteles enim, sicut et Euclides —vel potius Eudoxus de Cnido[3]— quem sequitur, distinguunt, ut patet ex dictis, inter rationem, λόγον, quae est habitudo commensurationis duarum quantitatum homogenearum, et ἀναλογίαν, quae est collatio seu habitudo commensurationis duarum vel plurium rationum, ideoque est ut minimum inter quatuor terminos re vel ratione distinctos.

S. Thomas autem aliique veteres scholastici una ex parte conveniunt cum Aristotele et cum melioribus scriptoribus latinis, quos supra retulimus, ἀναλογίαν appellantes proportionem[4]; ex alia vero a Stagirita et classicis lati

---

[1] CHALCIDIUS, *Commentarius in Timaeum Platonis,* n. 16, ed. cit. pp. 183-184.

[2] *Op. cit.,* n. 33, p. 188a.

[3] Eudoxus enim videtur adinvenisse primus doctrinam generalem de proportionibus geometricis; qua de causa, nonnulli critici ei attribuerunt librum V Elementorum quae nomine Euclidis circunferuntur

[4] Audiatur unus pro omnibus S. Thomas: «secundum aliquam *analogiam,* idest *proportionem» (In IV Physic.,* lect. 12, n. 3); «secundum *analogiam,* idest *proportionem» (In II Post.,* lect. 17, n. 4); «vicissim *analogum,* idest commutatim *proportionari» (Ibid.,* lect. 19, n. 3

nis differunt, quatenus λόγον seu rationem Euclidis et Aristotelis vocant etiam proportionem, dum nominant proportionalitatem id quod illi graeci dicebant ἀναλογίαν. Quo factum est, ut tam λόγον quam ἀναλογίαν graecorum uno nomine appellent *analogiam*; quam ideo distinguunt in analogiam *proportionis* respondentis τῷ λόγῳ, et analogiam *proportionalitatis* respondentis τῇ ἀναλογίᾳ.

32. Cuius causa videtur fuisse remota quidem versio latina minus exacta operum Euclidis qua λόγος proportio et ἀναλογία proportionalitas reddebatur [1], proxi-

---

«id autem quod est *analogum* ad E, idest quod in eadem *proportione* se habet ad E» (*In I de Coelo et Mundo*, lect. 14, n. 4); «videtur necessarium esse quod eorum [=astrorum] velocitates *analogice*, idest *proportionaliter*, se habeant ad eorum magnitudines: quia ita videmus in omnibus corporibus naturalibus, quod quanto aliquid fuerit maius, tanto velocius movetur motu proprio» (*In II de Coelo et Mundo*, lect. 11, n. 4); «*proportione* vero vel *analogia* sunt unum quaecumque in hoc conveniunt, quod hoc se habet ad illud sicut aliud ad aliud» (*In V Metaph.*, lect. 8, n. 879); «*analogice* praedicatur, idest *proportionaliter*» (*In IV Metaphys.*, lect. 1, n. 535); «secundum *analogiam*, quod nihil est aliud dictu quam secundum *proportionem*» (*De Verit.* 2, 11c); «secundum *analogiam*, idest *proportionem*» (I, 13, 5c); «secundum *analogiam* sive *proportionem*» (*De principiis naturae*, circa finem, ed. Vives, t. 27, p. 486b): «secundum *analogiam* et *proportionem* et *comparationem*» (*Ibid.*, paulo antea, p. 486a); «per *analogiam* sive per *comparationem*» (*In librum Boetii de Trinitate*, 4, 2c).

[1] Immo et ex adverso ἀναλογία versa est *ratio*, uti apparet in Vulgata latina, quae verba Apostoli κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, reddit: secundum *rationem* fidei (Rom. 12, 6). Quae quidem versio minus accurata est, ut iam notaverat Rufinus Aquileiensis: «sermo iste, hoc est, *secundum rationem fidei*, apud latinos *minus proprie* translatum videtur. Ἀναλογία enim in graeco non tam ratio quam *mensura competens* dici potest, ut quia uno non potest, duabus sermonibus explicetur» (*Versio explanationis Originis in epistulam ad Romanos*, MG. 14, 1.213B). Ac revera S. Hieronymus quoque vertit: *secundum mensuram fidei* (*Contra Iovinianum*, lib. II, n. 22, ML. 23, 330), et S. Augustinus: secundum *regulam* fidei (*De Doctrina christiana*, lib. IV, cap. 20, n. 40, ML. 34, 108). Qua in re Augustinus latinos grammaticos sequitur. Nam hi qui, ut supra vidimus, apprime distinguunt inter rationem, λόγον, et proportionem, ἀναλογίαν, contradistinguunt ἀναλογίαν ab ἀνωμαλία, quasi *regulam* ab irregularitate; ac de facto ἀναλογίαν appellant *regulam* (TERENTIUS VARRO, *Op. cit.*, lib. 9, § 86, ed. cit., pp. 224-225), *regulam* sermonis (DIOMEDES, *Op. et ed. cit.*, p. 456, 5-6), *ordinationem* sermonis (SOSIPATER CHARISIUS, *Inst. Grammaticae*, lib. 1, cap. 15, ed. H. Keil, Grammatici latini, t. I, p. 51, 3-4, Lipsiae 1857), *rectam rationem* declinationis (CHARISIUS, *Op. et loc. cit.*, cap. 17, p. 117, 5), *rectam rationem*

ma vero usus auctorum latinorum vel latinitate donat rum, e quibus pendebant, hoc modo loquentium. Quo inter primas partes habuisse videtur Boethius, quei audire placet. «Est igitur *proportionalitas*, ait, duaru vel trium vel quotlibet *proportionum* assumptio a unum atque *collectio*. Ut autem communiter definiamus *proportionalitas* est duarum vel plurium *proportionu similis habitudo*, etiamsi non eisdem quantitatibus differentiis constitutae sint. *Differentia* vero est: *inte* numeros quantitas. *Proportio* est *duorum* terminoru *ad se invicem* quaedam habitudo et quasi quodammod continentia. Quorum *compositio* quod efficit, *proporti nale* est: *ex iunctis enim proportionibus proportionalita* fit.

In *tribus* autem terminis *minima proportionalita* invenitur. Fit etiam *in pluribus*, sed *longior*. Ut binari ad unum, quoniam *duo* sunt termini, duplam obtin *proportionem*; sin vero quatuor contra duo compare et hic quoque dupla *proportio* est: quos *tres* termino si *continue* consideres, ex duabus proportionibus f *proportionalitas*; et est proportionalitas unum ad duo duo ad quatuor. Est enim *proportionalitas*, ut dictu est, *collectio proportionum* in unumque redactio. F etiam et in *longioribus*»[1].

Qui et scite animadvertit quod medietas *geometri* est «quae *sola vel maxime proportionalitas appellari* p

---

perseverantem per integram declinationis disciplinam (PROBUS, *Instit Artium*, ed. H. Keil, Grammatici latini, t. IV, p. 47, 23-24. Lipsiae 18 A Chalcidio similiter *ἀναλογία* redditur tum *competens* (*Comment. Platonis Timaeum*, n. 16, ed. cit., t. II, 183b) tum *modus et cong mensura partium* (*Versio Timaei Platonis*, n. 16, ibid., p. 160a). Sul telligendo tamen rationem collatam seu *proportionatam*, recte analc diceretur *ratio*. Quo in sensu Caietanus animadvertit: «dictio gra interpretata *rationem*, *analogiam* significat, *hoc est, rationem pro tionalem*» (*Comment. in Epist. ad Romanos*, Opera exegetica, t. p. 70b. Lugduni 1629).

[1] BOETHIUS, *De Arithmetica*, lib. II, cap. 40. ML. 63, 1.145D-1.146A.

test»[1]: «iuste igitur medietas quaedam *geometrica proprieque* esse *proportionalitas* iudicatur»[2].

Similiter Cassiodorus: «*proportio* est *duarum* magnitudinum cognatarum ad *se invicem* ex comparatione veniens habitudo... *Proportionalitas* vero in *tribus, ut minimum,* terminis invenitur, cum proportionales eidem eiusdem magnitudinis proportiones esse dicuntur, praecedentes praecedentibus et consequentibus consequentes»[3].

Eodem modo Gherardus Cremonensis latine vertens commentaria Abû'l' Abbâs al-Fadl ben Hatim an-Nairîzî, quem latini vocabant Anaritium, in Euclidis Elementa. «*Proportio* est aliqua *relatio* quantitatis, quae est inter *duas* res unius generis... Et cum dixit Euclides, *inter duas quantitates,* voluit intelligi *instantiam* [=relationem] quam una *duarum* quantitatum habet ad aliam; quia *proportio* est *instantia unius* quantitatis ad *aliam* quantitatem quae sunt *unius generis,* scilicet instantia lineae ad lineam, aut instantia superficiei ad superficiem, aut corporis ad corpus, aut numeri ad numerum, aut orationis ad orationem, aut temporis ad tempus, aut loci ad locum»[4].

Et post pauca: «dixit Euclides: *proportionalitas* est *similitudo proportionum.* Et *minor* proportionalitas quae est, in *tribus* exsistit quantitatibus.

Similitudo erit in proportione cum *quantitates* fuerint *plures duabus,* et fuerit [proportio] primae ad sedundam sicut proportio alterius quantitatis ad aliam, sicut est proportio secundae ad tertiam, et tertiae ad quantam, et sic in aliis quantitatibus quae continue sequuntur... Ergo cum fuerit habitudo, quae est inter duas

[1] *Op. cit.*, lib. II, cap. 44, col. 1.150A.
[2] *Ibid.*, cap. 47, col. 1.154C.
[3] CASSIODORUS, *De artibus ac disciplinis liberalium litterarum*, cap. 6. ML. 70, 1.215CD
[4] ANARITII *in decem libros priores Elementorum Euclidis commentarii*, ed. M. Curtze, P. V., p. 156, 9-10, 15-22. Lipsiae 1899.

primas, eadem, quae est inter duas postremas, dicitur tunc quod est haec habitudo similitudinis in proportione»[1].

Horum igitur loquendi morem sequuti sunt maiores doctores scholastici saeculi decimi tertii et sequentium. Ita S. Bonaventura docet analogiam fieri dupliciter: uno modo, secundum comparationem *duorum ad invicem*, et haec vocatur analogia *proportionis*; alio modo, secundum similem comparationem *duorum ad duo*, ut si dicamus: sicut se habet homo ad animal, ita se habet albedo ad colorem, quatenus utrobique est comparatio, speciei ad genus; et haec appellatur analogia *proportionalitatis*, quae semper postulat *quatuor terminos*[2].

Pariter S. Albertus Magnus qui expresse provocat ad Böethium: «est enim, inquit, secundum Böethium in II Arithmeticae similitudo rerum differentium eadem qualitas, et *proportio* est similitudo habitudinis *inter duo*, sed *proportionalitas* est similitudo proportionum *inter quatuor*»[3]. Et alio in loco: «illud bonum, quod omnia

---

[1] *Op. et loc.* cit., p. 157, 28-35; p. 158, 4-6.

[2] S. BONAVENTURA, *In I Sent.* d. 1, 1, 3c. Opera, ed. Quaracchi 1882 sqq., t. I, pp. 28-29; d. 48, 1, 1c., p. 852b; *in IV Sent.*, d. 1, I P., dub., 3, t. IV, p. 29b.

[3] S. ALBERTUS MAGNUS, *In IV Sent.*, d. 1, a. 5 ad 3 contra secundam definitionem. Opera, ed. Borgnet, t. 29, p. 169b. Quibus consonant haec alia verba: «Boetius dicit quod similitudo est rerum differentium eadem qualitas; similitudo autem habitudinum duorum vel plurium ad unum vel unius ad plura vel plurium ad plura facit proportionem at proportionalitatem secundum omnis proportionis differentias. Quia quamvis proportio *proprie* sit in *quantitate*, tamen *extenso nomine* secundum quod locus a proportione accipitur, [consistit] proportio in *similitudine habitudinum quorumcumque similiter se habentium ad unum*» (*In II Topic.*, trac. 2, cap. 6, ed. cit., t. II, pp. 323-324). Et iterum: «considerandum in similibus secundum *proportionem in qua duo ad duo comparantur in his quae similiter secundum proportionem se habent ad invicem*, sicut suave sive delectabile similiter se habet ad voluptatem sicut se habet proficiens, hoc est, utile ad bonum, hoc est, honestum. Et ratio similitudinis [est] quod utrumque est utriusque effectivum, hoc est, hoc illius, alterum alterius: quia suave est effectivum sive inductivum voluptatis, et proficiens est effectivum honesti sicut id quod est ad finem est inductivum finis. Ita quod sic *ordinetur* proportio; sicut se habet suave ad voluptatem in efficiendo eam, sic proficiens ad bonum in efficiendo ipsum; et *conmutata* proportione: sicut se habet secundum ad quartum; sic se habet primum ad tertium» (*IV Topic.*, tract. 2, cap. 2, p. 371). Cf. etiam *in I Topic.*, tract. 4, cap. 8

exoptant, non est reducibile ad speciem unam vel ad genus unum, sed ad communitatem *proportionalitatis,* ut fiat vis et distinctio inter proportionem et proportionalitatem. Proportio enim sicut dicit Böethius in II Arithmeticae, attenditur in quantitate secundum diversam habitudinem *unius* quantitatis relatae ad *aliam* quantitatem. *Proportionalitas* autem attenditur *ulterius* in quantitate rerum *proportionatarum,* et sic dicimus quod una *proportionalitas* et commensuratio omnium possibilium ad finem perficientem, et omnis finis in hac proportionalitate est unius, et similiter appetitus qui est in ipsum»[1]. Et notat quod similitudo sive analogia *proportionalitatis* «semper est *ad minus inter quatuor vel re vel ratione* quando uno utitur ut duobus, sicut si dicatur: sicut se habent quatuor ad duo, ita sex ad tria; vel sicut sex ad quatuor, ita decem ad sex»[2].

---

[1] *Quaestiones de bono,* q. 1, ad 4, et. H. Kühle, Florilegium Patristicum, fasc. 36, p. 16, 8-17.

[2] *Comment. in Epist. Dionysii,* epis. 9, § 1, Dubium, ad 4. Opera, ed Borgnet, t. 14, p. 989b. Uno tamen in loco distinguit inter similitudinem, proportionem et proportionalitatem, quatenus «*similitudo* inter *duo* est, *proportio* inter *quatuor,* et *proportionalitas* inter *octo* et aliquando inter decem si producatur proportionalitas, ut non tantum attendatur inter partes et partes, sed etiam inter constitutum totum ex primo et secundo et inter constitutum totum ex tertio et quarto». Consequenter «*proportio* est similitudo habitudinum, sicut si dicam: sicut se habet rector navis ad navem, ita rector civitatis ad civitatem, in hoc scilicet quod uterque eorum non sorte sed arte eligitur; et in numeris: sicut se habent duo ad quatuor, ita se habent tria ad sex, in hoc scilicet quod utrumque est duplum et subduplum. *Proportionalitas* autem est similitudo proportionum, sicut si dicam: ut est proportio inter duo et quatuor et tria et sex, similem habens qualitatem dupli; ita est proportio inter duo et tria et quatuor et sex, similem habens qualitatem sexquialteri» (*In V Ethic. Nicom.,* tract. II, cap. 5, ed. Borgnet, t. 7, p. 345).

Qui loquendi modus redolere videtur duplicem fontem e quo S. Albertus dependebat, nimirum ex una parte Eustratium, quem saepe citat, quique λόγον seu rationem per *similitudinem explicavit* inter *duos* terminos, ἀναλογίαν vero sive proportionem inter quatuor. (Cf. ARISTOTELIS *Stagiritae Moralia Nichomachia cum* EUSTRASII, ASPASII, MICHAELIS EPHESINI *nonnullorumque aliorum graecorum explanationibus,* nuper Bernardo Feliciano latinitate donata et cum antiquo codice collatione suae integritati restituta, lib. V, fol. 102r. Parisiis 1543); ex alia vero Boetium, ex quo nomina sumpsit proportionis et proportionalitatis cum suis definitionibus, quibus tamen diversam materiam supposuit,

33. Et similiter S. Thomas, cuius nonnullos textus, eosque praecipuos, exscribere placet. «Disputat [Aristoteles] contra Empedoclem, et ponit contra eum tres rationes quas non deducit, quarum prima talis est: ipsi ponunt quodlibet corpus consistere *ratione,* idest *proportione quadam,* quam dicunt harmoniam, et hanc dicunt animam. Quaero ergo utrum anima sit ipsa *ratio, id est proportio* commixtionis, aut aliquid aliud a proportione. Si tu dicis quod est ipsa *proportio,* tunc, cum in uno corpore sint diversae *proportiones* secundum diversas partes, sequuntur duo inconvenientia: scilicet quod multae animae sunt in uno corpore secundum di versas partes, et quod in quolibet mixto sit anima. S dicas quod est aliud quam *proportio,* tunc, cum propor tio sit harmonia, anima non erit harmonia»[1]. «Quia di versa *proportio* invenitur in diversis partibus corporis nam commixtio elementorum non habet eamdem *ratic nem, id est proportionem,* secundum quam est caro e secundum quam est os: ergo in diversis partibus erur diversae animae secundum diversam proportionem (multiplicationem partium animalis»[2]. Geometria «cons derando figuras, etiam considerat accidentia quae exsi tunt in figuris: et considerat mensurationes et incor mensurationem quantitatum, ut patet in X Euclidis, *rationes,* idest *proportiones* earum, ut patet in V»[3]. U ergo Aristoteles scripsit λόγος [4] et Guilelmus de Moerbel optime vertit *ratio,* S. Thomas cum ceteris coaetane interpretatur *proportio.*

Et alibi: «*Proportionalitas* nihil aliud est quam ; qualitas proportionis, cum scilicet aequalem proport

---

iuxta exigentiam verbi *proportio* apud Eustratium et verbi *proportic litas* relate ad simplicem proportionem apud Boetium. Haec tar hypothesis comprobari nequit usque dum prae manibus habeai ipsum textum versionis Eustratii qua usus est Albertus.

1 S. Thomas, *In I de Anima,* lect. 9, n. 141 (reportatio Reginaldi Piperno).

2 *Ibid.,* n. 140.

3 *In XI Metaphys.,* lect. 3, n. 2.202.

4 Πότερον οὖν ὁ λόγος ἐστὶν ἡ ψυχή (*I de Anima,* cap. 4, n. 7: III, 439,

nem habet hoc ad hoc et illud ad illud; *proportio* autem nihil est aliud quam *habitudo unius quantitatis ad aliam*»[1].

Et alio in loco: «*proportio* est habitudo *unius* quantitatis ad *alteram*, sicut sex ad tria se habent in proportione dupla; *proportionalitas* vero est *collatio duarum proportionum*. Quae, si sit *disiuncta*, habet *quatuor* terminos, ut hîc: sicut se habent quatuor ad duo, ita sex ad tria; si vero sit *coniuncta*, habet *tres* terminos [re, licet quatuor habeat ratione], nam *uno* utitur *ut duobus*, ut hîc: sicut se habent acto ad quatuor, ita quatuor ad duo. Patet autem quod in *proportionalitate*[2] *duo* termini se habent ut *antecedentia*, duo vero ut *consequentia*; ut hîc: sicut se habent quatuor ad duo, ita se habent sex ad tria, sex et quatuor sunt antecedentia, tria vero et duo sunt consequentia»[3].

Rursus: «Idem est *proportio* quod certitudo mensurationis *duarum quantitatum*»[4]; «in omni *proportione* oportet esse ad minus *duos terminos*: nihil enim sibi ipsi proportionatur, sed alteri»[5]; «*proportionalitas*... est *similitudo proportionum*; sicut enim finitum aequatur alicui finito, ita infinitum infinito»[6].

Iterum: «aliquid dicitur *proportionatum* alicui *dupliciter*: uno modo quia inter ea attenditur *proportio*; sicut dicimus quatuor proportionari duobus, quia se habet in dupla proportione ad duo: alio modo, per modum *proportionalitatis*; ut si dicamus sex et octo esse proportionata, quia sicut sex est duplum ad tria ita et octo ad quatuor: est enim *proportionalitas similitudo proportionum*. Et quia in omni *proportione* attenditur habitudo

---

[1] *In V Ethic. Nicom.*, lect. 5, n. 939.

[2] Legendum esse *proportionalitate*, *non proportione*, ut habet editio leonina, totus contextus expostulat, sicut revera legunt decem codices optimae notae quos referunt ipsi doctissimi editores leonini (Opera, t. I, p. 185a).

[3] *In I Post.*, lect. 12, n. 8.

[4] *In III Sent.*, d. 1, 1. 1 ad 3, ed. Moos, O. P., n. 19.

[5] *In IV Sent.*, d. 16, 3, 1 qla. 1c.

[6] *In IV Sent.*, d. 49, 2, 1 ad 6.

ad invicem eorum quae proportionari dicuntur secundı aliquem *determinatum* excessum unius super alteru ideo impossibile est infinitum aliquod proportionari nito per modum *proportionis.* Sed in his quae prop tionata dicuntur per modum *proportionalitatis, non* tenditur habitudo eorum *ad invicem,* sed *similis habitı aliquorum duorum ad duo,* et sic nihil prohibet prop tionatum esse infinitum infinito; quia sicut quodd finitum est aequale cuidam finito, ita infinitum est quale alteri infinito»[1].

Praeterea: «*proportio* proprie in quantitatibus ir nitur, comprehendens *duarum quantitatum ad invic comparatarum certam mensuram... Proportionalita* est *duarum proportionum similitudo.* Dicimus enim c tuor esse *proportionata* duobus, quia sunt eorum duן sex vero esse quatuor *proportionabilia,* quia sicut se bet sex ad tria ita quatuor ad duo»[2].

Ad haec: «*proportio* nihil aliud est quam habit *duorum ad invicem* convenientium in aliquo, secun quod conveniunt aut differunt»[3]. «Ex determinat autem quantitatis consurgit *proportio,* quae est *habi unius quantitatis ad aliam*»[4].

Tandem: «*proportio* dicitur... certa habitudo *u quantitatis ad alteram,* secundum quod duplum, triן et aequale sunt species *proportionis*»[5]. «Cum di Deus finitus est sibi, intelligendum est *secundum q dam similitudinem proportionis* [=secundum quam *proportionalitatem*]; quia sic se habet in non exced intellectum suum, sicut se habet aliquid finitum in excedendo intellectum finitum. Non autem dicitur tus sibi, quia ipse intelligat se esse finitum»[6].

---

1 *De Verit.*, 2, 3 ad 4. Cf. *ibid.* a. 11c.
2 *De Verit.* 23, 7 ad 9.
3 *In librum Boetii de Trinitate,* 1, 2 ad 3.
4 *In librum Dionysii de divinis nominibus,* cap. 4, lect. 8, ed. t. 29, p. 448b.
5 I, 12, 1 ad 4.
6 I, 14, 3 ad 2.

34. Et hie loquendi modus videtur perdurasse apud ipsos mathematicos usque ad secundam medietatem saeculi XVII. Hoc enim tempore redire coeperunt ad modum loquendi Euclidis, melius noto eius textu. Cuius rei testis est Gaspar Schott, S. J. (1608-1666), qui adductis definitionibus τοῦ λόγου et τῆς ἀναλογίας Euclidis sub nomine *rationis* et *proportionis*, subiungit: «rationem aliqui vocant proportionem et hanc vocant proportionalitatem» [1].

Modo autem omnes mathematici distinguunt inter rationem et proportionem; sicut Caietanus distinguit inter analogiam proportionis seu proportionalitatis, quae est analogia κατ' ἐξοχήν pleneque respondens verbo graeco ἀναλογία, et analogiam attributionis, quae potius respondet simplici rationi sive τῷ λόγῳ [2]. Qui modus loquendi multo melior et accuratior est tum in re mathematica tum in re metaphysica, eoque nos utemur in hac opella. Simul tamen differentia indicata terminologiae, quam

---

1 GASPAR SCHOTT, *Cursus mathematicus*, lib. III, Euclidis element. V, p. 93b. Bambergae 1677. Editio princeps. Herbipoli 1661. Non fuit ergo Iacobus Bernoulli (1654-1705) qui primus hanc rectificationem vel potius restitutionem antiqui sensus verborum, *ratio* et *proportio*, fecit, in suo tractatu *De rationibus et proportionibus* (1688), ut aliqui videntur innuere (v. gr. P. BOUTROUX, *Les principes de l'Analyse mathématique, exposé historique et critique*, t. I, p. 110, nota 2. Paris 1914), sed iam antea in usu erat. Rodulphus Goclenius, qui et ipse adhuc *proportionem* sumit «pro *duarum* magnitudinum eiusdem generis mutua quadam secundum quantitatem habitudine seu comparatione» (*Lexicon philosophicum quo tanquam clave Philosophiae fores aperiuntur*, p. 882b. Francofurti 1613), notat quod «pro proportione *alii rationem* dicunt» eo quod graece Euclides dixit λόγον: ipse vero Goclenius utroque verbo simul utitur: «proportio *vel ratio*» (*Op. et loc. cit.*); quo signum est temporis transitionis ab uno ad alium sensum.

2 «Analogiae igitur vocabulum proportionem *sive* proportionalitatem, ut a graecis accepimus, in proposito sonat» (*De nominum analogia*, cap. 1, n. 2, ed. cit., p. 4). «Ad tres ergo modos analogiae omnia analoga reducuntur, scilicet ad analogiam inaequalitatis, et analogiam *attributionis*, et analogiam *proportionalitatis*: quamvis, *secundum veram vocabuli proprietatem et usum Aristotelis, ultimus modus tantum analogiam constituat*; primus autem alienus ab analogia omnino est» (*Ibid.*, n. 3, pp. 4-6). Revera non est tam facienda vis in distinctione inter proportionem et proportionalitatem quam inter proportionem seu proportionalitatem et simplicem rationem quae proprie est ad *unum* vel ab *uno*, et, post Averroem, appellatur analogia *attributionis*, ut patebit ex sequentibus.

appellant, prae oculis est semper habenda in legendis et interpretandis auctoribus diversis; hac enim in re, proportione servata, valet effatum illud iurisperitorum: *distingue tempora, et concordabis iura,* quasi dicatur: distingue tempora, et concordabis verborum sensus.

Sed haec dicta sufficiant de nomine, ἀναλογία, et ad *rem* ipsam properandum; «non enim nomen propter se nomen est, sed propter id quod significat»[1].

---

1 S. Augustinus, *Enarratio in Psalmum IX*, 11, n. 11, ML, 36, 122.

CAPUT II

DEFINITIO REALIS ANALOGIAE

35. Ad inveniendam *realem* notionem sive definitionem Analogiae, sicut et aliorum quoquo modo definibilium, duplex patet via: una inductiva seu compositiva vel per similitudines, quae pergit ascendendo ab inferioribus seu particularibus ad superius seu universale, quasi ab individuis ad speciem; alia deductiva seu divisiva vel per differentias, quae procedit descendendo a superioribus seu universalioribus ad inferius seu minus universale, quasi a genere ad speciem. Est enim species, quae proprie loquendo definitur, non genus neque individua.

Prima via facilior est et prior *quoad nos*; secunda vero difficilior, sed prior *quoad se*, certior tamen et efficacior, nam «via ad inveniendum definitiones *convenientissima* est per divisiones» [1]. Incipiamus ergo a via *nobis* priori et faciliori; eo tamen modo quo materia subiecta definiri potest utcumque.

---

[1] S. THOMAS, *In III Physic.*, lect. 1, n. 5. Cf. etiam *in II Post.*, lec. 14, n. 1; lect. 16, n. 1.

EXCURSUS PRAEVIUS

CONSPECTUS HISTORICUS EVOLUTIONIS DOCTRINALIS ANALOGIAE

36. Usus analogiae, quae *ratio* quaedam est composita et comparata, adeo naturalis est homini, qui *rationalis* audit, ut in eum sponte prorumpat inde ab incunabulis vitae *rationalis* individuae vitaeque culturalis collectivae. Cuius rei testes sunt similitudines, comparationes, metaphorae populares, quas nullo negotio humanum peperit ingenium apud omnes gentes pro suo quoquo modo, atque a parentibus in filios de aevo in aevum ad nos usque transmissae sunt. Hisce enim in similitudinibus, comparationibus, parabolis, metaphoris, verae latent analogiae, quas multitudo popularis exercite, non signate, cognoscit: eo circiter modo quo ens, verum et bonum inde a primo usu rationis in actu exercito novit, antequam scientiam Metaphysicae adinvenerit, cuius est has primas notiones conscio modo et in actu signato perpolire, easque explicite proponere.

Hoc ergo in sensu, historia doctrinae de analogia usu populari latente, inde a primaevis et antiquissimis populis orientalibus, non neglecto hebraeorum populo, inchoanda foret. Quod quidem, licet utilitate quadam non careret, fructus laborem non compensaret; quia illi populi, quantum ex eorum scriptis, quae ad nos usque pervenerunt, videre est, *usum* sive actum exercitum analogiae non superarunt, cum tamen nos in hac parte *doctrinam* maxime respiciamus.

Ideo erit rationabilius, hac analogiae praehistoria relicta, ad graecos nos convertere ab eisque initium sumere, quippe qui ab usu ad doctrinam analogiae gressum fecerunt. Post *graecos* autem, philosophos adibimus *arabos* et *iudaeos*, ac denique *latinos* interrogabimus: hi enim omnes pro suo quoquo modo collaborarunt in efformanda atque tradenda doctrina de analogia.

Quod si latinos ponimus ultimos, post arabos et iudaeos, ea ratione factum est, quia eorum maximi, qui saeculo XIII floruerunt, post illos venerunt, a quibus et mutuo acceperunt non pauca: ceteri vero, qui iudaeos et arabos praecesserunt, minores habuerunt partes in hac re.

Doctrina de Analogia apud graecos

37. Inter graecos autem, ad rem nostram quod attinet, principem occupat locum Aristoteles. Nam qui ante ipsum floruerunt philosophi, viam ei paraverunt; qui vero post ipsum venerunt peripatetici, principia eius evolverunt aut certe commentariis illustrarunt: ceteri autem, ne exceptis quidem eius adversariis, influxum ipsius quadantenus subierunt.

De Analogia ante Aristotelem

38. Ante discipulum Platonis stagiritam analogia subobscure et implicite, in exercitio et usu eius multiplici, tradita est: nec tamen mere in potentia et quasi in virtute seminali, sed potius confuso quodam et inconscio modo veluti terminis quodammodo aequipollentibus, eo circiter pacto quo quis, nesciens artem grammaticae vel musicae, lingua sua vernacula loquitur vel populares eructat melodias.

Similitudines, comparationes, metaphoras, fabulas, parabolas, allegorias, partim ab ipso populo, partim a cultioribus litteratis adinventas, recolunt hi atque proponunt in suis operibus litterariis quae exstant, velut totidem analogias descriptivas humanae vitae.

39. Hos inter eminet *Homerus* in similitudinibus adhibendis ad describendos armorum conflictus inter graecos et troianos, vel inter maximos utriusque exercitus adversarios et duces, puta inter Achillem et Hectorem, inter Menelaum et Alexandrum, et alios huiusmodi: quas

quidem similitudines, ex animalibus ferocibus, vel ex naturae viribus, aut ex spectaculis naturae, quotidie se obversantibus, magna cum simplicitate atque dexteritate desumit.

40. *Ex natura viribus*: verbi gratia, procellae maris aut nivium, torrentis impetuosi, ignis voracis, ventus vehementis, muri inexpugnabilis, aliorum huiusmodi. Ita graeci et navibus et tentoriis ruebant cum tumulto, sicut cum fluctus multum strepentis maris in littore magno fremit resonatque pontus [1]. Pariter graecorum phalanges confertae continuo movebantur ad pugnam, similes fluctibus maris zephyro agitatis, qui in alto mari primum quidem attollitur, sed postea terrae allisus vehementer fremit, et circa promontoria tumidus fastigiatur, exspuitque maris spumam [2]. Hector similiter irruebat cum suis sicut procella in mare violaceum [3].

Et graecorum troianorumque conflictus telis, lapidibus, hastis, ensibus, pulcherrime describit hisce verbis e manibus tam achivorum quam troianorum tela fluebant ardore pugnae agitata, sicut nives e nubibus opaci vehementer agitatis vento effunduntur in terram [4]; lapides consimiliter achivorum et troianorum utrimque volitabant crebri, sicut flocculi nivis cadunt crebri die verno agitati procelloso vento [5]. Graecorum namque et troianorum exercitus tanta vehementia atque ferocitate in se invicem irruebant et commiscebantur, sicut atomi pulveris ventu procelloso agitati magna cum confusione miscentur [6].

Semper tamen troianos exsuperant graeci, quorum tanta erat multitudo sicut foliorum arborum in vere, v

---

[1] HOMERUS, *Illiades*, II, 207-210, ed. G. Dindorf (*Homeri carmi* expressa typis F. Didot. Parisiis 1862), p. 16.
[2] *Il.*, *IV*, 422-428, p. 45. Cf. 275-282, p. 42.
[3] *Il.*, XI, 294-298, p. 124.
[4] *Il.*, XII, 156-160, p. 137.
[5] *Il.*, XII, 277-289, p. 139.
[6] *Il.*, XIII, 334-338, p. 149.

arenae maris[1]: et quidem ad bellum pergentes armis micantibus atque splendentibus instructi, quorum fulgor a longe conspiciebatur, similes erant igni voraci immensam silvam comburenti, cuius splendor procul apparet[2]. Quo factum est, ut sicut cum ignis vorax silvam invadit et quoquoversus contorquens ventus eum agitat, ramique cum stirpibus cadunt impulsi impetu ignis ita capita troianorum fugientium ruebant impetentibus graecis sub instigatione Agamemnonis[3].

Praesertim eorum duces strenui, ut Achilles, qui in troianos ferebatur sicut ignis vorax vento agitatus in silvam pinorum[4]; et sicut flamma fumigans ex urbe in altum ascendit et splendor eius a longe conspicitur, ita a capite Achillis splendor oriebatur et ad aetherem usque pertingebat[5].

Similiter Aiax. Nam, sicut torrens e montibus in campum praecipitatur multasque quercus et larices secum rapit, ita Aiax in campum troianorum irrupit equos virosque concidens[6]. Et Diomedes, qui tanto impetu et furore phalanges troianorum persequebatur, ut omnes ruerent, nec ulla ei resistere posset: torrenti similis impetuoso et tumescenti septa pontesque omnes diruens, trahens, dissipans[7]. Eisque ducibus, totus graecorum exercitus magno impetu et fragore in troianos irruebat: ut vero quando torrentes fluvii de montibus fluentes in convallem conferunt rapidas aquas scatebris ex magnis concavum intra alveum voraginis, horumque procul fragorem in montibus audit pastor, sic hisce commistis oriebatur clamorque timorque[8].

Haud secus Menelaus in Euphorbum: sicut ventus repente ingruens turbine multo olivum frondentem ever-

---

1 *Il.*, II, 800, p. 27.
2 *Il.*, II, 455-458, p. 20.
3 *Il.*, XI, 155-162, p. 121.
4 *Il.*, XX, 490-494, p. 241.
5 *Il.*, XVIII, 207-214, pp. 216-217.
6 *Il.*, XI, 492-497, p. 127.
7 *Il.*, V, 85-94, p. 49.
8 *Il.*, IV, 153-156, pp. 45-46.

tit et super terram extendit, ita Menelaus hastam suam repente ac fortiter vibravit in Euphorbum eumque prostravit et extendit in terra [1].

Quod si troiani in graecos vehementer irruebant, ut quando pugna troianorum contra duos aiaces portantes secum cadaver Patrocli invalescebat terribilis sicut ignis vento agitatus invadit urbem et capit incrementum [2], graeci resistebant invicti et insuperabiles: duo aiaces arcebant troianos sicut agger silvorum arcet aquam, qui vel rapidorum fluminum molesta fluenta reprimit [3].

Graeci ergo troianis restiterunt uniti et compacti, sicut murus e lapidibus apte arcteque iunctis impetum ventorum elidit [4]. Pariterque danai troianorum impetus sustinebant eisque firmiter resistebant, sicut rupis magna resistit ac sustinet immobilis stridulorum ventorum vehementes incursiones undasque ingentes quae illiduntur in ipsum [5].

Aliunde loquacitas Ulysis ningori comparatur, utpote qui tanta verborum copia loquebatur sicut imbres nivales in hieme [6]: tantusque erat Patrocli dolor, ut calidas funderet lacrimas sicut fons thermalis fundit aquas [7]. Pulcherrime etiam ortus et interitus hominum comparatur generationi et corruptioni foliorum arboris: qualis foliorum generatio, talis est et hominum. Folia, alia quidem ventus humi fundit, alia vero silva germinans producit tempore veris: sic hominum generatio et nascitur et desinit [8].

41. *E ferocibus animalibus*, puta leonis, draconis, apri, hinnuli, asini, canis, aquilae, volucrum.

Graeci in troianos: sicut leo cervae velocis parvulo

1 *Il.*, XVII, 54-60, p. 199.
2 *Il.*, XVII, 735-745, p. 212.
3 *Il.*, XVII, 742-754, p. 212.
4 *Il.*, XVI, 212-217, p. 186.
5 *Il.*, XV, 618-622, p. 180.
6 *Il.*, III, 321-322, p. 33.
7 *Il.*, XVI, 3-4, p. 182.
8 *Il.*, VI, 146-149, p. 67.

hinnulos facile confringit quin nemo eos defendat, ita graeci troianos confringebant nemine impediente [1]. Et vicissim, troiani leonibus similes cruda vorantibus in naves ruebant graecorum [2].

Menelaus Euphorbum interfecit et armis spoliavit sicut leo bovem, quin a troianis impediri posset. Etenim, sicut in leonem fortissimum capientem et dilaniantem bovem non audent irrumpere canes neque pastores, sed a longe eum tremebundi conspiciunt, ita nemo troianorum audebat in Menelaum insurgere capientem et occidentem Euphorbum, sed eum a longe cum timore et tremore conspiciebant [3]. Nonnunquam tamen a pugnando arcebatur Menelaus agente Patroclo, sicut leo carnium cupidus impeditur a vorando ope canum virorumque [4].

Idem dic de Diomede, qui inter pugnandum tripliciter incensus, in troianos alacer irrupit iterum iterumque; sicut leo cum pastoribus pugnans, vehementius concitatur ad oves persequendas [5]. Hic enim duos praesertim filios Priami, Echemonem Chromiumque, e curru violenter deiecit armisque spoliavit, sicut leo inter boves irruens cervicem frangit iuvencae vel bovis per fruticetum pascentium, eorumque membra disrumpit et vorat [6].

Et de Agamemnone: quandoquidem, sicut leo nocte intempesta invadit boves validisque dentibus eorum cervicem frangit, ac dein sanguinem haurit; ita rex Agamemno insequebatur troianos fugientes, quorum alii proni, alii supini excidebant [7].

Aiax e contra impeditus est a troianis ne mortem in eos seminaret, sicut leo abigitur per canes et pastores ne ad gregem accedat [8]. Aliunde tamen Hector et Aiax

---

1 *Il.*, XI, 113-121, p. 120.
2 *Il.*, XV, 592, 593, p. 179.
3 *Il.*, XVII, 61-69, p. 199.
4 *Il.*, XVII, 657-668, p. 211.
5 *Il.*, V, 134-143, p. 50.
6 *Il.*, V, 159-165, p. 50.
7 *Il.*, XI, 172-180, p. 121.
8 *Il.*, XI, 548-557, p. 128.

longas hastas educentes, cominus simul ambo in se inci derunt, leonibus similes cruda vorantibus, vel suibu: apris quorum robur non imbecille[1]. Hector insuper e Diomedes congressi sunt velut duo leones[2]; itemqu Hector et Patroclus, quem ille vicit magno cum labore sicut leo aprum indomitum[3]; donec a graecis tanden superatus est. Sicut enim leo inter canes et viros vena tores non timet sed potius augetur eius audacia, eiusqu causa succumbit: ita Hector inter graecos in eum in petentes non timebat, quin potius audacior fiebat, hacqu de causa mortem demum oppetiit[4]. Fugaverat tame achivos uno occisso Mycenaeo Periphete, sicut leo irrun pens fugat boves uno vorato[5].

Sed et Stichius et Menestheus cadaver Amphimachi manibus troianorum arripientes ad suos portabant, sicı duo leones capram a canibus ereptam per densa virgult ferunt[6]. Revera graeci veluti leones se gerebant in pra lio, sicque duo fratres Grethon et Orsilochus bellator strenui per manus Aencae interfecti sunt, eo circiter m do quo duo leones in montibus nutriti stabula bou vastant donec per manus hominum eos persequentiu enecantur[7].

Achilles interea ferocitate magna irruebat in troi nos, sicut leo in agnos vel lepores[8]; maxime ut morte Patrocli vindicaret. In troianos enim ira rabieque mag concitatus et correptus est ob mortem Patrocli, sicut l in venatores qui catulos suos surripuerunt[9]. Praecip tamen singulari certamine in Aeneam ruebat sicut l exitialis[10].

---

1 *Il.*, VII, 255-257, p. 79.
2 *Il.*, X, 297, p. 113.
3 *Il.*, XVI, 523-528, p. 192.
4 *Il.*, XII, 41-57, p. 135.
5 *Il.*, XV, 630-638, p. 180.
6 *Il.*, XIII, 198-205, pp. 146-147.
7 *Il.*, V, 549-560, p. 58.
8 *Il.*, XXIV, 41-45, p. 280.
9 *Il.*, XVIII, 319-323, pp. 218-219.
10 *Il.*, XX, 164-165, p. 235.

Ulysses quoque, modo in puellas ardebat cupiditate sicut leo in oves vel cervos ardet fame[1]; modo eius adversarios interimebat sicut leo cervos recens natos in lustro occidit[2]. Unde et ad pugnam excitabat suos, dicens: ut draco in platanum ruit ibique octo passeris pullos ac denique eorum matrem devorat, sic nos totidem annos bellabimus contra troianos eosque vorabimus, ac demum Troiam ipsam capiemus[3].

Equidem ibant troiani pavidis columbis incessu similes: Diomedes e contra et qui circum ipsum erant leonibus vel apris cruda vorantibus similes erant vigore et audacia[4]. Quam ob rem Sarpedon urgebat Hectorem ad pugnam contra graecos, quia nemo e troianis inveniebatur qui hellenis resistere posset, quin potius omnes coram illis trepidabant sicut canes coram leonibus[5]. Hector autem circumdatus inimicis, sese defendebat in turri sicut draco in latibulo suo[6].

Graecorum troianorumque statum psychologicum exhibebant Alexander et Menelaus. Is enim Alexandrum conspicatus, vehementer gavisus est, sicut leo cervum cornutum vel agrestem capram offendens. Alexander vero, simul ac Menelaum vidit venientem, corde perculsus est, retroque inter suorum agmen se abscondit mortem vitaturus; eo circiter modo quo quis, draconem conspicatus in saltibus montis, aufugit resiliens, timore atque pallore correptus[7].

Agamemno autem suos ad praeliandum excitabat iracundis verbis: quid hic statis stupidi sicut hinnuli qui, postquam fessi sunt per magnum campum currentes, stant, nec ullum ipsis in praecordiis oritur robur? Surrexit vero Idomaeus inter primos pugnatores apro similis

robore, eumque blandis verbis excepit Agamemno[1] Quem cum Aeneas invaderet, illum Idomeneus invaden tem excepit impavidus et furens, sicut aper in mont excipit intrepide canes et viros venatores[2].

Consimiliter Polypoetes et Leonteus erumpentes i troianos fortissime pugnabant, sicut apri contra cane et homines; eorumque resonabat aes in pectoribus luc dum adversis ictibus percussum sicut aprorum stridebar dentes[3]. Interim Aiax troianas phalanges disipavit sict aper canes florentesque iuvenes[4]: et universim grae in troianos invadentes repugnabant sicut apri in canı venaticos[5].

Enimvero, tanta erat graecorum multitudo sicut f liorum et florum tempore verno, atque in troianos pe dendos ruere cupiebant sicut muscarum examen in va lacte repleta[6]. Simul tamen graecorum duces excubi agebant ne troiani ex inopinato irruerent, sicut can vigilant nocte ne bestia ferox irrumpat in caulam[7]. Ini autem praelio, graeci et troiani luporum instar in invicem ruebant[8]. Et quidem viso Hectore fugieba danai, sicut viso leone recedunt canes et viri rustici qui tamen postea, animo recuperato, in troianos irru runt atque fugarunt sicut lupi in agnos vel haedos, hi inde discerpentes eos qui animum inbellem habebant

At vero Hector troianos in graecos instigabat, sic in leonem vel aprum canes instigat venator[11], ipseq simul, ferocia turgens, graecos insequebatur, semp occidens eum qui postremus erat, sicut cum canis apri

---

1 *Il.*, IV, 240-253, p. 42.
2 *Il.*, XIII, 470-475, p. 152.
3 *Il.*, XII, 141-158, p. 137.
4 *Il.*, XVII, 281-287, p. 204.
5 *Il.*, XI, 324-325, p. 124.
6 *Il.*, II, 469-473, p. 21.
7 *Il.*, X, 180-190, p. 111.
8 *Il.*, XI, 72-73, p. 119.
9 *Il.*, XV, 271-281, p. 123.
10 *Il.*, XVI, 352-357, p. 189.
11 *Il.*, XI, 292-295, p. 124.

vel leonem prehendit a tergo, pedibus velocibus persequens, ad coxasque clunesque sese convertentem observat [1]. Eiusque exemplo concitati, troiani in Ulyssem magno cum impetu ferebantur, sicut canes et venatores in aprum [2]. Mortuo autem Patroclo, troiani in aiaces catervatim irruebant qui secum ferebant cadaver eius, sicut canes in aprum percussum: cum vero aiaces constiterunt conversi contra ipsos, recesserunt trepidi, sicut canes retrocedunt ex quo aper percussus in eos convertitur [3]. Atque urgentibus equitibus Diomedis, troiani velut agni conclusi sunt [4]. Troiani enim Diomedem timebant et horrebant sicut caprae balantes leonem [5]. Achilles vero Hectorem persequebatur sicut canis leporem.

Alibi alias adhibet comparationes. Troiani, inquit, e multis locis convocati variisque linguis loquentes, incedebant vociferantes et conclamantes, sicut oves innumerae assidue balantes, dum audiunt vocem agnorum suorum [6]. Seniores autem et proceres troiani in turri sedentes collaudabant et plaudebant iuvenes milites pergentes ad bellum, cicadis similes quae in silva arbori insidentes vocem suavem emittunt [7].

Ex adverso, duces graecorum milites sibi commissos distinguebant et in ordinem redigebant ad pugnam ituros, sicut pastores capras sibi commissas distinguunt et ab aliis secernunt: eminebat autem inter omnes rex Agamemno sicut taurus inter boves, qui oculis et capite Iovi fulguranti et tonanti, balteo Marti pectore Neptuno similabatur [8].

Inito vero certamine, Hector ita pedes et genua movebat sicut equus e stabulo egrediens per campum libere

---

1 *Il.*, VIII, 338-343, p. 90.
2 *Il.*, XI, 414-420, p. 126.
3 *Il.*, XVII, 725-734, p. 212.
4 *Il.*, VIII, 130-132, p. 86.
5 *Il.*, XI, 382-384, p. 123.
6 *Il.*, IV, 433-438, p. 45.
7 *Il.*, III, 150-154, p. 31.
8 *Il.*, II, 474-483, p. 19.

ac velociter currit [1]. Graeci autem ante portas resist et pugnabant usque ad mortem, sicut vespae vel ante nidos suos pro natis suis pugnant [2]; neque recessit e campo usque dum famem et sitim vindict troianos expleverat, sicut asinus non recedit a prato, multipliciter percusus faculis, usque dum ventrem foeno replevit [3]. Atque ut vituli circa vaccas mugi ita milites circum Ulyssem exsultantem [4].

Sed et Menelaus in Antilochum Nestoris filium opinato irrupit, sicut Aquila in leporem pascente agro [5]; itemque Achilles in troianos impetu veloci irruebat sicut Aquila venatrix in lepores vel agnic Alia tamen ex parte Hector in Achillem irrupit sicut la in agnam teneram vel pavidum leporem [7]. Ins sicut avium volucrium Aquila fulva gentem invadit fluvium pascentium anserum vel gruum vel cygn sic Hector ferebatur in navem caeruleam recta adversus prorumpens [8].

Hinc inde contrarii exercitus parabantur ad pra Troiani cum clangore et clamore incedebant avium i puta sicut clangor gruum volantium supra Oceani ta [9]. At ex alia parte, sicut ingens multitudo anseru gruum vel cygnorum longa colla habentium in prato fluenta huc illuc volitant exsultantes alis et maxim clangore prope fluvium consident, ita graecorum multae e navibus et tentoriis in planitiem profun tur scamandriam, ac terra terribiliter resonabat s dibus eorum equorumque [10].

Timebant graeci visis ducibus troianorum: ut

1 *Il.*, XV, 262-280, p. 173.
2 *Il.*, XII, 165-172, p. 137.
3 *Il.*, XI, 558-569, pp. 128-129.
4 *Il.*, X, 410-418, p. 115.
5 *Il.*, XVII, 674-678, p. 209.
6 *Il.*, XXI, 251-256, p. 246.
7 *Il.*, XXII, 308-311, p. 259.
8 *Il.*, XV, 690-695, p. 181.
9 *Il.*, III, 2-5, pp. 28-29.
10 *Il.*, II, 459-466, p. 21.

res vel graculi timent et vociferantes aufugiunt, sic achivi horrende vociferantes abibant visis Aenea et Hectore [1]. Accedente tamen Ulysse, in troianos convertunt arma sua: ut vultures in aves unguibus et rostris insiliunt et perdunt quin hae resistere valeant, ita Ulysses cum suis in adversarios irruebant eosque feriebant hastis et lanceis [2]. Quin etiam, sicut columba pavida fugit vulturem persequentem, ita Hector fugiebat trepidans Achillem insectantem [3].

42. Nonnunquam etiam comparat bellatores *cum aliis factis vel adiunctis vitae humanae.* Ita Aiax Simosium a se in terra prostratum et enecatum armis spoliat suis eaque in proprium cooptat ornatum, sicut faber lignarius perpulchram succindit et eiicit populum eamque ramis suis spoliat ad currum fabricandum ornandumque [4]. Idomeneus quoque Asium percusit ac prostravit hasta, sicut fabri securibus acutis quercum, populum vel pinum excidunt et in terram deiiciunt [5]. Hector manu arripuit ingentem lapidem et in altum ferebat, sicut opilio vellus arietis, eumque vibrando proiecit in portas [6]. Vox Achillis ad praelium urgentis erat sicut vox tubae elangentis instante periculo [7]. Sicut hordeum calcatur bobus et a tribulo conteritur in area, ita cadavera troianorum calcabantur et triturabantur pedibus et ungulis equi Achillis [8]. Sicut pastores non possunt leonem famelicum a praeda removere, ita aiaces non valebant Hectorem removere a cadavere Patrocli [9]. Patroclus ante Achillem teneras destillabat lacrimas, sicut puellula coram matre sua ut eam sublevet [10]. Sagittae et lorica Menelai reiiciebantur lon-

---

[1] *Il.*, XVII, 755-759, p. 212.
[2] *Il.*, XXII, 302-309, p. 259.
[3] *Il.*, XXII, 139-144, p. 256.
[4] *Il.*, IV, 482-489, p. 46.
[5] *Il.*, XIII, 389-393, p. 150.
[6] *Il.*, XII, 445-462, p. 142.
[7] *Il.*, XVIII, 219-221, p. 202.
[8] *Il.*, XX, 495-499, p. 241.
[9] *Il.*, XVIII, 161-164, p. 216.
[10] *Il.*, XVI, 7-11, p. 182.

geque saliebant, sicut e lato ventilabro fabae ı cicera [1]. Sicut messores oppositi invicem sulcum ducunt per agrum tritici vel hordei ac manip cadunt, ita troiani et achivi in se invicem insi debant. Metebatur vita utrorumque, sicut tr agro [2].

43. *Metaphoras* quoque adhibet pulcherrin les Hectorem insultat, dicens eum habere oculo et cor cervinum [3]. Aeneas robustus, erat in fl tutis [4]. Ulysses secundum ventum implentem lum, appellat bonum socium: ἐσθλὸν ἑταῖρον que, alas navis: πτερὰ νηυσὶ πέλονται [6]; atque fil Melemachum vocat dulce lumen, γλυκερὸν φάος iterum, senectutem dicit stipulam (καλάμην Volabat sagitta Menelai, cupiens in turbam ir pervenire, eorumque carnibus saturari [9]; qu tora, plena furoris pertransiit [10]. Mater Hectori allata verba locuta est [11], cuius oculos obscura ı ruit [12]. Troianorum phalanges, ante quidem alia ac deinceps aliae, appellantur fluctus aestuar midi multo strepitu resonantis maris [13]. Lap quem Sisyhus magno labore sursum pellebat a quin tamen cuspidem superaret, quia rursus in ima solumque volvebatur, lapis impudens ap

44. Similiter *Pindarus*, qui plurimum lau rum, eminet in comparationibus atque metap

---

1 *Il.*, XIII, 588-595, p. 154.
2 *Il.*, XI, 67-71, p. 119.
3 *Il.*, I, 225, p. 5.
4 *Il.*, XIII, 484, p. 152.
5 *Odys.*, XI, 6-8, p. 391.
6 *Od.*, XI, 125, p. 393.
7 *Od.*, XVI, 23, p. 441.
8 *Od.*, XIV, 214, p. 424.
9 *Il.*, XIII, 593, p. 154; IV, 126, p. 39; XI, 569, p. 129.
10 *Il.*, XV, 540-543, p. 178.
11 *Il.*, XXII, 81, p. 255.
12 *Il.*, XXII, 466, p. 262.
13 *Il.*, XIII, 795-801, p. 158.
14 *Od.*, XI, 493-499, p. 402.

rendis. Virtuosus ad vitiosum hominem comparatur ut dies ad noctem vel ut lux ad tenebras: virtuoso semper lucescit sol; vitioso e contra semper occultatur lux [1]. Rex Teron fortitudine superat ceteros homines, sicut aqua cetera elementa et sicut aurum cetera metalla [2]. Locris adeo naturales sunt prudentia et fortitudo sicut vulpi astutia et ferocitas trigidi [3]. Achilles se habet in telis fortiter ac velociter mittendis sicut aquilo furens in fortiter atque velociter mittendis aqua, nive et grandine [4]. Alcimedes ceteros exsuperat pugiles sicut delphinus ceteros pisces [5]. Poeta ex omnibus exquisitiora extrahit, atque suavia et dulcia cantica profert, sicut apes favum extrahit melis ex omnibus floribus [6]. Versus comparantur floribus: quo iuniores et viridiores, eo gratiores; vinum e contra, eo dulcius quo antiquius [7]. Fama et gloria humana sunt sicut ventus et nubes: huc illuc feruntur, agitantur, facile mutantur, et in fine dissipantur; vulgus autem hominum cacumina insequitur gloriae, sicut nubes cacumina montium [8]. Melisus tebanus fortitudine leoni, astutia vulgi comparatur [9]. Pindarus ipse corrivalibus suis comparatur sicut Aquila corvis [10].

Praesertim vero excellit in metaphoris adhibendis. Rex Teron est flos floriosae stirpis [11]. Virtus est aurum animae [12]. Homo est pulvis, flos unius diei, umbra fugiens vani somnii [13]. Insidiosum tempus varia iugique

---

1 PINDARUS, *Olympia* II, 109-122, Opera, ed. A. Puech., t. I, p. 46. Paris 1922.
2 *Olymp.*, III, 75-81, p. 56.
3 *Ol.*, XI, 16-22, pp. 136-137.
4 *Nemeonicon* III, 74-111, ed. cit., t. III, pp. 44-45. Paris 1923.
5 *Nem.*, VI, 102-105, p. 84.
6 *Pythionicon* X, 82-83, ed. cit., t. II, p. 148. Paris 1922.
7 *Ol.*, IX, 71-74, t. I, p. 118.
8 *Ol.*, IX, 152-162, p. 121. Cf. *Ol.*, XI, 1-11, p. 136.
9 *Isthmionicon*, IV, 76-80, ed. cit., t. IV, p. 46. Paris 1923.
10 *Nemeonicon* III, 139-144, t. III, p. 46.
11 *Ol.*, II, 13, t. I, p. 42.
12 *Ol.*, II, 10-11, p. 42.
13 *Nem.*, VI, 5-6, t. III, p. 81; *Pyth.*, VIII, 95-96, t. II, pp. 135-137.

agitatione revolvit turbidas aquas humanae vitae[1]. Flu
tus vitae nostrae, incesanti motu et agitatione, prospe
ferunt et adversa[2]. Luna est pupila noctis[3]. Saty
poetae telum est in eius adversarios[4]. Ac pulcherri
loquitur de secundo ventu prosperitatis[5], de state
fortunae[6], de habena potestatis[7], de temore civita
gubernandae[8], de navi poeseos per Musam directa[9],
tumescentibus fluctibus moestissimi Orci navem hum
nae vitae cooperientibus simulque praeclaros et obscu
viros submergentibus[10].

Itemque iuventus est flos vitae[11]. Amphiareon vo
tur ab Adrastro oculus exercitus sui[12]. Iupiter tenet
benas tonitrui[13]. Opulentia est stella rutilans et splen
humanae vitae[14]. Lux est mater oculorum nostron
μᾶτερ ὀμμάτων[15]. Bacchus est pura lux autumni[16]. Tem
est pater omnium rerum, Χρόνος ὁ πάντων πατὴρ[17]; et domi
humanae felicitatis[18], atque iustitiae optimus defenso
Consuetudo est regina mundi[20].

45. Pindarum tamen hac in re *Aeschylus* exsupe
qui metaphoras audacissimas adinvenit. Lunam, ut l

---

1 *Isth.*, VIII, 23-30, t. IV, p. 77.
2 *Ol.*, II, 61-64, t. I, p. 44; *Ol.*, XII, 6-18, p. 142; *Pyth.*, III, 18
t. II, p. 59; *Nem.*, VII, 26-27, 46-47, t. III, p. 97.
3 *Ol.*, III, 36, t. I, p. 55.
4 *Ol.*, II, 150-164, t. I, p. 47; *Ol.*, IX, 8-16, p. 116.
5 *Ol.*, XIII, 37-38, t. I, p. 149.
6 *Nem.*, VII, 7-9, t. III, p. 96.
7 *Pyth.*, V, 15-16, t. II, p. 92.
8 *Pyth.*, I, 166-167, t. II, p. 33.
9 *Nem.*, IV, 53-60, t. III, pp. 55-56.
10 *Nem.*, VII, 44-46, t. III, p. 97.
11 *Ol.*, I, 104, t. I, p. 20; *Ol.*, IV, 39-42, p. 63.
12 *Ol.*, VI, 26, p. 81.
13 *Ol.*, IV, 1, p. 63.
14 *Ol.*, II, 101-102, p. 45.
15 *Paeanes* IX, 2, t. IV, p. 132.
16 *Fragm.*, 35, t. IV, p. 214.
17 *Ol.*, II, 32, t. I, p. 43.
18 *Fragm.*, 4, t. IV, p. 204.
19 *Fragm.*, 40, t. IV, p. 215.
20 *Frag.*, 49, p. 218.

corum princeps, pupillam noctis appellat, νυκτὸς ὀφθαλμός [1]: Solem vero pupillam diei et oculum Iovis omnia prospicientem, πανόπτην [2]; immo et Deum diei [3]: terramque, omnium matrem, παμμῆτόρ τε γῆ [4]. Aether susurrat levibus alarum verberibus [5]. Undarum marinarum risus innumerabilis apparet [6]. Nemus marinum navibus plantatum ventuque agitatum ituebantur persae [7]. Promontorium Salmydessia vocatur maxilla prominens et aspera, infesta nautis hospita, naviumque noverca [8]. Cacumina montis Caucasi sunt tempora e quibus amnes ruunt et effluunt impetuosi et spumantes [9]. Xerxes appellatur draco sanguinarius, florem hominum maximeque iuventutis ad mortem certam traiiciens, non obstante quod iugum cervicibus maris imposuerat ingenti classe et in graecos pedester et equester irruperit ut examen apum [10].

Post cladem vero persarum, Darius gemebundus edixit: flos superbiae et insolentiae spicam progenuit straginis, indeque populus persarum lacrimosa collegit messem [11]. Victisque persis, solutum est iugum imperii eorum super alios populos [12]. Loquitur etiam de ventu fortunae [13], de rubigine malevolentiae et invidiae veneno [14], de cursu caliginoso noctis [15], de nocte mortis [16], de remis alarum [17], de fluctibus extraneorum invadentium [18], de verbis infi-

---

1 AESCHYLUS, *Septem adversus Thebas*, 390 (Aeschyli Tragoediae et perditarum fragmenta, ed. E. Ahrens. Paris, F. Didot, 1842, p. 23).
2 *Prometheus*, 91, p. 3; Choephoroe, 984-985, p. 129.
3 *Persae*, 503, p. 60.
4 *Prom.*, 90, p. 3; *Supplices*, 890, 899, p. 172.
5 *Prom.*, 88, p. 3; 124-125, p. 4.
6 *Prom.*, 89-90, p. 3.
7 *Persae*, 110, p. 51.
8 *Prom.*, 726-727, p. 16.
9 *Prom.*, 720-721, p. 16.
10 *Persae*, 81, p. 51; 59-60, p. 51; 252, p. 55; 71, p. 51; 126-131, p. 52.
11 *Persae*, 821-822, p. 67.
12 *Persae*, 591-594, p. 61.
13 *Persae*, 601-602, p. 62.
14 *Agamemno*, 834-835, p. 88.
15 *Choephoroe*, 660, p. 122.
16 *Septem adversus Thebas*, 103, p. 34.
17 *Agamemno*, 50-54, p. 74.
18 *Septem adversus Thebas*, 1.077-1.078, p. 49.

gendis in tabulis memoriae [1], de ostio fluminis [2], de sagitta amoris [3]. Orestes erat spes domus [4]; aquila est canis alatus Iovis, eum semper comitans [5]; pectus eorum, qui ut homines se viriliter defendunt, est murus inexpugnabilis [6]; iustitia est virgo filiaque Iovis [7]; mors est medicina aegritudinum insanabilium [8]; obedientia est mater prosperae fortunae, quae salutem affert obedienti [9]; divina mens in albo caelorum considens, omnia movet et gubernat [10]. Mitius incedit Sophocles. Orestes paedagogum suum comparat equo generoso: quemadmodum enim generosus equus, etsi iam consenuit, in periculo tamen non deficit animo, sed aures arrigit, sic et tu nosque incitas, et ipse inter primos sequeris [11]. Ex ore Aiacis Ulyssem appellat vulpem sceleratam [12].Puellam vocat florem in dies augescentem, matronam vero florem in dies marcescentem [13]. Mors est ultima morborum medicina [14]. Iustitia aureum habet oculum [15]. Homo est flatus et umbra tantum, πνεῦμα και σκία μονον [16].

46. Eodem modo *Euripides* metaphoris et similitudinibus abundat, quamvis, ut Aristoteles animadvertit, primus inter litteratos verba in sensu obvio et naturali et communi usu adhibere consuevit [17]. Unde et ipsemet Euripides: «si omnibus, inquit, idem esset pulchrum simul sa

---

1 *Prom.*, 789, p. 18.
2 *Prom.*, 847, p. 19.
3 *Prom.*, 649-650, p. 15.
4 *Choephoroe*, 776, p. 124.
5 *Prom.*, 1.022-1.023, p. 23; *Fragm.* 69, 12, p. 141.
6 *Persae*, 348-349, p. 57.
7 *Septem adversus Thebas*, 662, p. 39.
8 *Frag.*, 105, p. 201.
9 *Septem adversus Thebas*, 224-225, p. 30.
10 *Supplices*, 100-101, p. 155.
11 *Electra*, 25-28, p. 33 (Sophoclis tragoediae septem et perditarum fragmenta, ed. E. Ahrens. Paris, F. Didot, 1842).
12 *Aiax*, 103, p. 4. Cf. 392, p. 10.
13 *Trachiniae*, 547, p. 229.
14 *Fragm.*, 118, p. 266.
15 *Frag.* 149, p. 274.
16 *Frag.*, 150, p. 274. Cf. *Fragm.*, 765, p. 374.
17 EURIPIDES, *Rhetorica*, lib. III, cap. 2, n. 5 (I, 387, 1-3).

pienterque dictum, non esset ambigua inter homines dissensio»[1]. In opere generationis ita se habet mulier ad virum sicut ager ad seminantem[2]. Ita iucundum est videre fidum virum in adversis sicut nautam securum in mari procelloso[3].

Pulcherrimam Helenam auricomus Sol radiis suis adspicit[4]; quae rursus, inter malorum arcebitatem Hecubam affligentium, tantae ei consolationis erat, ut simul civitas, nutrix, baculus et dux viae esset[5]. Orestes, qui matrem suam occidit, draco matricida (ὁ μητροφόντας δράκων) leoque crudelis appellatur[6]. Llysses est letalis draco — φόνιός τε δράκων —[7]; eumque Polixena compellabat: o lux, ὁ φῶς[8]. Hecula Agamemnoni: aurum inquit, si velis vera dicere, interfecit filium meum, et lucrum tuum[9]. Senes nihil aliud sunt quam vox et umbra[10]: umbra rerum somniorumque imagines[11]. Somnium est spectrum atris alis praeditum[12]. Alas habent divitiae: nam qui eas olim habebant, hos praeter spem supinos rapi video. Nimirum, repente adveniunt abeuntque magna cum facilitate, sicut passeres volantes[13]. Omnia gignit terra, rursusque demit[14]. Tellus arida imbrem appetit, caelumque imbribus refertum mira ardet libidine in humum cadendi[15].

---

1 *Phoenissae*, 499-500, p. 84 (Euripides Fabulae, ed. Th. Fix. Paris, F. Didot, 1843).
2 *Orestes*, 552-554, p. 43.
3 *Orestes*, 727-728, p. 46.
4 *Hecuba*, 635-637, p. 14.
5 *Hecuba*, 278-281, p. 7.
6 *Orestes*, 479, p. 41; 1.422, p. 64; 1554-1555, p. 58.
7 *Orestes*, 1406, p. 64.
8 *Hecuba*, 435, p. 10.
9 *Hecuba*, 1206-1277, p. 27. Cf. *Fragm.*, 21 (ed. F. Wagner. Paris, Didot, 1878), p. 626; *Fragm.*, 288, p. 684; *Fragm.*, 427, p. 720; *Fragm.*, 466, p. 731.
10 *Fragm.*, 500, p. 741.
11 *Fragm.*, 38, p. 629.
12 *Hecuba*, 70-72, p. 2; 704-705, p. 16.
13 *Fragm.*, 422, p. 719.
14 *Fragm.*, 223, p. 670.
15 Apud ARISTOTELEM, *Ethica Nicom.*, lib. 8, cap. 1, n. 6 (II, 91, 31-33).

Echo filia est rupis non sopita [1]. Ros est pudor flores illibatas fovens atque nutriens [2]. Dea Cautio caeso pedi est oculus, stellaque nautis [3]. Tempus acute prospicit et omnia videt [4], omneque verum patefacere solet [5]: omnia posteris narrat, adeoque loquax est —λαλος ἐστὶν οὗτος— ut vel non interrogantibus fabuletur [6]. Ipsamet iustitia proles est temporis, quia tempus ostendit quis nostrum bonus, quis malus sit [7].

Bona fama est pulcherrima corona [8], decorumque silentium corona viri boni [9]. Labor est pater gloriae [10]. Graeci Iliam expugnantes ac devastantes dicuntur nubes eam circumfundentes; quae insuper, turribus quibus protegebatur destituta, detonsa corona sua describitur, maculaque tristissima denigrata [11]. Et alibi loquitur de luce fortunae, et de fumo sive de tenebris infortunii [12]. Haec me servavit: haec mihi nutrix, mater, soror, famula, ancora, tectum [13]. Fretum fluctibus non agitatum, crispatione ridet [14].

47. Similiter *Aristophanes* in comoediis suis. Pericles olympicus prae iracundia fulminabat, tonabat, conturbabat universam Graeciam [15]. Servus Paphlogo coriarius se habet ad dominum suum Demum Pyncensem, morosum seniculum et sudastrum, ut canis: hero suo se submittens blandiri, suppalpari coepit, eumque decipere, oblatis prae

---

1 *Hecuba*, 1109-1110, p. 25.
2 *Hippolitus*, 73-81, p. 147.
3 *Phoenicae*, 834-835, p. 93.
4 *Fragm.*, 502, p. 742.
5 *Fragm.*, 443, p. 724.
6 *Fragm.*, 28, p. 627.
7 *Fragm.*, 217, p. 669.
8 *Fragm.*, 221, p. 670.
9 *Fragm.*, 216, p. 669.
10 *Fragm.*, 478, p. 735.
11 *Hecuba*, 905-913, p. 20.
12 *Hecuba*, 1214-1215, p. 27.
13 *Fragm.*, 1007, p. 860.
14 *Fragm.*, 1006, p. 860.
15 ARISTOPHANES, *Acharnenses*, 530-531, p. 15 (Aristphanis Comoediae et perditarum fragmenta, ed. G. Dindorf, Paris, F. Didot, 1838).

segminibus [1]. Milites sunt sicut vulpeculae, quia ruri uvas comedunt [2].

Paupertas est soror mendicitatis [3]. Philostratus est canivolpes clam mordens, dolosa, astuta, calida [4]. Servus ille coriarius Paphlago aquila est coriaria curvis unguibus praedita, quia curvis manibus rapit et fert [5]: est et draco, utpote isicii formam habens oblongam, potorque sanguinis [6]. Theorus tanto cum exercitu iuravit irrupturus, ut athenienses conclamarent: quanta multitudo *locustarum* advenit! [7].

Homo est avis volitans, voga, nullum unquam momentum in eodem permanens [8]. Socratem appellat subtilissimarum nugarum sacerdotem [9]: Vinumque generosum potuque suave, Veneris lac [10]. Quae ad navem reipublicae spectant, maioris sunt momenti [11].

48. Hisce maioribus litteratis, iuvat nonnullos e minoribus addere. Iuxta *Menandrum*, vita humana est res per se infelix atque aerumnis obsita, et *densa curarum seges* [12]. Pravus animus in corpore pulchro est sicut pessimus gubernator in optima navi [13]. Pax suspecta est sicut amicitia lupi [14]. Sicut aurum igne probatur, ita amicus certus in re incerta [15].

---

1 *Equites*, 40-48, p. 34.
2 *Equites*, 1076-1077, p. 64.
3 *Plutus*, 549, p. 422.
4 *Equites*, 1067-1069, p. 63.
5 *Equites*, 203-205, p. 45.
6 *Equites*, 206-208, pp. 45-46.
7 *Acharnenses*, 148-150, p. 5.
8 *Aves*, 169-170, p. 203.
9 *Nubes*, 359, p. 84.
10 *Fragm.* 4 incertarum fabularum, p. 513.
11 *Vespae*, 28-29, p. 119.
12 MENANDRUS, *Mulieres comprandentes*, *fragm.* 6 (Menandri et Philemonis fragmenta, ed. F. Dübner. Paris, F. Didot, 1838), p. 45.
13 *Incertarum fabularum fragmenta*, fragm. 166, p. 71.
14 *Ibid.*, *fragm.* 203, p. 74.
15 *Ibid.*, *fragm.* 143, p. 69.

49. Pariter *Moschio*: quemadmodum neque equo (cus, neque avibus nidus se extollere atque gloriari pı mittit, sed illi pedum, his alarum celeritas; ita hominib non pulchritudo et luxuria, sed probitas et bene ager ratio [1].

50. Sicut una aquila —ait *Sosistheus*— sexcentas gat volucres ita una anima bene docta turbam ignobilen Et *Chaeremo*: qui voluptatibus indulgent, sunt sicut natores in immensum florum exercitum irruentes spicu destituti [3].

51. *Theodecta*: senectus, inquit, et matrimonium a: milantur: quia sicut homines desiderant ad senectut pervenire, ita et ad matrimonium; et sicut dolent p venti ad senectutem, ita ex quo matrimonium sunt c secuti [4].

52. Accedit quoque vir politicus *Pericles*. Samii – cebat— sunt sicut infantes, qui cibum quidem sum sed tamen plorant: Boetii autem sicut ilices, quia si ilices se invicem frangunt eo quod ex eodem quercu ex hitur cuncus ad ipsum scindendum, ita boetii inter ultro citroque congrediuntur [5].

Sed ad *philosophos* presse dictos transeamus, quoı primi sua cogitata poematibus exprimebant, utpote poesim simul et philosophiam excolebant. Hi ergo ā logias incoeperunt adhibere explicativas vereque scie ficas, et non mere descriptivas atque populares ut] litterati.

53. Primus itaque inter poetas philosophos occı *Thales Milesius*. Quid autem ipse revera docuerit, h

---

1 *Fragm.*, 18 (Poetarum tragicorum graecorum fragmenta, e Wagner. Paris, F. Didot, 1845), p. 142.

2 *Fragm.*, 1, p. 150.

3 *Fragm.*, 10, p. 127.

4 *Fragm.*, 14, p. 120.

5 Apud Aristotelem, *Rhetor.*, lib. III, cap. 4, n. 3 (I, 390, 21-25

facile dictu, quia nihil reliquit scriptum; vel ad nos usque, si quid scripserit, non pervenit. Eius vero cogitata nonnulla, ex traditione recolunt Plato et Aristoteles aliique post ipsos, qui et maximis eum extollunt laudibus eo quod primus omnium studio philosophiae incubuerit. Non enim geometriam tantum et astronomiam callebat, verum et relictis fabulis, mythis scatentibus, theologorum, primus causam et principium rerum omnium naturalium scientifice pervestigavit, atque ex humana experientia et discursu explicare conatus est.

Sic Pyramidum altitudinem mensus est ex analogia cum mensura altitudinis corporis humani. Hanc enim mensus est ex eius umbra, qua hora par esse corpori solet. Aequalis ergo cum esset tunc umbra latitudo altitudini corporis humani, proportionaliter sive analogice deduxit altitudinem Pyramidum aequalem esse latitudini umbrae ipsarum illamet hora productae, cuius quidem mensuratio in promptu erat [1]. Pariter, cum demonstrasset triangulos, quorum angulos duos unumque latus sunt aequalia, aequales esse, hanc suam demonstrationem ad distantiam navium a terra mensurandam extendit, proportionem scilicet longitudinis aliorum laterum aliusque anguli deducens ex iam nota unius lateris in terra descripti duorumque angulorum eius [2].

At praesertim rerum omnium naturalium principia investigavit, illucque pervenit ut diceret primum earum principium esse aquam. Quam in sententiam, ut Aristoteles suspicatur [3], ex viventium indole experta, in quorum seminibus et germinatione atque nutritione et incremento humiditas apparet veluti omnino necessaria, pervenisse videtur. Humiditatis autem principium est aqua. Aqua

---

[1] *Hieronymus*, apud DIOGENEM LAERTIUM, *De clarorum philosophorum vitis, dogmatibus et apophthegmatibus libri decem*, lib. 1, cap. 1, n. 27 (ed. C. Cobet. Parisiis, F. Didot, 1850), pp. 6, 53-54; PLINIUS SECUNDUS, *Historia mundi*, lib. 26, cap. 12, col. 930, 54-56. Parisiis, 1548.

[2] Cf. R. MONDOLFO, *adnot. in Ed. Zeller*, Philosophie der Griechen, vers. ital., vol. II, pp. 106-107. Firenze, s. d.

[3] *I Metaph.*, cap. 3, n. 4 (II, 472, 23-30).

ergo est principium primum ex quo viventia —plantae atque animalia— procedunt, et in quod resolvuntur cum intereunt et putrefiunt, ut experientia quoque comprobatur: immo et calor et aer ex hac fermentatione produc videmus.

Insuper, ex pluvia vel irrigatione fecundantur agri, segetes germinant, crescunt, florent, fructus ferunt. Delta Nihil aliaeque terrarum portiones sat multae fertilitate eminentes, ex aquarum turbine foeciumque sedimento processisse comperimus. Mare praesertim piscibus omni generis abundat. Itaque experientia comprobatur omn vivum ex aqua provenire.

Quod autem de piscibus, animalibus et plantis dicitu proportionaliter ad universam rerum naturam exten debet, quae vivens est, vel ad vitam toto fertur impet viventibus subserviens. Lapis namque magneticus et su cinum sive electrum animata sunt, quia anima est pri cipium motus, et videmus magnetem attrahere ferru illudque movere [1]. Porro magnes et electrum omnib corporibus permiscentur, ac per omnia diffunduntur. To ergo natura animata est ac vita praedita, ac proin ex aq producta; quae ideo divinum quid redolere videtur [2].

Iure igitur L. Robin de Thalete dixit: «il voit, ou cr voir, que tout provienne d'une ransformation de l'eau revient ensuite à l'eau; puis il étend à l'ensemble d choses, *par une analogie pleine de hardiesse*, le résul de cette observation» [3].

54. Pari modo *Anaximander*, qui notitia rerum n thematicarum eminebat et rebus naturalibus exploran atque explicandis magnam dedit operam, ingenium ha bat pronum ad analogias vel subtiliores atque recondi

ubique detegendas [1]. Principium omnium primum posuit infinitum et indeterminatum, maxima tamen vi praeditum eaque intestina, ratione cuius, naturali et indesinenti evolutione, necessario explicatur in res omnes distinctas quas videmus sive caelestes sive terrestres.

Metamorphoses, quas in ranis et papilionibus observabat, ad cetera animalia proportionaliter extendebat. Homo ipse ascendenti quadam evolutione e piscibus veniret, qui prima videntur fuisse viventia. Non enim sibi sufficit ab initio, sed longi temporis cura et opera nutricis indiget. Sicut ergo quaedam animalia, exempli gratia squali, ut fertur, natos suos deglutiunt et servant usque ad tantam eorum evolutionem ut sibi sufficere et per se vivere queant, ita et homo primaevus in ventre piscium permansit usque ad talem corporis eius dispositionem ut possit per se et independer degere vitam. Oportet siquidem proportionem esse inter structuram organismi viventis et medium exterius in quo vivere tenetur, ut tali aptetur medio: a primo autem exordio humani generis non erant matres neque nutrices humanae, quae de recenter conceptis et natis curam habere possent [2].

«Anaximander Milesius —ait Censorinus, *De die natali*, 4, 7— videri sibi ex aqua terraque calefactis exortos

---

[1] «Vigoureux était en lui le sens de l'identité, la faculté de pénétrer des analogies profondément cachées; puissant le désir de dégager de ce qui tombe sous les sens ce qui se dérobe à leur perception» (TH. GOMPERZ, *Die Griechische Denker*, vers. gallica A. Reymond. t. I, p. 55. Paris, 1904).

[2] «Il s'est prononcé d'une manière précise sur l'origine du genre humain. Faire sortir sans autre explication les premiers hommes de la terre, à la manière des mytologues, il en été empêche, surtout, à ce que nous savons, par une considération: le petit enfant a plus besoin que tout autre être de secours prolongés, et n'aurait pu conserver l'existence par les simples moyens naturels. C'est pourquoi Anaximandre se mit en quête d'Analogies qui pussent résoudre cette énigme. Il en trouva une dans la croyance populaire: les requins, disait-on, avalent leurs petits, aussitôt les oeufs éclos, les rèjettent ensuite, et répent cette opération aussi longtemps que le jeune animal n'a pas acquis la force nécessaire pour continuer à vivre de lui-même. D'une manière analogue, les ancêtres du genre humaine aurarient pris naissance dans l'intérieur du corps de poissons et ne les auraient quittés qu'une fois mûrs pour la vie» (GOMPERZ, *op. cit.*, p. 61).

esse sive pisces seu piscibus simillima animalia; in h homines concrevisse fetusque ad pubertatem intus rete tos: tunc demum, ruptis illis, viros mulieresque, qui ia se alere possent, processisse[1].

Tam terra quam astra formam habent rotundam, n(tamen sphaericam sed cylindricam. Athmosphera aute qua terra circumdatur, et halus igneus quo astra circu volvuntur, ad ipsa se habent veluti cortex ad arbore aut sicut rubigo ad cylindrum aeneum[2]. Horum omniu origo et forma ex primaeva et indeterminata mater explicatur per gyrationem vertiginosam, proportionalit ad globulos vel cylindros ex artefacto pyrotecnico pı ductos. Fulgura vero explicare conatus est per analogia ad flammas vel scintillas e ligno viride dum comburit erumpentes: quemadmodum enim huiusmodi causant ex fuga aëris vaporosi in ligno conclusi, ita fulgura p ducuntur ex fuga aëris per foramina rotae igneae as circumvolventis[3]. Maria antem dixit primi humoris e reliquias, veluti rorem in plantis et sudorem in anir libus[4].

Semper tamen materia primaeva et infinita ma eadem sub diversis et successivis formis quas indesin ter induit, servato tamen ordine iustitiae immanentis ι versalis, ad instar legis talionis: siquidem fluxus un refluxum alterius aequalem provocat, itemque ortus un interitum alterius, atque unius generatio alterius corı tionem. Materia siquidem et energia immanens, q φύσιν essentialiter constituunt, infinitae sunt et indimi biles, unaque cum vertiginosa gyratione aequilibritat

[1] Apud H. Diels, *Die Fragmente der Vorsokratiker* 12a, 30, ed Kranz, t. I, p. 88, 34-37. Berlin, 1951). Cf. *ibid.*, n. 10, p. 83, 27-4(Theophrasto, n. 30, p. 89, 1-9, ex Plutarcho.

[2] Theophrastus [Pseudo-Plutarchus], *Stromata*, 2 (Diels, *op. loc. cit.*, n. 10, p. 83, 36).

[3] Cf. Zeller-Mondolfo, *op. cit.*, p. 132.

[4] Plutarchus, *De Placitis philosophorum*, lib. 4, § XVI, n. 1. *Sc moralia*, t. II, p. 1094, 30-34. Paris, F. Didot, 1844.

sive iustitiam servant sub iudice tempore: κατὰ τὴν τοῦ χρόνου τάξιν [1].

55. Tertius philosophus huiusce scholae ionicae, scilicet *Anaximenes*, vestigia premit partim Thaletis partim Anaximandri. Ex hoc retinuit primum principium rerum omnium naturalium esse infinitum; ex illo autem, esse quid determinatum, minimeque confusum et indeterminatum, non tamen aquam sicut ille, sed aërem.

Thaletem ergo praesertim aemulans, ea quae experientia docet de aëre ad totam rerum naturalium universitatem analogice extendit, hoc circiter modo procedens: experiundo comperimus aërem esse prorsus necessarium omni animali, immo et omni viventi, ut vivat; quia omne vivens respirat. Quod quidem vel ipsum nomen Animae innuit, nam ψυχή halitum sive spiritum significat. Cum igitur anima sit primum principium vitae, aër ipse eodem iure principium primum eius dicendus est.

Ex quo illud consequitur, tantum extendi vitam quantum aëer protenditur. Porro hic maxime diffusus est per omnia maximeque nobilis; atque experientia discimus ipsum rarefactione et condensatione in omnia haec sensibilia converti, et vicissim: aër namque rarefactus fit ignis, condensatus vero fit vapor, nebula, aqua, terra, rupis, cetera solida. Quae omnia cum sint attributa indubia primi principii, eodem ictu probant totam rerum naturalium universitatem esse respirantem, ideoque viventem [2]. Sicut ergo aër sustinet vitam nostram respiratione, ita et aër universum mundum circumdans sustinet et vivificat ipsum: οἷον ἡ ψυχή, φησίν, ἡ ἡμετέρα ἀὴρ οὖσα συγκρατεῖ ἡμᾶς, καὶ ὅλον τὸν κόσμον πνεῦμα καὶ ἀὴρ περιέχει [3]. Nimirum «raisonnement analogique», ut scite animadvertit L. Robin [4].

---

[1] Simplicius, *Phys.* 24 13 (apud H. Diels, 12B, 1 *op. cit.*, p. 89, 11-15). Cf. *ibid.*, 12A, 9, p. 83, 3-26.

[2] Theophrastus, apud Simplicium. Physic. 24, 26 (Diels, 13A, 5, op. cit., p. 91, 12-24; Pseudo-Plutarchus, *Strom.* 3 (*ibid.*, n. 6, p. 91, 25-32); Plutarchus, *De primo frigido*, 7 (*ibid.*, 13B, 1, p. 95, 2-14).

[3] Aetius, *Placita philos.*, I, 3, 4 (Diels, 13B, p. 95, 15-24.

[4] *La Pensée grecque*, p. 54.

In cuius signum sunt crateres, quibus terra a sidera instructa videmus: sunt enim producti ex mentia aëris intus conclusi qui extra exire conten respirandum, eo circiter modo quo narium meatu sati sunt in animalibus ex aëre deintus erumpente spirationem et vitam. Quo fit, ut crateres se habe terram et corpora caelestia sicut narium meatus a malia: quia videlicet utrobique producti sunt e interius concluso ad exteriora se protendente, eisqu portionaliter indigent ad respirationem et vitam c vandam [1].

56. Sed multo profundius rerum naturam ean prima principia rimatus est *Heraclitus*, neglectis eruditione et particularium consideratione, quas ciebat. Solitarius, melancholicus, asper, arrogant nus, tanta de proprio ingenio ac de propria sa aestimationem habebat, ut ceteros quosque homin praeteritos et praesentes sive ignorantes et excultos naretur.

Obscuritatem superbus affectabat —unde et c cognomen adeptus est [2]— dictitans claritudinem s esse vulgaris ac nimis superficialis cognitionis. Ei menta, quae supersunt, paradoxis, imaginibus, co tionibus abundant, ita tamen ut in aenigmata no declinent. Verumtamen ingenium habebat promp sagacissimum ad analogias vel reconditiores et sub detegendas [3].

Sensus ostendunt res sensibiles motui atque tr mationi indesinenter esse subiectas, ut vegetalia malia, quae continuo renovantur, idemque propc

---

[1] Cf. ARISTOTELES, *I Metaph.*, cap. 3, n. 7 (II, 472, 42-43); *tibus animalium*, cap. 1 (III, 220, 33-34).

[2] Ideo a LUCRETIO ironice appellatur *clarus ob obscuram* (*De rerum natura*, lib. 1, 639-640).

[3] «A quel extraordinaire degré était développée en lui l géniale de reconnaître et de dégager l'analogie sous les envel plus hétérogènes!» (GOMPERZ, *op. cit.*, p. 82).

liter de ceteris asserendum est. Fluxus autem iste perpetuus est vehementissimus ac velocissimus, veluti undae fluminis in praeceps per anfractus decurrentis, simulque cum rebus omnibus homo ipse fluit: *πάντα ῥεῖ*. Quemadmodum igitur nemo potest bis in idem flumen descendere, quia aquae fluminis, vel per instant, non manent eaedem, neque homo ipse descendens perseverat idem; ita res easdem non potest homo bis attingere, immo nec semel, quia tam res quam homo indesinenter fluunt, quin ullo in instanti conquiescant [1]. Ideo neque verba proferre debet homo; quia, antequam sermonem finiat suum, res ipsae transierunt: satius ergo erit digitum movere, ut discipulus eius Cratylus concludebat [2].

Simul tamen intellectus unitatem quaerit, eamque naturaliter exigit. Quam ob rem primum omnium principium inquirit, a quo cetera procedant et in quod finaliter resolvantur, ipsummet cum sit revera omnia, et vicissim. Hoc autem est ignis, non quidem iste materialis quem oculis videmus, sed *ei similis et proportionalis*, aethereus nempe, luminosus, refulgurans: uno verbo, id quod maxime mobile maximeque activum et transformativum in tota rerum universitate dari atque concipi potest [3]. Ignis hoc modo sumptus omnia pervadit, omnia transmutat, omnia convertit in ipsum: post cyclos vero temporis definitos, ipsemet in omnia illa transformatur; et sic inde fluxu ac refluxu sempiterno [4]. Quo fiit, ut ignis sit sicut

---

1 Arius Did. apud Eusebium, *H. E.* XV, 20 (Diels, 22B, 12, p. 54-1-6); Heraclit.. *Alleg.*, 24 (*ibid.*, 49, p. 161, 11-13); Plutarchus, *De exilio*, 18 (*ibid.*, 91, p. 171, 9-15).

2 Plato, *Cratylus*, 402 (Platonis Opera, ed. R. Hirschig. F. Didot, Paris 1891, t. I, p. 296, 41-44; Aristoteles, *III Metaph.*, cap. 5, n. 12 (II, p. 510, 12-17).

3 «Cum autem ignis ordinarius maiorem affinitatem quam ceterae res cum hoc primitivo elemento possideat, ideo hoc primordiale elementum ignis nuncupari et per analogiam cum igne ordinario concipi valet» (R. Harcone, O. S. B., *Historia philosophiae*, t. I, p. 121 [Cosmologia Heracliti]. Romae 1913).

4 Plutarchus, *De animae procreatione*, V (Diels 22B, 30, pp. 157-158); Clemens Alexandrinus, *Stromata*, V, 105 (*ibid.*, 31, p. 158, 4-14); Hippolitus, *Refutatio omnium haereseon*, X, 10 (*ibid.*, 66-67. p. 161, 6-11).

aurum, et cetera omnia sicut merces. Et ideo si commercio aurum permutatur mercibus et merces ita in rerum universitate ignis commutatur in ce cetera in ignem [1].

Omnia ergo revera sunt unum idemque, licet rias habeant qualitates, quia idem est motus ab aliud contrarium. Ita, re conveniunt generatio et tio, ortus et interitus, vita et mors, sursum et de dies et nox; quia generatio unius est corruptio a mors unius est vita alterius, recessus diei est a noctis, eademque est via ascensus et descensus. S enim moveri est terram fieri aquam, et aquam in converti; deorsum vero est ignem converti in aq aquam in terram mutari. Subtilior namque ac le ignis aqua, sicut aqua terra, quae ideo est maxime sicut ignis ex adverso est maxime levis. Sursu ferri est terram in aquam, et aquam in ignes tr tari; deorsum autem est ignem in aquam, et aq terram transformari [2]. Idem quoque sunt vigilia nus, sicut idem sunt carbo accensus et extinctu dum dormimus quasi extinguimur, et quasi acce cum expergiscimur. Idem pariter est motus re obliquus, sicut clavus torcularis recto penetrat d rali motu agitur. Sicut et apud nos idem sunt iu senex, vivus et mortuus, quia idem homo ex iu senex et ex vivo mortuus: ac similiter sunt idem et frigidum, humidum et siccum, quia idem qu calidum frigefit et frigidum calefit, sicut et h exsiccatur et siccum humescit [3].

Itaque contraria in contrariis sunt et omnia i bus, quia omnia in omnia et singula in singula t tantur, sicut pecunia in merces et merces in pe

---

[1] Plutarchus, *De Ei apud Delphos*, 8 (Diels, *ibid.*, 90, p

[2] Hippolitus, *op. cit.*, IX, 10 (Diels, Fragm. 60, p. 164, 5) Alexandrinus, *Strom.* VI, 16 (fragm. 36, p. 159, 8-10).

[3] Hippolitus, *op. cit.*, IX, 10 (Diels, *ibid.*, 59, p. 164, 1-4); P *Consolatio ad Appollonium*, 10 (*ibid.*, 88, pp. 170-171); Tzet *ad exeg.* 11 (*ibid.*, 126, p. 177, 6-8).

Omnia revera sunt unum idemque, et dissonantia contrariorum est maxime harmonica: prout videre est in sono lyrae, qui ex gravi et acuto atque ex chordarum hinc inde separatione producitur; et in arcu, qui contraria directione extendi debet ut sagitta emittatur. Quin immo, eo maior et pulchrior est harmonia et concentus oppositorum, quo maior et profundior et magis occulta est eorum contrarietas et oppositio [1].

Nihil pariter est absolutum, sed omnia sunt mere relativa. Simiarum pulcherrima, deformis est cum homine comparata. Homo prudentissimus videtur simia, si cum Dei sapientia conferatur. Homo immortalis est Deus mortalis, et vicissim. Aqua maris est piscibus salubris et potabilis, dum hominibus est mortifera et abominabilis [2].

Bellum igitur est pater et rex omnium rerum: πόλεμος πάντων μὲν πατήρ ἐστι, πάντων δὲ βασιλεύς [3]. Selectionem facit meliorum a pravis, superiorum ab inferioribus, liberorum a servis, deorum ab hominibus. Bellum inter homines, sicut et oppositio inter diversas res, fons est activitatis et fecunditatis, utpote motum, agitationem, progressum, ferens secum. Tantumque abest ut ab hominum societate exsulandum dicatur, quemadmodum Homerus delirabat, ut e contra sit totis viribus execitandum et forendum.

Qua de causa morbus sanitatem rem iucundam et bonam efficit, fames satietatem, labor quietem, malum bonum. Si offensio non esset, iustitia non daretur, immo vel nomen ipsum iustitiae esset nobis penitus ignotum. Bellum proinde est universale; et concordia sive iustitia, discordia et conflictus. Ex hac enim colluctatione generantur omnia; quae desinerent esse, ex quo discordia tolleretur. Integra et non integra, consentiens et dissen-

---

1 ARISTOTELES, *VIII Ethic. Nicom.*, cap. 1, n. 6 (II, 91, 33-35. Diels, *ibid.*, 8, p. 152, 8-10); HIPPOLITUS, *op. cit.*, IX, 9 (*ibid.*, 51, p. 162, 1-4; 54, p. 162, 10).

2 HIPPOLITUS, *op. cit.*, IX, 10 (Diels, *ibid.*, 61-62, p. 164, 6-10); PLATO, *Hippias maior*, 289A, ed. cit., t. I, p. 744, 14-16, 24-25 (Diels, *ibid.*, 82-83, p. 169, 15-18).

3 HIPPOLITUS, *op. cit.*, IX, 10 (Diels, *ibid.*, 53, p. 162, 7-8).

tiens, consonans et dissonans adeo intime connectuntu ut ex omnibus unum, ex unoque fiant omnia [1].

Haec est vera sapientia, quae tamen a plerisque co temnitur, et nonnisi a paucissimis magnaque cum dif cultate acquiritur. Sapientia etenim est aurum: et sic ad auri vel tantillum inveniendum necesse et diutius l borare multumque atque profunde cavare, ita ad Sapie tiam vel modicissimam assequendam oportet diu multu que insudare [2]. Sapientia sive Philosophia non est vul patrimonium: quia humanum vulgus est sicut asin qui paleam vel herbam, qua ventrem suum impleat, au praefert [3]. Neque vulgus solum ignorantium, verum etia ii qui exculti reputantur insurgunt frequenter in ver philosophos qui Sapientiam profitentur. Qua in re ca bus assimilantur. Sicut enim canes in quodlibet ext neum vel eis ignotum latratus emittunt, ita huiusmo homines insurgunt in omne id quod mente non capiu et in philosophos nova vel reconditiora proferentes [4]. Q vero post auditam Sapientiam Heracliti, eam intellec non capiunt, similes sunt caecis: quemadmodum en dicuntur praesentes, cum tamen sint revera absentes, quod res eis circunstantes non vident; ita auditores n intelligentes sunt reapse absentes a vera Sapientia, li dicantur praesentes quia auribus perceperunt flat vocis eloquentis [5].

Oportet igitur laborare ad veram Sapientiam cap sendam, Sapientesque sincero atque docili animo ausc

---

[1] Pseudo Aristoteles, *De mundo*, cap. 5 (III, 635, 18-20; Diels, *ib* 10, pp. 152-153); Plato, *Sophista*, 242E, ed. cit., t. I, p. 182, 44-46. Clem Alexandrinus, *Strom.* III, 10 (*ibid.*, 23, p. 156, 6-7); Hippolitus, *op.* IX, 10 (*ibid.*, 53, p. 162, 7-9); Origenes, *Contra Celsum*, VI, 42 (*ib* 80, p. 169, 3-5); Stobaeus, *Florilegium*, I, 177 (*ibid.*, 111, p. 175, 10- Diogenes Laeertius, *op. cit.*, IX, 1 (*ibid.*, 42, p. 160, 9-10).

[2] Clemens Alexandrinus, *Strom.* IV, 4 (*ibid.*, 22, p. 156, 4-5).

[3] Aristoteles, *X Ethic. Nicom.*, cap. 5, n. 8 (II, 122, 17-19, *ibid* p. 152, 11-13).

[4] Plutarchus, *An seni sit gerenda respublica*, cap. 7, n. 1 (*O Moralia*, ed. cit., t. II, p. 961, 45-47).

[5] Clemens Alexandrinus, *Strom.* V, 116 (*ibid.*, 34, p. 159, 4-5).

tare: educatio enim et disciplina est sicut novus Sol, qui illuminat tenebras addiscentium [1]. Addiscens autem se habet ad docentem et sapientem sicut puer ad virum [2].

Itaque bellum, agitatio, motus, conflictus, omnium in omnia transformatio et conversio mutua certis quibusdam intervallis una cum oppositorum identitate, est id quod ratio universalis —λόγος— cuius Sapientia est veluti preco, semper et ubique peragit naturali quadam necessitate; puero similis qui, ludens in littore maris, monticulos exstruit arenae ut eos statim deiiciat, sicque per horas delectatur absque ulla ulteriori finalitate; vel ei, qui moras protrahit ad taxillos ludendo. Revera mundus iste universus, quem conspicimus, nihil est aliud nisi perpetuus quidam ludus taxillorum sub inspectione et praesentia temporis [3].

Quos vulgus appellat deos veri dii non sunt, neque ideo eis preces et hostias porrigere debemus. Qui ad idola fundit preces similis est illi qui cum lapide vel pariete colloqueretur; qui vero ipsis sacrificia expiatoria offert, assimilatur ei qui lutum vestis luto abstergere tentaret [4].

Verus Deus est ratio communis et universalis quae omnia pervadit et penetrat cum sit ipsa lex secundum quam Deus in cetera explicatur et cetera in ipsum reabsorbuntur, ita quidem ut Deus sit veluti Mens sive anima universalis omnia pervadens et in omnibus intime consistens; nimirum ignis ille divinus qui principium est omnium et in quem omnia resolvuntur, sicut vitalis calor a Sole procedens omnibus quae vivunt vitam subministrat.

«Cui sententiae, ut ait Hisdosus Scholasticus, Heraclitus acquiescens, optimam similitudinem [sive analogiam] dat de aranea ad animam, de tela araneae ad corpus. Sicut aranea, ait, stans in medio telae sentit quam cito

---

1 *Ibid.*, 135, p. 181, 11-12.
2 ORIGENES, *Contra Celsum*, VI, 12 (*ibid.*, 79, p. 169, 1-2).
3 SEXTUS EPIRICUS, *Adversus mathematicos*, VII, 132-133 (*ibid.*, 1-2, pp. 150-151); HIPPOLITUS, *op. cit.*, IX, 9 (*ibid.*, 50-55, pp. 161-162).
4 ORIGENES, *Contra Celsum*, VII, 62 (*ibid.*, 5, pp. 151-152). Cf. COLUMELLA, VIII, 4 (*ibid.*, 37, p. 159, 11-13).

musca aliquem filum suum corrumpit, itaque illuc cel riter currit quasi de fili persectione dolens; sic homin anima, aliqua parte corporis laesa, illuc festine me quasi impatiens laesionis corporis, cui firme et propo tionaliter iuncta est»[1].

57. Praesertim vero analogia usi sunt *pythagori* qui scientias mathematicas data opera excoluerunt.

Numeros ergo et magnitudines comparantes, ration et proportiones complures tam arithmeticas quam geom tricas invenerunt, idest analogias mathematicas. Postm dum vero eas extenderunt ad musicologiam, ad astron miam, immo ad omnes prorsus res, quas ex numeris co stitutas dicebant: sicque factum est ut in universale quemdam mathematismum declinarent.

Equidem harmonia nihil est aliud quam numerus s norum, videlicet consonantia sonorum disonantium secu dum proportiones tonorum diversorum, acuti nempe gravis, iuxta diversos eorum gradus rationabiliter co binatorum, servata simul silentii, temporis rhythmiq commensuratione. Experientia namque comperimus al tudinem sonorum ex ictu mallei super incudem cadent proportionalem esse ponderi mallei percutientis: so rum pariter qualitates lyrae, monochordi vel alius inst menti, commensurari longitudini chordae vibrantis int eamdem tensionem. Sonorum ergo concentus et harm nia per numeros explicantur, et ad numerorum prop tiones reducuntur. Ideo analogia sive proportio non sol datur in arithmetica et geometria, sed etiam in music

Quod autem dicitur de reductione harmoniae sonor ad numeros, ad cetera similiter extendi potest, quia h

---

[1] *Hisdosus Scholasticus ad Calcid.* PLAT. *Tim.* (Diels, *ibid.*, p. 166, 3-11). Unitatem scilicet animae tuetur in multiplicitate part corporis, utpote «quae in totum corpus diffusa et ubique ipsa, v flatus in calamo per cavernas *ita* per sensualia variis modis em non tam concisa quam dispensata» (TERTULLIANUS, *De Anima*, cap. ML. II, 710).

[2] IAMBLICUS, *De pythagorica vita*, XXVI, nn. 115-121, ed. A. We mann (Paris, F. Didot, 1850), pp. 45-47.

omnia praecise numeris assimilantur[1] numerisque constituuntur. Ita corpus ex superficiebus, superficies ex lineis, lineae ex punctis componuntur et coalescunt. Puncta autem sunt unitates, unitas vero est pricipium numeri. Res igitur corporales, quas videmus, in puncta finaliter reducuntur; puncta autem in numeros; numeri in unitates. Unitas ergo est primum principium omnium.

Insuper correlationes statuebant et analogias inter hos diversos adspectus eiusdem realitatis, scilicet numerorum, magnitudinum et sonorum, per combinationes praesertim numerorum parium et imparium, sicut et sonorum gravium et acutorum. Sic 1 est punctum, 2 linea, 3 superficies, 4 solidum sive corpus. Solidum autem est perfectum in ordine magnitudinis; ergo et quaternarius numerus est perfectus in ordine multitudinis; itemque tonus quartus, quintus, octavus in ordine sonorum. Maxime autem perfectus est denarius numerus, eo quod ex omnibus praecedentibus simul coalescit, nempe $10=1+2+3+4$[2].

Pariter intelligentiam dicebant unitatem, eo quod ad unum unaque via procedit; dubium autem et opinionem appellabant dualitatem, quia per duas vias ad duos terminos tendit. Iustitiam vero quaternitatem vel quadratum nominabant, quia iteratione primi numeri paris —$2+2$— fit, vel quia omnia latera habet prorsus aequalia: paritas autem et aequalitas sunt ipsa iustitia[3].

Omnia quae oculis conspicimus, caelum, terram, hominem, pulchra sunt et consonantia. Decem sunt corpora caelestia, quae motu quodam regulari et velocissimo cien-

---

1 ARISTOTELES, *I Metaph.*, cap. 6, nn. 1-2 (II, 474, 13-30); cap. 6, n. 2 (II, 477, 43-44).

2 *Pythagore vita*, apud PHOTIUM, *Bibliotheca*, cod. 249. MG. 103, 1.579; HIEROCLES, *In Aureum carmen*, 47-48, ed. F. Mullach, *Fragmenta philosophorum graecorum* (Paris, F. Didot, 1860), t. I, pp. 464-466; ARISTOTELES, *Problemata*, Sectio 15, n. 3 (IV, 193-194).

3 PSEUDO ARISTOTELES, *Magna moralia*, lib. 1, cap. 1, n. 6 (II, 131, 23-27); ARISTOTELES, *I De Anima*, cap. 2, n. 7 (III, 434, 35-39); *I Metaph.*, cap. 5, n. 2 (II, 475, 18-21; cf. ZELLER-MONDOLFO, *op. cit.*, t. II, p. 355.

tur: adspectu quidem pulcherrima —unde et κόσμος appı lantur— et auditu suavissima, si eorum harmoniam aur nostrae conscio modo perciperent. Cum enim corpoı dum agitantur, sonos emittant, non est dubium qu etiam corpora caelestia motu suo vertiginoso et unifori sonos emittant harmonicos atque suavissimos audi sicut methodus exigit analogiae [1]. Quod vero homines ta concentus non percipiant conscio modo, ex eo proven videtur, quod tales soni non miscentur neque combina tur silentiis, cum motus sit continuus et uniformis: insuper, quia inde a nativitate aures hominum percellu ab assuetis autem non fit passio. Quam ob rem, sicut qui ferrum mulcet, ob consuetudinem nihil interesse detur, sic et hominibus idem accidere dicunt [2]. Huc ac dit quod sonus se habet ad aures sicut aqua ad amp ram. Quem ad modum igitur in amphoram angusti o si quis multum aquae uno ictu infundere conetur, n infundit, ob defectum proportionis inter massam aq et capacitatem oris; ita magni soni per aures nostras ı intrant, quia deest proportio inter magnitudinem str tus et capacitatem receptivam aurium [3].

Praeter has analogias mathematicas, aliae analo vel comparationes a pythagoricis traditae circumferun in re morali praesertim: nam primus de virtutibus Py goras disseruit [4].

Pulcherrima est in primis analogia, ipsi Pythag tributa, vitae humanae cum mercatu magno in quem mines omnium conditionum confluunt, ut nomen et explicaret Philosophiae. Quam quidem analogiam ele ter describit Tullius Cicero hisce verbis: «omnes, qu

---

1 «Si un corps, en se mouvant assez rapidement, rend son par analogie il doit en être même pour les astres» (L. ROBIN *cit.*, p. 78).

2 ARISTOTELES, *I Metaph.*, cap. 5, n. 3 (II, 475, 20-26); *II de* (cap. 9, n. 1 (II, 399, 13-28).

3 ARCHYTAS TARENTINUS, apud Porphyrium, *in Ptolomaei Harm* (Diels, 47B. 1, *op. cit.*, t. I, p. 433, 10-13).

4 PSEUDO ARISTOTELES, *Magna moralia*, lib. 1, cap. 1, n. 6 (II 23-27).

rerum contemplatione, sapientes et habebantur et nominabantur; idque eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem. Quem, ut scribit auditor Platonis Ponticus Heraclides, vir doctus in primis, Phliuntem ferunt venisse, eumque cum Leonte, principe Phliasiorum, docte et copiose disseruisse quaedam.

Cuius ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo qua maxime arte confideret.

At illum artem quidem se scire nullam, sed esse philosophum.

Admiratum autem Leontem novitatem nominis, quaesiisse quinam essent piholosophi, et quid inter eos et reliquos interesset.

Pythagoram autem respondisse *similem* sibi videri vitam hominum et mercatum eum qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Graeciae celebritate. Nam ut illic:

alii corporibus exercitatis *gloriam et nobilitatem* coronae peterent;

alii emendi et vendendi *quaestu et lucro* ducerentur;

esset autem *quoddam genus eorum,* idque vel *maxime ingenuum,* qui nec plausum nec lucrum quaererent, sed visendi causa venirent, studioseque perspicerent quid *ageretur et quo modo;*

item nos:
quasi in mercatus quamdam celebritatem ex urbe aliqua,
sic in hanc vitam ex alia vita et natura profectos,

alios gloriae servire;

alios pecuniae:

raros esse quosdam qui, ceteris omnibus pro nihilo habitis, *rerum naturam studiose intuerentur*; hos se appellare *sapientiae studiosos,* idest enim *philosophos.*

Et ut illic liberalissimum esset spectare, nihil sibi acquirentem;

sic in vita longe omnibus studiis contemplatione rerum cognitionesque praestare»[1].

Nauclerum viro prudenti, navim humanae vitae, flu tus maris complexui affectionum, ventus mutationis fc tunae motibus comparant. Sicut ergo sapientis naucle est ventorum se mutationibus accomodare ut ad portu perveniat sanus, ita viri prudentis est fortunae se mò bus attemperare ut ad finem vitae perveniat incolumi et sicut in navigatione nauclero sapienti obtemperandu est, ita et in vita civili est obediendum sapienti superiol pariterque, sicut vacuum navigium suburra stabiliendu est, ita animus est prudentia firmandus[2]. Prudentia eni dux et mater est — ἁγεμὼν καὶ μάτηρ — ceterarum v tutum[3].

Iustitia similiter est mater et nutrix — μάτηρ καὶ τιθὰ reliquarum virtutum, utpote quae totius animi est cı concinnitate pax et harmonia[4].

Temperantiam freno comparant: ac proin, sicut equ sine freno in praeceps vadit vel equitem proiicit in terra ita homo sine temperantia facile praecipitatur vel a mum suum in lutum proiicit vitiorum[5].

Bonum est fundamentum vitae moralis, sicut ba statuae. Quem ad modum ergo statua basi innititur mobilis, sic vir probus bono immotus adhaerere debe

Invidia est in vita hominum sicut ferrugo in metal Quam ob rem, sicut ferrum propria ferrugine consu tur, ita invidi homines propria corroduntur et consı muntur invidia[7].

Terra in qua nati sumus est sicut mater: et ideo e

---

[1] *V Tuscull. quaest.*, cap. 3, *ed. cit.*, t. II, pp. 453-454.

[2] *Pytagoreorum et aliorum similitudines*, nn. 19-20, ed. F. Mull *Fragmenta philosophorum graecorum*, t. I, p. 489a; n. 13, p. 488b.

[3] *Moralia pythagoreorum fragmenta*, 7, n. 2, ed. F. Mullach, *op.* t. II, p. 26a.

[4] *Ibid.*, 8, n. 3, pp. 26-27.

[5] *Pythagoreorum et aliorum similitudines*, n. 39, *ed. cit.*, p. 499a; n. 18, p. 488b.

[6] *Ibid.*, n. 2, p. 488a.

[7] *Ibid.*, n. 133, p. 495a.

patriam nos gerere debemus sicut erga matrem, scilicet amantes et obsequentes [1].

Inter animam et corpus humanum datur proportio quaedam: quatenus, sicut corpus perfectum debet esse ornatum quibusdam qualitatibus physicis, puta sanitate, sensuum integritate, viribus et pulchritudine; ita anima perfecta debet esse praedita quibusdam qualitatibus moralibus, quae sunt virtutes cardinales, nimirum prudentia, iustitia, fortitudo et temperantia. Et quidem hoc in sensu, ut prudentia se habeat ad animam sicut integritas sensuum ad corpus; iustitia vero, ut pulchritudo ad corpus; fortitudo autem, ut robor et vires ad corpus; temperantia denique, ut sanitas ad corpus [2].

Qua etiam de causa, Philosophia se habet ad animam sicut Medicina ad corpus. Quem ad modum enim Medicina tota quanta est ordinatur ad procurandum bene esse corporis, quod in salute sive sanitate consistit; ita Philosophia tota quanta est ordinatur ad bene esse animae, quod consistit in beatitudine [3].

Qui relictis propriis familiaribus extraneos quaerunt amicos, se habent sicut agricolae qui neglecto proprio agro in alienum curam impenderent [4].

Humanae res eo modo invicem se habent, quo catenae annuli, qui mutuo complexu haerent seque invicem sequuntur. Unde et metaphorice loquimur de catena eventuum [5].

Sapientia est sicut quaedam potentia sive facultas. Quo fit ut, quem ad modum visus se habet ad omnia adspectabilia et auditus ad omnia audibilia et physica ad omnia mobilia et mathematica ad omnia commensura-

---

[1] *Ibid.*, n. 63, p. 503b.
[2] *De Anima mundi et natura*, sub nomine Timaei Locri edita a F. Mullach, § 10, *op. cit.*, t. II, p. 45b.
[3] *Pythagoreorum fragmenta varia*, sub nomine Didymi pythagorei, n. 3, ed. F. Mullach, *op. cit.*, t. II, p. 56b.
[4] *Ibid.*, sub Sotionis nomine, n. 1, p. 47a.
[5] *Op. cit.*, *Pythagoreorum fragmenta moralia*, 10, sub nomine Brysonis, p. 28a

bilia, ita Sapientia ad omnia quocumque modo in bilia, scilicet ad omnia entia. Quisquis igitur res potest omnia genera ad unum idemque principiu susque ex eo componere et apte coniungere, hic et s tissimus et verissimus esse videtur, quin et pul speculam invenisse, ex qua poterit et Deum conte et omnia quae in eadem serie sunt rectoque ord eo collocata [1].

Mundus se habet ad omnes res sensu adspec sicut ignis ad omnia calida et sicut mel ad omnia et sicut principium contradictionis ad omnes con nes, quia singulae haec in suo quoque ordine cete nibus perfectionem suam communicant, sunt per perfecta tali perfectione. Ergo sicut ignis est calid seipsum et mel est dulce per seipsum et principiu tradictionis est per seipsum evidens, ita mundus seipsum perfectus [2].

Subiectum generationis se habet ad res gener privatio et ut materia, nempe ut tenebrae ad lucen silentium ad strepitum, itemque ut aqua ad sapo ut cera ad figuram [3].

Pars mundi sublunaris in motu generationis et tionis se habet ad partem superiorem sive corpo lestia sicut mater ad patrem in generatione anin nempe ut principium passivum ad activum [4].

Non expedit matrimonium contrahere ante vige annum, neque eo uti: quia sicut plantae et anima sunt fecunda antequam ad florem et robur perv ita neque homo [5].

Sed missis hisce aliisve analogiis auctorum i rum, quorum plerique ad antiquam pythagoreoru

---

[1] *Ibid.*, 13, sub nomine Perictionis, n. 1, p. 33a.

[2] *Liber de universi natura*, cap. 1, § 9, sub nomine Ocel ed. F. Mullach, *op. cit.*, t. I, p. 391a.

[3] *Ibid.*, cap. 2, § 3, p. 395.

[4] *Ibid.*, § 22, pp. 399-400.

[5] *Ibid.*, cap. 3, § 9, pp. 404-405.

lam certo non pertinent, sed ad posteriorum reliquias, qui potius ad stoicos et platonicos, et fortasse etiam ad peripateticos spectant —licet influxum quemdam pythagoreismi subierint, hacque de causa, ad doctrinam potius quam ad historiam attendentes, in hoc loco retulimus—, nonnullas alias auctorum certorum planeque authenticas referamus.

58. *Alemaco Crotaniates*, qui iuvenis adhuc erat cum Pythagoras senectute declinaret [1], simul fuit medicus et philosophus, atque experientiam cum ratiocinatione coniunxit. Influxum methodi pythagoricae subiens, analogias nonnunquam proposuit mathematismum sapientes nimisque violentas. Ita, probare contendit animam humanam esse incorruptibilem et divinam ex eo quod assimilatur — ἐοικέναι — rebus divinis et incorruptibilibus, scilicet lunae, soli, stellis totique caelo, in motu continuo et incessanti. Ubi latet hoc argumentum analogicum: sicut luna, sol, stellae totumque caelum semper et continuo moventur, ita et anima nostra; sed totum caelum una cum sole, luna et stellis, quae sunt res divinae et animatae, sunt incorruptibiles et immortales, propter eorum motum continuum et sempiternum; ergo similiter anima nostra, ex eo quod semper et continuo movetur, incorruptibilis est et immortalis [2].

Corpus e contra nostrum et homines ipsi mori dicuntur, eo quod a motu cessant, cum non valeant semper initium cum fine iungere in motu circulari vitali: sicut qui loqui incipit quin effatum complere valeat, idest initium loquelae cum fine iungere [3].

Nimirum analogia classica inter hominem et mundum universum sive inter microcosmum et macrocosmum:

---

1 ARISTOTELES, *I Metaph.*, cap. 6, n. 6 (II, 476, 2-4. Diels, 24A, 3, p. 211, 17-18).

2 ARISTOTELES, *I de Anima*, cap. 2, n. 17 (III, 435, 24-29. Diels, 24A, 12, p. 213, 17-21). Putabat enim Alcmaeo astra esse animata (CLEMENS ALEXANDRINUS, *Cohortatio ad gentes*, cap. 5. MG. 8, 169).

3 ARISTOTELES, *Problemata*, Sect. 17, n. 3 (IV, 203, 12-16. Diels, 24B, 2, p. 215, 4-6).

quatenus, sicut in mundo maiori datur una pars incorruptibilis, scilicet caelestis, et alia corruptibilis, nempe terrestris; ita et mundo minori sive in homine datur una pars superior et incorruptibilis quae est anima, et alia inferior et corruptibilis quae est corpus: illa caelestis, hoc terrestre[1].

Simul tamen, idque praecipue, experientiam adhibuit in rerum natura perscrutanda. Erat enim, ut ait Chalcidius, in physicis exercitatus, primusque qui exsectionem aggredi est ausus in explorandis organis eorumque functionibus vitalibus corporum viventium, maxime corporis humani puta oculorum et aliorum sensuum externorum. Ex quo ad hanc pervenit conclusionem, ut cerebrum sit revera centrum et commune sensorium corporis nostri[2]. Quam sententiam fecit suam Hippocrates, eamque comprobarunt modernae investigationes. Unde et merito consideratur Alemaco veluti fundator anatomiae, physiologiae et psychologiae experimentalis[3].

In corpore humano quatuor concurrunt qualitates, binae et binae: nimirum calidum et frigidum, humidum et siccum. Sanitas ergo resultat ex harmonia et aequilibritate huiusmodi qualitatum contrariarum, sicut concentus musicalis ex harmonia tonorum contrariorum, scilicet acuti et gravis; ac proin consistit in ἰσονομία quadam. Aegritudo e contra surgit ex quo una vel alia e praedictis qualitatibus praedominatur, ac si esset monarcha vel tyrannus quidam[4]. Analogia ergo corporis physici cum corpore sociali vel politico.

Albumen insuper ovorum comparat lacti, eiusque analogum reputat. Quem ad modum enim pulli mamiferorum

---

[1] Cf. Th. Gomperz, *op. cit.*, t. I, pp. 163-164.

[2] Chalcidius, *Commentarius in Timaeum Platonis*, n. 244, ed. F. Mullach, *op. cit.*, t. II, p. 233 (Diels, 24A, 10, pp. 212-213).

[3] «La signification d'Alcmeón pour l'histoire de la philosophie gît surtout dans le fait qu'il fut le fondateur de la psychologie experimentale» (J. Burnet, *Early Greek Philosophy*, vers, gallica A. Reymond, p. 226. Paris 1919. Cf. etiam Th. Gomperz, *loc. cit.*, pp. 159-164).

[4] Aetius, *Placita philosophorum*, V, 30, 1 (Diels 24B, 4, pp. 215-216).

lacte nutriuntur, ita pulli avium, cum adhuc intra ova continentur, horum albumine nutriuntur. Analogia popularis et nimis superficialis, utpote fundata in una coloris albi similitudine, quia pulli ovium nutrimentum potius accipiant ex vitello quam ex albumine; et hac de causa reprehenditur ab Aristotele [1].

Sed aliam veriorem analogiam adinvenit inter pilos pubis in hominibus et flores in plantis, sicut et inter sperma illorum et pollen istarum. Quem ad modum enim plantae cum florere incipiunt, ad tempus pervenerunt quo pollen fecundans emittere valent: ita homo, ex quo pubescere incipit, ad aetatem pervenit qua sperma fecundans emittere potest. Nimirum pili pubis se habent in homine sicut flores in plantis, sperma autem sicut pollen [2].

59. Similiter *Archytas Tarentinus*, qui, ob ingenii acumen ac dexteritatem, εὔστοχος appellatur ab Aristotele; nativa enim habilitate bene coniectandi opus est ad analogias profundiores et magis occultas detegendas [3].

Omni scientiarum genere peritissimus, nedum in mathematicis puris et applicatis exstitit clarus, verum etiam in logicis, physicis, metaphysicis atque politicis. Primus in Geometria cubum invenit; primusque resolvit problema duplicationis cubi, ex dimidii cylindri sectione duas medias proportionales exquirens [4]. Ipse etiam proportiones numerorum et figurarum mirum in modum evolvit et in systema deductivum redegit, primas tamen partes tribuens Arithmeticae, quae purior et absolutior scientia est, ita ut ipsa solvat problemata quae Geometria insoluta

---

1 ARISTOTELES, *III de Animalium generatione*, cap. 2 (III, 376, 2-12. Diels, 24A, 16, p. 214, 7-12).

2 ARISTOTELES, *VII de Animalibus historiae*, cap. 1 (III, 134, 27-31. Diels, 24A, 15, 214, 1-4).

3 ARISTOTELES, *III Rhetor.*, cap. 11, n. 5 (I, 398, 20-21).

4 DIOGENES LAERTIUS, *De clarorum philosophorum vitis, dogmatibus et apophthegmatibus*, lib. 8, cap. 4, n. 81 (Diels, 47A, 1, pp. 421-422).

relinquit [1]. Mechanicam quoque ipse primus invexit [2], et Ἀκουστικὴν atque Μουσικὴν impense promovit ac excoluit [3].

Qua de causa, tria genera proportionum totidemque media proportionalia distinxit: arithmeticum, geometricum et harmonicum. Medietas arithmetica existimatur quando tres sunt termini pro rata parte invicem superiores, e quibus quanto primus secundum, tanto secundus tertium *magnitudine* antecedit. Qua proportione fit ut maiorum terminorum intervallum minus, minorum maius sit. Geometrica autem est, cum primus ad secundum *eamdem rationem* habet quam secundus ad tertium: horum autem maiores et minores paribus intervallis disiunguntur. Denique contraria, quam harmonicam vocamus, illa est, cum tales sunt termini, ut qua sui parte primus secundum superat, hac medius tertium *tertii parte* superet. Hac vero proportione fit, ut maiorum terminorum intervallum maius, minorum minus sit [4].

Et ad ceteras disciplinas extendens conceptum analogiae, notat viventia moveri proportionaliter motu augmenti, quod non solum in longum est, sed et praecipue in latum, et quidem circulari, ut videre est in trunco et in ramis plantarum, et similiter in trunco, cruribus, femoribus, pectore et lacertis animalium. Quam ob rem non solum totum, sed etiam partes sive membra eorum formam induunt rotundam. Nimirum, sicut arbores constant trunco et ramis, qui proportionaliter crescunt et formam induunt rotundam; ita animalia constant trunco et extremitatibus, puta cruribus et lacertis, quasi ramis qui pariter crescunt modo proportionali et figuram rotundam induunt [5].

Notat insuper non omnia omni aetati hominis convenire, sed quae eius conditioni attemperantur. Ideo quae infantulis conveniunt, grandioribus non expediunt. Oportet igitur servare proportionem sive analogiam inter conditiones physiologicas et psychologicas puerorum educandorum et exercitia vel opera eis praescribenda et imponenda. Ita infantibus, eo quod inquieti sunt et proni ad res domesticas frangendas, praebenda sunt crepundia, quae motum et strepitum simul ferunt; qua de causa, pro eis adinvenit et composuit Archytas πλαταγὴν sive crepitaculum ligneum, vulgo dictum carraca; grandioribus vero non expedit πλαταγὴ sed disciplina [1].

Nihil tamen adeo adversatur hominis dignitati sicut voluptas. Humana siquidem dignitas in mente reponitur, dum voluptas in corpore consummatur. Sicut ergo homo tanto dignior et melior est quanto magis vitam suam reponit in mente, ita tanto vilior et peior est quanto magis cedit voluptati magisque immergitur corpori. Quam ob rem, sicut summum hominis bonum consistit in sapientia, quae mentis est; ita summum malum in voluptate reponitur, quae corporis est: nam sicut Sapientia eo melior quo maior est, ita voluptas eo peior est quo maior. Nec enim, libidine dominante, temperantiae locus est, neque omnino in voluptatis regno potest consistere virtus.

«Quod, quo magis intelligi posset, fingere animo iubebat tanta incitatum aliquem voluptate corporis quanta percipi posset maxima: nemini censebat fore dubium quin tam diu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quocirca nihil esse tam detestabile tamque pestiferum quam voluptatem: siquidem ea, cum maior esset atque longior, omne animi lumen extingueret» [2].

---

1 ARISTOTELES, *VIII Politic.*, cap. 6, n. 1 (I, 630, 47-52. Diels, 47A, 10, p. 424, 35-37).

2 TULLIUS CICERO, *De senectute*, cap. 12, *ed. cit.*, t. III, p. 434 (Diels, 47A, 9, p. 424, 11-34).

Praeterea, Sapientia sive Philosophia de veris entibus est, quae incorporalia sunt et immobilia, ac proin universalia et intelligibilia: sensus e contra et opinio circa fluxa et corporalia, ideoque singularia, versantur, quae non proprie entia, sed entium simulacra et veluti umbra dicuntur. Singularia itaque et sensibilia se habent ad universalia et intelligibilia sicut umbra ad rem, sicut sensus ad intellectum et sicut mera opinio ad veram sapientiam. Et tamen, sicut non bene iudicat de umbra et de simulacro nisi qui rem ipsam habet perspectam; ita neque recte iudicat de singularibus et opinabilibus nisi qui universalia et intelligibila per Sapentiam perfecte callet. Hinc effatum Archytae: qui de universalibus recte iudicant, etiam particularia qualia sint bene perspicient[1].

Item dicebat: quemadmodum difficile est piscem spinas non habentem invenire, ita et hominem qui non habeat dolosum quid et aculeatum[2].

Acute etiam comparabat arbitrum et aram, quia proportione conveniunt. Sicut enim qui iniuriam passi sunt, ad iudicem confugere solent, ita et ad aram, idest ad Deum, qui iudex est iudicum. Nec tamen eodem modo sunt iudices Deus et homo, cum inter eos sit infinita distantia, sed unusquisque suo modo, vero tamen et proportionali suae naturae: Deus nempe infallibiliter dicit ius, omnisciens cum sit et impeccabilis; homo autem fallibiliter, quia decipi potest et peccare[3].

Idem quoque analogia sunt tranquillitas maris et serenitas aëris: quia sicut serenitas est quies aëris, ita tranquillitas est quies maris. Et ex adverso, idem sunt proportione tempestas aëris et procella maris: quia sicut tempestas est agitatio aëris, ita procella est agitatio maris. Nimirum, sicut in serenitate se habet aër ut materia vel

---

1 Apud Iamblichum, *Vita Pythagorae*, n. 160, *ed. cit.*, p. 57, 21-36.

2 Aelianus, *Var. Hist.* lib. X, 12, apud F. Mullach, *op. cit.*, t. I, p. 563a.

3 Aristoteles, *III Rhetor.*, cap. 11, n. 5 (I, 398, 21-23. Diels, 47A, 12, p. 425, 13-14).

potentia, et quies ut forma vel actus; ita in tranquillitate se habet mare ut materia vel potentia, quies vero sive planities ut forma vel actus [1].

60. Tandem *Philolaus* proportiones vel analogias nedum in re mathematica, verum in re physica et psychologica detexit et expolivit. In re quidem mathematica primas dedit partes Geometriae, quam principem atque metropolim ceterarum scientiarum mathematicarum appellat [2]: immo et in omnibus rebus scientiisque, quae ad Geometriam reduci debent, vel saltem methodo geometrica pertractari. Nihil enim est nobis cognoscibile nisi quatenus est numerabile et mensurabile, siquidem cognoscere est mensurare et numerare [3]. In numeris et mensuris nulla potest interesse falsitas, quia veritas est numeris congenita ab eisque inseparabilis: ἀλήθεια οικεῖον καὶ σύμφυτον κᾶι τῶ ἀριθμῶ γενεᾶι [4]. Hinc mathematismus absolutus et universalis.

Specialem vero curam adhibuit in musicologia, per applicationem Geometriae ad sonos. Ipsa est scientia harmoniae, quae est combinatio et coordinatio sonorum et tonorum oppositorum, acuti nempe et gravis. Harmonia sive octava (1:2) constituitur quinque tonis et duobus semitonis; quinta vero (2:3) coalescit tribus tonis et semitono uno; quarta autem (3:4) constat tonis duobus et uno semitono. Sed octava ipsa continet simul quartam et quintam. Tonus vero integer rationem habet 8:9 [5].

Ideo Boëthius, hanc Philolai doctrinam referens, scribit: «vocant quidam harmonicam huiusmodi medietatem

---

[1] Aristoteles, *VII Metaph.*, cap. 2, n. 8 (II, 560, 1-6. Diels, 47A, 22, p. 430, 23-28).

[2] Plutarchus, *Quaestiones convivales*, lib. VIII, q. 2, § 1, n. 6 (Diels, 44A, 7a, p. 399, 25-26).

[3] Stobaeus, *Eclog.*, lib. 1, 21 (Diels, 44B, 4, p. 408, 4-6); *ibid.*, proem., cor. 3 (Diels, 44B, 11, pp. 411-412).

[4] Stobaeus, *loc. cit.* (Diels, 44B, 11, p. 412, 12-14).

[5] Stobaeus, *op. cit.*, lib. 1, 21 (Diels, 44B, 6, pp. 408-410).

idcirco, quod semper haec proportionalitas geometricae harmoniae cognata est; harmoniam autem geometricam cubum dicunt. Ita enim ex longitudine in latitudinem distentus est et in altitudinis cumulum crevit, ut ex aequalibus proficiscens ad aequalia perveniens, aequaliter totus sibi conveniens creverit. Haec autem medietas in omnibus cubis, quae est geometrica harmonia, perspicitur: omnis enim cubus habet latera duodecim, angulos octo superficies sex. Hic autem ordo et dispositio harmonica est. Disponantur enim sex, octo, duodecim: hic ergo quemadmodum est maior terminus ad minimum, ita differentia maioris et medii ad minimum comparatur»[1].

Harmonia ergo musicalis essentialiter consistit in numero et mensura sonorum secundum proportionem geometricam. Et idem de ceteris rebus asserendum est.

Mundum universum instar immensae navis per aethera fluctuantis et circumgirantis imaginatur, in cuius centro demiurgens locavit ignem veluti carinam. Quo fit, ut ignis centralis se habeat ad mundum universum sicut carina ad navim[2]; eumque focum universi appellat, Iovis domicilium, deorum matrem aramque, et copulam atque mensuram naturae[3].

Solem explicat per analogiam ad discum vitreum et translucidum, qui calorem et lucem ignis coruscantis in se reciperet, simulque in corpora circumstantia transfunderet: ita pariter Sol in se excipit lumen et calorem ignis centralis totius mundi, simulque in terram, lunam et stellas transmittit.

Solem itaque dicit esse «discum aliquem vitro persimilem, qui repecussum ex igne mundi splendorem excipiens, lucem ad nos per aërem, quasi per colum quoddam inde transmittat: ut igneus ille Solis in caelo fulgo

---

1 *Arithmetica*, lib. II, cap. 49. ML. 63, 1.158.
2 STOBAEUS, *Eclog.*, lib. 1, cap. 22, 6, ed. F. Mullach, *op. cit.* t. II, p. 3a.
3 STOBAEUS, *op. cit.*, lib. 1, cap. 23, 1, *ibid.*, pp. 2-3.

splendoris eius similis sit qui ad nos e speculo reflexione transfunditur»[1].

Corpus item nostrum, quasi parvum mundum, ad similitudinem mundi maioris concipit. Quemadmodum enim in mundo maiori concurrunt quatuor elementa, aër scilicet et aqua, terra et ignis, ita tamen ut ignis centralis sit praedominans et quasi ceterorum principium; sic etiam in mundo minori corporis nostri concurrunt quatuor humores, nempe sanguis, pituita, bilis atra et bilis flava, quibus respondent calidum et frigidum, humidum et siccum, ita tamen ut calor et sanguis primas habeant partes et ceterorum principium sint. Unde et calor est in spermate, et in matrice, et in visceribus, prout ostendunt necessitas et appetitus naturalis respirandi, idest temperandi calorem centralem per aërem frigidum[2].

Praesertim vero compositionem animae et corporis nostri comparat compositioni lyrae et harmoniae, ita quidem ut anima se habeat ad corpus sicut harmonia ad lyram. Quemadmodum enim harmonia resultat ex combinatione acuti et gravis chordarum lyrae secundum proportiones geometricas tonorum et semitonorum, ita anima et vita nostra exsurgit ex combinatione calidi et frigidi partium corporis nostri una cum temperatione proportionali humidi et sicci. Eodemque iure, sicut dissonantia consurgit ex defectu tensionis proportionalis chordarum lyrae, ita aegritudo et mors obveniunt ex defectu contemporationis proportionalis humorum eorumque qualitatum corporis nostri.

---

[1] EUSEBIUS PAMPHILUS, *Praeparatio Evangelica*, libro XV, cap. 23. MG. 21, 1.376. Cf. STOBAEUS, *Eclog.*, lib. 1, cap. 26, 3, apud F. Mullach, *op. cit.*, t. II, p. 3b; AETIUS, *De placitis philosophorum*, lib. II, § 20, n. 7. Entre las Obras de PLUTARCO *Scripta moralita*, t. II, p. 1.085, 15-22. Parisiis, F. Didot, 1844.

[2] «Par analogie avec le monde et son feu central, le corps humain semble avoir son principe dans le Chaud, chaleur de la semence, chaleur de la matrice, et dans le désir qu'a cette chaleur d'être temperée par le froid; elle attire donc à elle l'air extérieur (c'est la naissance), pour le restituer par l'expiration, sans quoi elle se détruirait elle-même» (L. ROBIN, *op. cit.*, p. 80).

Anima ergo nostra est ipsa harmonia vel contemperatio partium, membrorum et functionum corporis nostri: sicut melodia est ipse concentus vel contemperatio sonorum e chordis lyrae erumpentium: quid nempe incorporeum et invisibile et divinum, licet e corpore resultet; sicut melodia est quid invisibile et spirituale divinique ordinis, quamvis e chordis lyrae corporeae et materialis producatur [1].

Similiter analogiam sive proportionem statuit inter organa et functiones sive operationes nostras. Sicut enim quatuor habemus organa fundamentalia, scilicet cerebrum, cor, umbilicum et veretrum; ita et quatuor principales functiones vel operationes vitales exercemus eis correspondentes, nempe cogitationem, amorem vigoremque, radicationem atque evolutionem embryonis, et procreationem. Cogitatio namque respondet cerebro, amor et strenuitas cordi, radicatio et embryonis evolutio umbilico, generatio sive procreatio veretro. Primum tamen et radicale principium organicum vitae est veretrum, quia est organum generationis, quae est primum in esse rei genitae, et ab ipsa cetera dependent. Ita igitur se habet cogitatio ad cerebrum sicut vita affectiva ad cor: et sicut se habet generatio sive procreatio ad veretrum, ita se habet nutritio et evolutio foetus concepti ad umbilicum. Nimirum, haec organa conveniunt in hoc, quod omnia et singula, pro suo quoquo modo et proportione, sunt principia operationum vitalium eis propriarum eisque correspondentium [2].

Denique anima nostra, cum sit harmonia quaedam geometrica microcosmi qui est corpus nostrum, necessitudinem quamdam et analogiam praesefert cum harmo-

---

[1] Ita rem exponit LIMMIAS THEBANUS, discipulus Philolai, apud Platonem, Phaedo, 86 ad, *ed. cit.*, t. I, p. 67, 24-54; p. 68, 1-3. Cf. etiam TH. GOMPERZ, *op cit.*, t. II, p. 460. Hanc etiam explicationem, reticito nomine auctoris, breviter colligit ARISTOTELES, *I de Anima*, cap. 4, n. 1 (III, 438, 46-48). Sed eam MACROBIUS nominatim Philolao tribuit, *I de Somnio Scipionis*, cap. 14, n. 76, p. 62. Opera, ed. Patavii, 1736.

[2] Auctor *Theolog. Arith.*, apud H. Diels, 44B, 13, p. 413, 3-11.

nia item geometrica macrocosmi qui est mundus universus: quo fit ut mens nostra naturaliter apta sit ad omnes res capessendas, idest numerandas et mensurandas, more geometrico; nam simile simili cognoscitur: ἐπείπερ ὑπό τοῦ ὁμοίου τὸ ὅμοιον καταλαμβάνεσθαι πέφυκεν [1], videlicet analogum analogo.

61. Idem principium analogiae data opera tradit et aplicat *Empedocles*, qui poëta simul et medicus atque philosophus exstitit, ita ut «nescias utrumne inter poëtas an inter philosophos numeres, quia de rerum natura versibus scripsit» [2]. Eum tamen philosophum esse potius quam poëtam opinatur Aristoteles [3]; quia physicus exsistens, ac de rebus philosophicis disserens, egregium poema fecit, ut verbis utar Tullii Ciceronis [4]. Qua de causa in suo poemate Περὶ φύσεως, una cum metaphoris et comparationibus mere descriptivis more poëtarum, adhibet analogias vere scientificas et explicativas more philosophorum. Unde et inter fundatores aut certe promotores methodi analogiae scientificae adnumeratur ab Othone Regenbogen [5].

Vita praesens est fumus citissime avolans et disparens [6]. Mare est sudor terrae e Solis ardore exactus [7]. Brachia sunt duo rami e trunco nostri corporis erumpentes [8]. Senectus est occasus vitae [9]. Sol est acutus sagittator, quia certo mittit radios suos pungentes ac pene-

---

[1] SEXTUS EMPIRICUS, *Adversus Mathematicos*, VII, 92 (Diels, 44A, 29, p. 406, 15-18).

[2] LACTANTIUS, *Institutiones divinae*, lib. II, cap. 12. Diels, 24.

[3] *Poëtica*, cap. 1, n. 11 (II, 457, 35-38); *II Metaph.*, cap. 4, n. 22 (II, 497, 3-7). Cf. PSEUDO ARISTOTELES, *De Mundo*, cap. 6 (III, 639, 40).

[4] *I de Oratore*, cap. 50, *ed. cit.*

[5] Eine Forschungsmethode antiker Naturwissenschaft (Quellen und Studien zur Geschichte der Mathematik, Astronomie und Pysik, 1931, Berlin), pp. 145-148, apud P. GRENET, *Les origines de l'analogie philosophique dans les Dialogues de Platon*, p. 253. Paris 1948.

[6] *Fragm.* 2 (Diels, 31B, 2, p. 309, 2-3).

[7] ARISTOTELES, *II Meteorol.*, cap. 1, n. 4 (III, 574, 21-24); cap. 3, n. 12 (III, 579, 43-47, Diels, 31B, 55, p. 332, 24).

[8] *Fragm.* 134 (Diels. 31B, 134, p. 366a).

[9] ARISTOTELES, *Poëtica*, cap. 21, n. 13 (I, 474, 17-21. Diels, 31B, 88, p. 342, 16).

trantes sicut bonus sagittator mittit ad scopum sagittas suas acutas [1].

Lunam vocat Athenam, oculos habentem glaucos sive caeruleos [2]; noctem, caecam et solitariam vetulam [3]; aërem vero Titanum, totum caelum vi sua expugnare contendentem [4]; oculosque nostros, laternas appellat corpora circumstantia nobis ostendentes [5].

Ignem et aërem, terram et aquam, nominat radices quatuor —ῥιζώματα— rerum omnium [6]: vires autem cohaesivam et repulsivam, sive centripetam et centrifugam, animatas et vitales facit, easque concordiam et discordiam, sive amorem et odium vocat. Sicut ergo res humanae amore et concordia adunantur et crescunt, odio autem et discordia dilabuntur; ita res naturae vi cohaesiva et centripeta coalescunt, vi vero centrifuga et repulsiva dehiscunt et collabuntur [7].

Vera sinceraque amicitia e duobus amicis quasi unum facit, sicut ficulna coagula unum facit lac niveum [8]: et sicut aqua conglutinans polentam, massam unam compactam producit, ita unus alteri adhaereat sicut salsa vel condimenta obsoniis [9].

Praesertim vero statuit principium analogiae, scilicet similitudinis et proportionis, quatenus similia simili appetunt [10] et ex similibus coalescunt atque nutriuntur

---

1 *Fragm.* 40 (Diels 31B, 40, p. 329, 11).

2 PLUTARCHUS, *De facie in orbe lunae*, § 21, n. 8 (*Scripta Morali* ed. cit., t. II, p. 1.144, 5-6). Cf. etiam *ibid.*, § 16, n. 11, p. 1.138, 7 Diels, 31B, 42, p. 330, 11-13.

3 *Fragm.* 49 (Diels, 31B, 49, p. 331, 24).

4 *Fragm.* 38 (Diels, 31B, 38, p. 329, 1-2).

5 ARISTOTELES, *De sensu et sensato*, cap. 2 (III, 478, 1ª-26. Die 31B, 84, p. 342, 1-11).

6 *Fragm.* 6 (Diels, 31B, 6, pp. 311-312).

7 *Fragm.* 17-27 (Diels 31B, 17-27, pp. 315-324).

8 PLUTARCHUS, *De Amicorum multitudine*, § 5 (Diels, 31B, p. 326, 4).

9 ARISTOTELES, *IV Meteor.*, cap. 4, n. 3 (III, 614, 24-31. Diels, 31 34, p. 326, 12).

10 ARISTOTELES, *VIII Ethic. Nicom.*, cap. 1, n. 6 (II, 91, 36).

ut dulcia dulcibus, acria acribus, tristia tristibus et calida calidis [1]; ac proin similia etiam similibus cognoscuntur. Unde et animam nostram, qua omnia novimus, ex omnibus et singulis radicibus sive elementis dicit esse compositam, ita quidem ut simul ipsa sit omnia et singula: sicut enim amorem amore et odium odio cognoscimus, ita etiam terram terra, aquam aqua, aetherem aethere et igne ignem attingimus mente [2].

Anima autem sive mens nostra maxime consistit et viget in sanguine: et ideo sicut sanguis indesinenter agitatur et movetur circa cor, ita humana cogitatio semper inquieta et volubilis est [3]. Nec tamen expedit simul plura curiose indagare, sed unum: sicut canes venatores non debent plures lepores simul persequi, sed unam tantum [4].

Similitudo ergo rationem reddit eorum quae primo adspectu videntur inconnexa et disparata, v. gr., quare canis dormiat semper in eodem fictili vel tegula rotundata: considet enim et dormit ibi, quia in forma et figura similantur [5].

Haec tamen similitudo non est totalis et absoluta, sed relativa, unaque simul ferens secum aliquam dissimilitudinem, ita sane ut ex utraque resultet combinatio quaedam proportionalis. Sicut enim pictores combinando quatuor colores fundamentales iuxta diversas proportiones, figuras omnium in tabulis depingunt, puta hominum, arborum, ferarum, piscium et volucrum; ita natura e combinatione quatuor radicum sive elementorum fundamentalium secundum proportiones diversas, omnes res sensibiles, quas videmus, producit, scilicet tam terrestres quam caelestes [6].

---

1 PLUTARCHUS, *Quaestiones convivales*, lib. 4, q. 1, § 3, n. 12 (Diels, 31B, 90, p. 344, 4-5).

2 ARISTOTELES, *I de Anima*, cap. 2, n. 6 (III, 434, 19-28); *II Metaph.*, cap. 4, n. 15 (II, 496, 12-16. Diels, 31B, 109, p. 351, 20-22).

3 *Fragm.* 105 (Diels, 31B, 105, p. 350, 13-15).

4 PLUTARCHUS, *De curiositate*, § 11 (Diels, 31B, 101, p. 349, 23-24).

5 PSEUDO ARISTOTELES, *Magna Moralia*, lib. 2, cap. 11, n. 3 (II, 175, 1-5); *Moral. Eudem.*, lib. 7, cap. 1, n. 8 (II, 219, 2-3).

6 *Fragm.* 23 (Diels, 31B, 23, pp. 321-322).

Corpus pariter humanum struitur et erigitur sicut murus. Quem ad modum enim murus fit e lapidibus et lateribus, ita corpus humanum ex ossibus et carnibus[1].

Respirationem cutaneam nostri corporis explicat etiam per analogiam cum fluxu et refluxu aëris in clepsydra.

Cutis nostra, sicut et ceteroquin alia corpora, plena est poris sive meatibus. Similiter clepsydra foramen habet sive meatum in parte superiori. Corpus ergo nostrum se habet ad sanguinem venarum et arteriarum suarum et ad aërem, sicut clepsydra ad aquam et aërem. Sanguis autem indesinenter movetur sursum et deorsum, a corde nempe ad peripheriam et a peripheria ad cor, sicut aqua clepsydrae sus deque agitatae.

Quem ad modum igitur, aqua implente clepsydram, impeditur introitus aëris, fovetur vero aqua recedente, et vicissim, ut videre est si clepsydra in aquam introducatur ore occluso, licet postea aperiatur intra eamdem aquam: ita sanguis accedens ad peripheriam expellit aërem per exspirationem, fovet autem eius ingressum per inspirationem cum recedit ad cor. Sicque fluxus et refluxus sanguinis respondet exspirationi et inspirationi aëris[2].

Maxime vero apparet eius analogia scientifica et explicativa cum ait pilos animalium, squamas piscium, pennas avium et arborum folia proportionaliter —κατ' ἀναλογίαν— convenire. Se habent folia ad arbores sicut pennae ad volucres, sicut squamae ad pisces, et sicut pili ad animalia; easdemque pro suo quoquo modo functiones exercent[3].

Et similiter quando dicit fructus arborum, puta olivas, glandes, mala punicà et succosa poma se habere ad

---

[1] Aristoteles, *II de Generatione et Corruptione*, cap. 7, n. 3 (II, 461-462. Diels, 31A, 43, p. 291, 15-18).

[2] Aristoteles, *De respiratione*, cap. 7 (III, 451, 1-48. Diels, 31B, 100, pp. 347-348).

[3] Aristoteles, *IV Meteor.*, cap. 9, n. 34 (III, 622, 8-15. Diels, 31B, 82, p. 341, 2-3).

proprias arborum species sicut ova ad animalia ovipara. Quemadmodum enim arbores emittunt foras fructus suos, in eisque semen novae plantae continetur una cum primaevo eius alimento; ita animalia ovipara foras emittunt ova sua, in eisque una cum semine pulli nascituri continetur primaevum eius nutrimentum [1].

62. Doctrinam Empedoclis secutus est *Menestor*, qui eam plantis specialiter aptavit. Sicut enim animalia vigere solent medio facto temperamento calidi et frigidi —quemadmodum tradebat Empedocles—, ita etiam plantae simili temperamento florescere consueverunt. Qua de causa calidiores arbores dicebat esse maxime aquatiles, ut iuncum, arundinem et cyperum; itemque abietem, piceam, cedrum, iuniperum et hederam, quae in hieme non gelascunt, immo semper virescunt, quia folia sua retinent propter nativam caliditam [2].

Humorem sive plantarum succum vocat universaliter lac [3], eique respondere asserit saporem fructuum: talem nempe cuique saporem inesse, qualis mixtura et coctio humoris congenerati facta fuerit a natura [4]. Haec autem qualitas humoris commensuratur quidem maxime speciei arboris frugiferi, secundario tamen dependet e conditione soli in quo arbor radices agit [5]. Succus ergo plantae est proportionatus naturae eius et soli in quo radicatur: et similiter sapor et odor fructuum proportionales sunt humori sive succo plantae.

---

[1] ARISTOTELES, *I de Generatione animalium*, cap. 23 (III, 343, 14-18); THEOPHRASTUS, *I de Causis plantarum*, cap. 7, n. 1, ed. D. Link et I. Schneider, p. 341. Lipsiae, [illegible]; PLUTARCHUS, *Quaestiones convivales*, lib. V, q. 8, § 2-3 (*Scripta moralia*, ed. cit., t. II, pp. 831-832). Diels, 31B, 79-80, p. 340, 1-24.

[2] THEOPHRASTUS, *De causis plantarum*, lib. 1, cap. 21, nn. 5-7, ed. cit., pp. 381-382 (Diels, 32, 5, pp. 375-376).

[3] THEOPHRASTUS, *De Historia Plantarum*, lib. 1, cap. 2, n. 3, ed. cit., p. 8 (Diels, op. cit., 32, 2, p. 375, 15-17).

[4] THEOPHRASTUS, *De causis plantarum*, lib. 6, cap. 3, n. 5, p. 589 (Diels, 32, 7, 14-18).

[5] THEOPHRASTUS, *op. cit.*, lib. 2, cap. 4, n. 3, p. 395 (Diels, 32, 6, p. 376, 11-13).

63. Analogia tamen eiusque methodo potissime usi sunt hippocratici, qui nempe ad scholam Magni medici *Hippocratis* [1] aliquo modo pertinent; licet nobis, in praesenti statu investigationis criticae, impossibile sit ex amussim determinare quid Hippocrati ipsi, quid vero discipulis eius sit adscribendum. Quam ob rem Corpus Hippocraticum, prout ad nos usque pervenit, per modum unius adhibebimus.

Medicos ergo hominibus personatis, qui in tragoediis introducuntur, comparant, similesque faciunt. Quemad modum enim plures formam quidem, vestem et facien histrionis induunt, cum tamen pauci revera histrione sivi hypocritae aut simulatores sint; ita et medici fama qui dem et externo apparatu multi sunt, re vera tamen e opere perpauci [2].

Insuper medici naucleris comparantur. Sicut enir peritia et prudentia naucleri ostenditur in prospera nav gatione inter medias tempestates, non autem cum mai tranquillitate gaudet: ita medici sapientia atque dext ritas manifestatur in sanandis hominibus a magnis periculosis morbis, non autem in curandis hominib nihil aut leviter aegrotantibus. Et similiter imperitia m dicorum in propatulo ponitur urgente gravi infirmita sicut inscientia naucleorum urgente procella.

«Quare plerique medici eadem quae mali guberna res in se admittere mihi videntur. Etenim illi, cum tranquillitate gubernantes delinquunt, non fiunt manif ti; cum vero deprehenderit ipsos ventus magnus et te pestas, palam iam conspicui sunt omnibus hominil quod ignorantia et culpa erroris sui navem perdideru sic sane etiam mali et plurimi medici, cum curant ho nes nihil grave patientes, in quos si quis etiam maxi delinquat, nihil grave faciat; sunt autem multi tales m

---

[1] Sic eum appellat Aristoteles, *VII Politic.*, cap. 4, n. 3 (I, 47-49).

[2] Hippocratis lex, argumentum libri, n. 3. Hippocratis, *Opera nia* graece et latine, ed. St. Mack, Viennae Austriae, 1743, t. I, p.

bi et multo saepius, quam graves hominibus accidunt: in talibus sane delinquentes, non fiunt manifesti idiotis hominibus; ubi vero obtigerit magnus et fortis et periculosus morbus, tunc ipsorum delicta et ars omnibus in conspicuo sunt [1].

Ipsam vero disciplinam Medicinae proportionem quamdam habet et similitudinem cum Agricultura. «Qualis enim eorum, quae in terra producuntur, consideratio, talis et Medicinae disciplina est. Natura namque nostra velut ager; doctorum praecepta velut semina sunt. Institutio a puero ceu satio, qua per opportunum tempus ipsa semina terrae mandatur. Locus autem in quo ars traditur, ambienti aëri respondet, qui vegetis stirpibus alimentum suppeditat. Industria vero agricultura est. Tempus denique haec omnia, quoad plane adoleverint, confirmat» [2].

Atque ad rem ipsam scientia medicali consideratam procedentes, dicunt corpus humanum eiusque partes singulas proportionales esse naturae rerum exteriorum. Quia sicut corpora quae nos ambiunt quatuor constant elementis totidemque qualitalibus eis respondentibus, nimirum igne et aëre, terra et aqua; itemque calido et frigido, humido et sicco: ita etiam corpus nostrum et singulae partes eius iisdem constant elementis similibusque qualitatibus afficiuntur, non tamen eadem prorsus quantitate, sed simili proportione, prout nativa singulorum indoles postulat [3].

Quin etiam in corpore nostro dantur quatuor humores proportionales quatuor elementis, nimirum sanguis, pituita, bilis flava et bilis nigra, ex quorum debita combinatione resultat sanitas perfecta [4]. Et hac de causa, humana alimenta, licet genere conveniant, aptari debent sin-

---

[1] *Op. cit.*, *De veteri medicina*, cap. 4, n. 16, t. I, p. 22.
[2] *Ibid.*, nn. 7-8, p. 4.
[3] *Op. cit.*, *De carnibus seu principiis*, cap. 2, t. I, pp. 242-243.
[4] *Op. cit.*, *De natura hominis*, cap. 1-2, t. I, pp. 195-198; *De morbis*. lib. 4, cap. 1, t. II, p. 268.

gulis, pro diversis aetatibus et conditionibus vitae, debita contemperatio humorum et elementorum ex amu sim servetur [1].

In coitu viri et mulieris, quod ad calorem et delect tionem spectat, «ita se res habet: quem ad modum, quis in aquam ferventem alteram frigidam affundat, il fervere cessat: sic etiam viri semen in uterum illapsui mulieris calorem et voluptatem extinguit. Exilit aute voluptas et calor simul ac semen in uterum decidit, dei de desinit; quem ad modum si quis flammae vinum affu dat, primum quidem contingit flammam attolli, ac pa latim ad vini affusionem increscere, deinde cessar eodem modo —ὡσαύτως— et in muliere calor ad viri seme attollitur, postea desimit» [2]. Ceterum, mixtio seminis ma culini cum feminino similis est mixtioni cerae cum sevo

Conceptione vero peracta, mater se habet ad foetu sicut terra ad plantam in ea natam. Sicut enim plan humorem e terra sumit quo nutritur, eiusque sanitas co ditionibus terrae commensuratur: ita etiam foetus n trimentum trahit ex matre, eiusque sanitas sanitati m tris respondet. «Etenim quae ex terra nascuntur, ea omn ex terrae humore vivere assero, et qualem terra humore in seipsa habet, talem etiam nascentia ex ipsa haber sic et puer in utero ex matre vivit; et ut valet mater, i et puer se habet» [4].

Quod si uterus sit nimis parvus et angustus, foet evolvi non potest usque ad perfectam quantitatem robur ei naturaliter debita: sicut et arbor seminatus v plantatus in loco angusto vel petroso non valet perveni ad quantitatem et robur suae debita naturae [5]. «Quema modum arbores quaecumque in terra sunt neque sa

---

[1] *Op. cit.*, *De salubri victus ratione*, cap. 1, nn. 9-10, t. II, p. *De alimento*, cap. 1, t. II, pp. 89-90.
[2] *Op. cit.*, *De genitura*, cap. 3, n. 7, t. I, p. 213.
[3] *Ibid.*, cap. 4, p. 214.
[4] *Op. cit.*, *De natura pueri*, cap. 9, n. 55, t. I, p. 234. Cf. *ibi* cap. 8 per totum, pp. 228-234; *De morbis*, lib. 4, cap. 2, n. 5, t. II, 2
[5] *Op. cit.*, *De genitura*, cap. 5, nn. 19-21, t. I, pp. 215-216.

amplum spatium habent, sed a lapide vel alia quapiam re detinentur, cum exoruntur, tortuosae evadunt, aut parte una crassae, altera vero tenues: sic certe in puero fieri contigit, si in utero parti cuidam corporis spatium alterum altero angustius fuerit»[1].

Sed et inter processum foetus in utero matris usque ad nativitatem eius et processum pulli avium usque ad eius exitum ex ovo, perfecta viget analogia[2]. Nam «increscit avis in ovo, et eodem prorsus consimilique modo articulatur velut puer...

Procreatur autem avis ex ovi vitello; alimentum vero et incrementum ex eo habet quod in ovo est candidum. Quod omnibus, qui animum adverterint, conspicuum esse potest. Cum autem alimentum ex ovo pullo deficit, neque satis ei suppetit unde vivat, copiosius alimentum quaerens, vehementer movetur in ovo, et membranae circumcirca disrumpuntur. Et ubi avis pullum vehementer moveri senserit, putamen tundendo excavans, ipsum excludit.

Atque haec intra viginti dies contingere solent, idque ita se habere manifestum est. Nam ubi volucris ovi putamina rostro contuderit, nihil penitus humoris quod alicuius sit momenti in eo inest, quod totus in pullum absumptus sit.

Sic etiam cum puer increverit, mater ei sufficiens alimentum amplius suppeditare non potest. Plus itaque alimenti quam quod adsit foetus quaerens, sese iactando membranas disrumpit, simulque vinculis solutus foras prodit. Atque ista, ut longissime, decimo mense contingunt»[3].

Immo et inter processus pueri pullique et seminis plantae usque ad eius germinationem. «Alimentum et incrementum puerorum fit, ubi ea quae a matre veniunt

---

[1] *Ibid.*, cap. 6, n. 22, p. 216.
[2] *Op. cit.*, *De natura pueri*, cap. 9, nn. 57-58, t. I, pp. 234-235.
[3] *Ibid.*, cap. 10, nn. 65-66, p. 237.

ad uterum processerint: atque ut mater sana aut debilis est, ita etiam puer valet.

Quem ad modum etiam quae e terra gignuntur, e terra nutriuntur; et prout terra habuerit, sic quoque e terra nascentia se habent. Semen enim cum in terram deiectum fuerit, humore quodam ab ipsa impletur. Habet enim cuiusvis generis humorem terra in se, quo, quae ex ea nascuntur, nutrire possit. Ac semen humoris plenum inflatur et intumescit, et vis quae in semine levissima est ab humore condensari cogitur: condensata autem a spiritu, et *humore in folia verso, semen rumpit, et primum folia foras emergunt. Cum vero emerserint, ubi amplius ab humore qui in semine inest nutriri non possunt, rumpitur inferne semen, itemque folia, ipsumque a foliis coactum, vi suam, quae in eo reliqua est, propter gravitatem ad inferiora demittit; ex foliis oriuntur radices, ex iisque dependent.*

Ubi vero planta firmas radices in terram iecerit ex eaque alimentum sumpserit, tunc sane totum semen evanescit, et in plantam excepto cortice, qui solidissimus est, absumitur. Rursus autem cortex in terra putrescens progressu sane temporis evanescit, et folia quaedam in ramos finduntur»[1].

Eademque de causa, sicut arbor in ramos et ramusculos evolvitur et explicatur, ita etiam foetus in membra et organa tam interna quam externa articulatur et distinguitur, puta cor, iecur, caput, brachia, crura[2].

Simul etiam tam intra uterum quam extra, idque praesertim, nutriuntur et crescunt proportionali modo. Sicut enim planta tota simul crescit cum omnibus et singulis partibus et ramis eius, ita etiam puer totus simul crescit et evolvitur cum omnibus et singulis membris et organis eius: quae quidem singula membra et organa crescunt, non sane eadem quantitate, sed eadem propor-

---

1 *Ibid.*, cap. 7-8, nn. 41-42, pp. 228-229.
2 *Ibid.*, cap. 4, nn. 21-22, p. 222.

tione, eo scilicet modo quo sunt; quia non omnia sunt aequalia, licet omnia et singula sint proportionata. Neque enim nares aut oculi crescunt eadem quantitate qua brachia vel crura, bene tamen eadem proportione. «Partes omnes simul omnes discernuntur et augentur, neque una prior altera neque posterior: maiores tamen natura minoribus priores conspiciuntur, cum priores non sint» [1]. Idemque in trunco arborum et ramis atque ramusculis videre est.

«Augetur autem quidque in suo loco, quod omnia habet: superveniente vero alimento, ab aqua sicco, ab igne autem humido, alia quidem intro, alia vero foras vi adiguntur. *Quem ad modum* fabri lignarii lignum serra secant, et alter quidem trahit, alter vero tradit, idem sane facientes: et qui deorsum urget, eum qui supra est trahit; neque enim aliter deorsum ire posset: sin per vim agant, penitus aberrabunt: —*ita* se habet hominis alimentum. Aliud quidem trahit, aliud vero trudit; intro vero vi actum, foras trahit: si autem intempestive per vim agatur, prorsus successu frustrabitur» [2].

Sic ergo maius a minores, et minus a maiore augetur. Tum reliqua omnia, tum hominis animus et corpus, velut anima, certo ordine gubernantur. Irrepunt autem in hominem partes partium, tota totorum, quae ignis et aquae commixtionem habent, partim quidem sumptura, partim datura: et quae quidem sumunt, plus faciunt; quae vero dant, minus. Lignum homines serra secant: et hic quidem trahit, alter vero trudit; idem tamen faciunt, et minus faciendo plus faciunt. *Idem et hominis natura,* partim quidem propellit, partim vero trahit: partim dat, partim etiam accipit: et alii quidem dat, ab alio vero accipit, et alii quidem tanto plus dat, ab hoc vero tanto minus accipit. Locum autem suum quidque tuetur: et quae quidem ad minus tendunt, in minorem locum secernuntur;

---

1 *Op. cit., De sanorum victus ratione,* lib. 1, cap. 9, n. 53, t. II, p. 21.
2 *Ibid.,* cap. 6, n. 27, p. 14.

quae vero ad maiorem proficiscuntur, commixta in maiorem classem transeunt»[1].

Utrobique debita contemperatio calidi et frigidi servari debet. Sicut enim arbori, ut sanus sit et vegetus, necesse est calidum et frigidum temperare, ita quidem ut si ex superiore parte calor accedat, ex inferiori frigus accedere oporteat, et vicissim: sic etiam homini, ingestis in ventriculum cibis, qui dum concoquuntur calefaciunt, refrigerationem a potu reddi oportet[2].

In hac autem vita vegetativa et animali se habet venter sicut terra in arboribus et sicut mare in terra. Sicut enim mare omnia recipit quae ex terra fluunt, et vicissim terrae dat omnia quae habet: ita etiam in ventrem vadunt omnia quae animal recipit, et ex ventre sumit vicissim omnia quae opus habet. Venter igitur est receptaculum simul et promptuarium omnium quae ad vitam vegetativam et animalem spectant, sicut mare simul est receptaculum et promptuarium omnium quae ad terram pertinent[3].

Pariter, «ut se habet terra in arboribus, ita in animantibus venter: alit, calefacit ac refrigerat. Refrigerat autem dum evacuatur, calefacit dum impletur, ut terra stercorata: sicut autem terra hyeme calida est, ita etiam venter»[4].

Rursus, sicut cortices se habent ad arbores, ita conchae ad limaces et testudines ad ostreas: quatenus sicca et dura sunt haec omnia, et in singulorum protectionem sunt disposita[5].

Item, digiti et ungues manuum et pedum se habent ad manus et pedes, sicut ramusculi et folia se habent ad ramos arborum. Quemadmodum enim rami arborum in

---

[1] *Ibid.*, cap. 5, nn. 20-23, p. 13.
[2] *Op. cit.*, *De natura pueri*, cap. 8, n. 54, t. I, p. 233.
[3] *Op. cit.*, *De sanorum victus ratione*, cap. 7, n. 34, t. II, p. 16 Cf. etiam *De morbis*, lib. 4, cap. 1, n. 3, t. II, p. 268.
[4] *Op. cit.*, *De humoribus*, cap. 4, n. 48, t. I, pp. 85-86.
[5] *Ibid.*

ramusculos sparguntur, in quorum extremitate enascuntur folia: ita manus et pedes hominis in digitos explicantur, in quorum extremis generantur ungues [1].

Venter autem mulieris praegnantis se habet ad adipem et omentum, sicut uter sive corium plenum oleo se habet ad olei exsudationem et distillationem. Quem ad modum enim corium oleo plenum oleoque imbibitum, si manu comprimatur, exsudat et stillat oleum: ita venter et uterus plenus mulieris gravidae, cum a foetu crescente premitur, pinguedinem et omentum, quasi exsudationem, producit [2].

Terram similiter comparant utri aqua pleno et in sublimi suspenso. Terra enim plena est aqua, et in centro mundi suspensa. Sicut ergo, si uter ille acu subtili pungatur, guttulas tantum aquae per foramen illud emittit, non autem spiritum sive aërem; mittet vero utrumque si foramen sit grandius: ita terra nostra quibusdam anni stationibus pluviam tantum emittit, quibusdam vero pluviam simul et ventum [3].

Verum hippocratici non solum analogia multipliciter usi sunt, ut constat ex relatis exemplis, sed etiam ipsam eius naturam et spiritum attigerunt, una cum valore ipsius universali epistemologico.

Naturale est homini, qui rationalis est, ab imperfecto ad perfectum procedere, a sensibili noto ad intelligibile ignotum, et ab uno simili immediate eius menti observato ad aliud simile remotum et obscurum, ipsi tamen aliquo modo proportionatum. Unde et principium statuit: id quod occultum et intestinum in rebus est, oportet ex forinsecus manifestis condiscere [4]; ex claris et apertis debent obscura investigari: ἐκ τῶν φονερῶν τὰ ἀφανέα σκήπτεσθαι [5].

---

1 *De natura pueri*, cap. 6, n. 31, t. I, p. 225.
2 *Ibid.*, cap. 7, n. 39, p. 228.
3 *Ibid.*, cap. 8, n. 50, p. 232.
4 *Op. cit.*, *De veteri medicina*, cap. 12, n. 53, t. I, p. 33.
5 *De sanorum victus ratione*, lib. 1, cap. 8, n. 37, t. II, p. 17.

Quod quidem principium illa tempestate adeo tritum et commune erat, ut in proverbium verteretur: ὄψις γὰρ τῶν ἀδήλων τα φαινόμενα, inquit Anaxagoras [1]; τεκμαιρόμεσθα τοῖς παροῦσι τάφανῆ, dicit Euripides [2]; vel, ut ait Democritus, τῆς μὲν τῶν ἀδήλων καταλήψεως φαινόμενα [3].

In rerum ergo natura similitudo viget una cum dissimilitudine, et unitas simul cum diversitate et multiplicitate. Et ideo ea ipsa quae diversa sunt et dissimilia, quamdam simul habent identitatem atque similitudinem, quae proportio vel analogia dici potest. Quo fit ut hominis natura, quae media est quodammodo inter res mundanas et artes ab ipso homine adinventas, ex utriusque extremi comparatione intelligi et explicari possit [4].

Comparatus ergo ad totam rerum universitatem, quae macrocosmus audit, homo dicitur microcosmus, quasi compendium et synthesis totius universi. Sicut enim in mundo universo ignis est elementum potissimum, ita et in humano corpore. Et ideo «ignis omnia quae sunt in corpore, secundum ipsius modum, ad universi imitationem —ἀπομίμησιν τοῦ ὅλου— parva cum magnis et magna cum parvis disposuit. Ventrem quasi mare, cetera membra quasi terram. Et sicut ignis mundanus triplicem circulationem causat, Solis scilicet, Lunae et stellarum; ita ignis nostri corporis trinum excitat circuitum in ipso, alium nempe ad humorum cavitates qui lunari circulationi assimilatur, alium ad exteriorem superficiem et ambientem consistentiam qui stellarum circulationi correspondet, alium intermedium ad interiores cavitates et ad peripheriam qui circulationi solari proportionatur [5].

Ad artes vero humanitus adinventas, puta fabri lignari, fabri ferrarii, fullonis, coriarii, sutoris, coqui, figuli,

---

1 Diels, 59B. 21a, *op. cit.*, t. II, p. 43, 15-16.
2 AENOMAOS, apud CLEMENTEM ALEXANDRINUM, Stromata, lib. 6, cap. 2. MG. 9, 232 (Euripidis fragmenta, fragm. 579, ed. F. Wagner. Didot, Bibl. graeca, t. 7, p. 759. Parisiis, 1878).
3 Diels, 68A, 111, t. II, p. 110, 29-30.
4 *Op. cit.*, *De sanorum victus ratione*, cap. 8, n. 37, t. II, p. 17.
5 *Ibid.*, cap. 7, nn. 34-35, p. 16.

architecti, medici, musici et grammatici, se habet ut exemplar et prototypum quod illae imitantur: et ideo ex ipsis quasi ex effectibus et exemplatis coniicere possumus naturam et modum exemplaris. Sicut enim in his artibus diversa adhibentur instrumenta pro diversitate operationum quae necessariae sunt ad opus artificiosum producendum, verbi gratia mensam, campanam, sotulares, domum, vestimentum et alia huiusmodi: ita etiam in corpore nostro diversa requiruntur organa et membra quasi totidem instrumenta ad diversas operationes vitales exercendas, quae necessariae sunt ad vitam eius conservandam et promovendam. Quod et explicat per singula [1].

Postremo ad Deum comparatur homo ut ad exemplar primum et maximum, quod imitari debet in operando. Sicut enim Deus universum mundum certo ordine constituit, et infallibili providentia regit atque gubernat: ita homo corpus suum et animam certa ratione ordinare debet, eorumque affectus et operationes prudenter regere ac gubernare [2].

64. Eodem modo analogia multipliciter usus est *Democritus*. Mundum universum eiusque partes cum ex atomis compositum dicat, plenum et spissum appellat ens, vacuum autem et rarum non-ens. Quasi dicat: id quod Parmenides nominat ens et non-ens, nos vocamus plenum et vacuum. Sicut ergo se habent in doctrina parmenidea ens et non-ens, ita se habent in doctrina atomistica plenum et vacuum [3].

Atomos vero nominat corpuscula physice indivisibilia et infinita, atque turbulento concursu ab aeterno agitata [4]: quorum quaedam, ut verbis utar Tullii Ciceronis, lenia sunt, alia aspera, rotunda alia, partim autem angulata

---

[1] *Ibid.*, cap. 8, pp. 17-21.
[2] *Ibid.*, nn. 37-40, p. 17.
[3] ARISTOTELES, *I Metaph.*, cap. 4, n. 7 (II, 4747, 45-51. Diels, 67A, 6, t. II, p. 72, 13-17).
[4] ARISTOTELES, *I de Generatione et corruptione*, cap. 1, nn. 3-4 (II, 432, 14-27. Diels, 67A, 9, t. II, p. 74, 13-22).

vel hamata, curvata quaedam et quasi adunca[1]; praes(tim vero gravia alia, alia levia.

Ex hac autem turbulenta rotatione similes atomi sir libus coniunguntur, puta rotundae rotundis, angulat angulatis, curvatis curvatae; maxime vero graves gra bus et levibus leves: sicque finaliter tam atomi qua corpora ex eis coalescentia distinguuntur figura, ordi et situ[2].

Sicut enim fluxus et refluxus maris tumescentis lap los et calculos in littora proiicit, et alio in loco rotund(alio vero oblongos colligit; ita etiam concursus turbul(tus atomos colligit similes et separatim a dissimilib disponit, hinc rotundas, inde curvatas; sursum leves, g ves deorsum.

Eodem iure, sicut semina et paleae in cribro pos et vehementer agitata separantur ab invicem et diver in situ collocantur, nimirum grani infra et stipulae supr e granis autem, triticei ex una parte, hordeacei ex ali hinc ciceres, inde lenticulae: ita etiam atomi turbulen concitatae diversimode congregantur et disponuntur iu diversas earum qualitates, et sic ex una parte resulta corpora caelestia, ex alia terrestria.

Ceterum, similium adunatio et dissimilium separat lex est universalis omnium rerum. Videmus enim colu bas columbis et graculos graculis adunari, non aut(graculos columbis et vicissim[3].

Ventum quoque explicat ex analogia conflictus p rium atomorum in angusto vacuo volitantium et tum tus multorum hominum in angusto spatio abulantiu Quam analogiam eleganter recolit Seneca hisce verbis ore Democriti: «cum in angusto inani multa sint c puscula quae ille atomos vocat, sequi ventum; at cont

---

[1] Cicero, *De natura deorum*, lib. 1, cap. 24, ed. cit., t. II, p. (Diels, 67A, 11, t. II, p. 74, 31-34).

[2] Aristoteles, *I Metaph.*, cap. 4, n. 8 (II, 475, 1-10. Diels, 67A t. II, p. 72, 13-25).

[3] Sextus Empiricus, *Adversus mathematicos*, VII, 116-117 (D 68B, 164, t. II, pp. 116-117).

quietum et placidum aëris statum esse, cum in multo inani pauca sint corpuscula.

Nam quem ad modum in foro aut vico, quamdiu paucitas est, sine tumultu ambulatur; ubi vero turba in angustum concurrit, aliorum in alios incidentium rixa fit: sic in hoc quo circumdati sumus spatio, cum exiguum locum multa corpora impleverint, necesse est alia aliis incidant et impellant ac repellantur implicenturque, ex quibus nascitur ventus, cum illa quae colluctabantur incubuere et diu fluctuata ac dubia inclinavere se; at, ubi in magna laxitate corpora pauca versantur, nec arietare possunt nec impelli» [1].

Hominem, sicut praecedentes philosophi, appellat parvum mundum, per analogiam ad totum universum, quod magnum mundum vocat [2].

Coitus est sicut duellum. Quem ad modum enim in singulari certamine unus homo alium hominem expellit foras, ita et ex coitu novus homo foras emittitur [3].

Generatio etiam et educatio proportionales sunt; quia sicut generatio dat primam naturam, ita educatio confert secundam, quae est perfectio et quasi complementum primae [4]. Est enim educatio ornamentum hominis fortunati, et consotamentum atque refugium hominis infortunio perculsi [5].

Similiter fortitudo animae se habet ad hominem, sicut fortitudo corporis ad brutum animal. Quemadmodum enim laus animalis in fortitudine corporali consistit, ita laus hominis in virtute sive fortitudine animi [6].

Vita moralis proportionatur nativae indoli uniuscuiusque, ita quidem ut qualis est naturalis indoles, talis sit

---

1 SENECA, *Natural. quaest.* lib. 5, cap. 2, ed. cit., t. II, p. 257 (Diels, 68A, 93a, t. II, p. 106, 27-36).
2 Diels, 68B, 34, t. II, 153, 4-12.
3 Diels, 68A, 32, t. II, p. 152, 6-7.
4 Diels, 68B, 33, t. II, p. 153, 1-2.
5 Diels, 68B, 180, t. II, p. 181, 8-10.
6 Diels, 68B, 57, 57, 214, t. II, p. 157, 11-12; 178, 16-18.

vita moralis: bonae indoli respondet vita virtuosa, malae vero vitiosa vita [1].

Avari comparantur apibus: quia sicut apes laborant et insudant ac si semper essent victurae, ita avari insudant ac defatigantur ac si numquam essent morituri [2].

Filii avarorum, si litterarum ignari sint, assimilantur saltatoribus imperitis inter media gladia acutissima et erecta. Quem ad modum enim, saltatores illi in erectorum gladiorum orbem se coniicientes, miserrime pereunt, quia pedem suum non posuerunt in unico loco ubi poni oportebat: ita filii avarorum ignari, inter medios homines pecuniae amatores coniecti, infeliciter perire solent, quia nesciunt figere pedem in iusto medio discretionis et virtutis, sed divitias nullo negotio hereditatas dissipant imprudenter [3].

Vita sine festivitatibus et ludis est sicut longum iter sine hospitio et quiete [4].

Homines malam gubernationem potius quam bonam recolere solent. Et quidem merito. Quia, sicut non est necesse laudare eum qui depositum reddit, oportet tamen vituperare ac punire eum qui non reddit depositum: ita necesse est vituperare atque punire gubernatorem negligentem et imprudentem, non tamen oportet laudare diligentem et prudentem, quia revera non fuit electus et praepositus ut male, sed ut bene gubernaret multitudinem [5].

Qui autem vituperant et mordent bonos et optimos gubernatores, similes sunt illi qui aquilam reptilibus devorandam traderet [6].

Vigor et pulchritudo se habent ad iuventutem, sicut prudentia ad senectutem: quia sicut pulchritudo et vigor

---

1 Diels, 68B, 61, t. II, p. 158, 3-4.
2 Diels, 68B, 227, t. II, p. 190, 18-19.
3 Diels, 68B, 228, t. II, p. 191, 1-8.
4 Diels, 68B, 230, t. II, p. 191, 11-12.
5 Diels, 68B, 265, t. II, pp.199-200.
6 Diels, 68B, 266, t. II, p. 200, 4-11.

est flos et ornamentum iuventutis, ita prudentia et bonus sensus est ornamentum et flos senectutis [1].

Senectus est declinatio et mutilatio omnium bonorum humanorum; quia senes aliquid de omnibus ad hominem pertinentibus retinent, flaccidum tamen et vestustate fatiscens, atque ideo aliquid simul de omnibus deficit eis [2]. Se habet ergo senectus ad iuventutem sicut flos exsiccata ad florem vegetam et virentem.

Pulchritudo consistit in proportione et aequilibritate quadam, una cum integritate partium, absque ullo defectu vel excessu [3].

Sapientia sive Philosophia se habet ad animam sicut Medicina ad corpus: quia sicut Medicina sanat aegritudines corporis, ita Philosophia sanat aegritudines sive passiones animae [4].

Veritas tamen, quam Philosophia quaerit, comparatur aquae purissimae in profundo putei servatae: quia sicut defficillimum est aquam illam haurire et bibere, ita est summe arduum veritatem obiectivam attingere et intellectu penetrare [5].

Verba se habent ad facta sicut umbra ad corpus [6]: corpus autem se habet ad animam sicut domicilium ad hospitem [7], et sicut instrumentum ad causam principalem [8]. Umbilicus vero se habet ad foetum sicut ancora ad navim, quia eum tenet fixum in profundo uteri contra fluctuationes: et sicut retinaculum aut pedamentum conceptae prolis, eo circiter modo quo chordae vel catenae retinent navim ad littus [9].

---

1 Diels, 68B, 294, t. II, p. 206, 11-12.
2 Diels, 68B, 296, t. II, p. 206, 16-17.
3 Diels, 68B, 102, t. II, p. 163, 5-6.
4 Diels, 68B, 31, t. II, p. 152, 1-3.
5 Diels, 68B, 117, t. II, p. 166, 4.
6 Diels, 68B, 145, t. II, p. 171, 4.
7 Diels, 68B, 37, t. II, p. 155, 1-2.
8 Diels, 68B, 159, t. II, pp. 175-176.
9 Diels, 68B, 148, t. II, pp. 171-172.

65. Mittimus *Xenophanem*, qui fulgura dixit esse analoga scintillis quae in malis navium conspiciuntur oborta nocturna tempestate [1]; et *Anaxagoram*, iuxta quem Νοῦς sive Intelligentia comparatur rerum universitati sicut Architectus ad fabricam, quatenus res omnes movet et ordinat atque componit eo fere modo quo architectus elementa fabricae struendae [2]: ut ad *Sophistas* et *Socratem* transeamus.

Hi ergo, relictis physica ionicorum, mathematica pythagoreorum et metaphysica eleatorum, ad quaestiones morales et politicas se converterunt, prout status democraticus rei publicae atheniensis postulabat. Et ideo grammatica atque rhetorica nedum usi, verum et plurimum abusi sunt, in ampullosa verba et garrulitatem declinantes. De omni re scibili buccis crepantibus declamabant, prout ad forum, ad lucrum, ad dignitates parabant viam. Qua de causa, in iuvenes praesertim aucupandos operam dabant, qui pecuniam et primos reipublicae consessus ambiebant. Eorum gloria erat pesimam causam in optimam convertere ope eloquentiae [3].

Se ergo exhibebant coram multitudine ut omniscientes. Et quidem ad hoc ut tales haberentur, modo dogmatismum absolutum, modo scepticismum simulabant. Unde et orationes suas exordiebantur dicentes: scio, cognosco, dudum dispexi; aut ex adverso: hac de re certum homini nihil [4]. Semper tamen promptos sese dicebant atque paratos ad respondendum et disserendum de quolibet; sicut Gorgias, cum in atheniensium theatrum prodiisset, dixisse fertur: προβάλλετε, interrogate quaecumque vultis [5].

Quae cum ita sint, plane intelligitur sophistas sumpsisse comparationes, metaphoras et analogias suas e rebus moralibus et politicis, non autem e rebus naturalibus.

---

[1] Diels, 21A, 39, t. I, p. 124, 31-33; 45, p. 125, 18-19.

[2] Diels, 59B, 12-14, t. II, pp. 37-40.

[3] Plato, *Phaedrus*, 267, ed. cit., t. I, p. 728, 1-8; Aristoteles, *II Rhetor.*, cap. 24, n. 11 (I, 282, 46-47).

[4] Philostratus, *Vitae Sophistarum* lib. 1, ed. A. Westermann (Parisiis, Didot, 1878), p. 196.

[5] *Ibid.*, p. 197.

Iuxta *Protagoram*, solus relativismus rationabilis est; quia sicut obiectum, idest exteriores res, est in perpetuo fluxu, ita et subiectum, nempe homo cum corpore et sensibus suis. Nihil ergo est fixum et permanens, sed iugiter mutatur ita ut una eademque res sit et non sit pro diverso momento vel respectu quo consideratur. Bonum et malum, verum et falsum, pulchrum et turpe sunt mere relativa. Quod enim uni videtur verum, bonum et pulchrum, alii videtur falsum, malum et turpe: immo uni eidemque homini pro diversa eius aetate vel dispositione; quod enim placet puero, displicet seni; et quod sano videtur gratum, aegroto apparet ingratum. Ideo omnia huiusmodi sunt valores mere relativi et proportionales statui vel conditioni subiectivae ipsius hominis.

Quod sane Protagoras expressit effato illo celeberrimo: πάντων χρημάτων μέτρον ἐστὶν ἄνθρωπος, τῶν μὲν ὄντων ὡς ἔστιν, τῶν δε οὐκ ὄντων ὡς ούκ ἔστιν [1]. Tales sunt homini res, quales ei videntur; tales autem ei videntur, qualis est eius status sive dispositio. Ergo qualis est homo, talis est veritas et bonitas et pulchritudo: et ideo status vel dispositio physica et moralis hominis est mensura sive criterium veri et falsi, boni et mali, pulchri et turpis, medium nimirum proportionale.

Haec autem animi dispositio, quae et habitus nuncupatur, maxime ex disciplina et educatione dependet: educatio vero per rhetoricam sive eloquentiam potissime fovetur. Rhetorica igitur, qualis a sophistis traditur, se habet ad efformandos atque educandos pueros et iuvenes sicut agricultura ad plantas et sicut medicina ad corpora. Quem ad modum ergo agricola debiles plantas vegetas efficit, et medicus imbecile corpus robustum facit adhibitis medelis, ita sophista rationibus et orationibus suis

---

1 SEXTUS EMPIRICUS, *Adversus mathematicos*, VII, 60 (Diels, 80B, t. II, p. 263, 3-5); PLATO, *Theaetetus*, 151e, 152a, ed. cit., t. I, p. 116, 30-32 (Diels, ibid., p. 263, 9-11); SEXTUS EMPIRICUS, *Phyrrhonicae hypotyposes*, lib. 1, cap. 32 (Diels, ibid. 80A, 14, p. 258, 16-35).

iuvenes ineptos et imperitos sapientes facit atque paratos ad munera reipublicae obeunda [1].

Rursus, sicut planta non floret neque fructificat nisi profundas radices agat, ita educatio non germinat in anima neque fert fructus nisi profunde in ea figatur [2]: et sicut agricola contortam arborem, adhibitus pressuris et ligamentis, rectificat, ita paedagogus, ludimagister et sophista pueros discolos et renitentes minis verberibusque emendant ac dirigunt [3].

Scholis autem egressi, leges reipublicae addiscere debent, ut secundum eas vitam suam regant et non proprio arbitrio nitantur, sed omnino quem ad modum litterarum magistri pueris adhuc scribendi nesciis calamo litteras praescribunt et lineas, deinde libellum tradunt et iubent litterarum ductum scribendo imitari: ita etiam respublica leges praescribit quasi normas et lineas, secundum quas iuvenes et viri vitam suam regulare et moderare tenentur [4].

Disciplinam vero, educationem et sapientiam metaphorice appellat coronam gloriae e floribus facundiae contextam et super caput eorum qui eas diligunt impositam. Ardua quidem res, semper tamen virescens ac florens [5].

66. Similiter *Antiphon Atheniensis* educationem seminationi comparat; quia sicut semina non statim florent nec fructus ferunt, sed suo tempore, ita semina educationis in animo puerorum sparsa non statim florent neque fructus virtutum ferunt, sed suo tempore [6].

Vitam autem nostram assimilat vigiliae fugaci, quae vix una die perdurat [7]. Delectationes non adveniunt sta

---

[1] PLATO, *Teaetetus*, 167ac, ed. cit., t. I, p. 128, 23-49 (Diels 80A 21a, t. II, p. 260, 12-31).

[2] PLUTARCHUS, Περὶ ἀσκήσεως 178, 25 (Diels, 80B, 11, t. II, p. 268, 15-16)

[3] PLATO, *Protagoras*, 325d, ed. cit., t. I, p. 244, 12-22.

[4] *Ibid.*, 326de, pp. 244-245.

[5] Diels, 80B, 12, t. II, p. 268, 19-26.

[6] Diels, 87B, 60, t. II, p. 365- 1-9.

[7] Diels, 87B, 50, t. II, p. 360, 4-7.

tim, sed post magnos conatus et labores: sicut victoriae olympicae non omnibus obveniunt extemplo, sed conantibus et plurimum insudantibus. Nihil enim magni obtinetur nisi mediante labore [1].

Consentit *Prodicus Ceus.* Sine labore et studio nihil boni et pulchri obtinent homines. Sicut enim ager non fert fructus opimos nisi assidue ac diligenter colatur, neque corpus nostrum est validum et robustum nisi labore et exercitio firmetur, neque abundat pecunia nisi qui pecoribus alendis magnam curam gerit; ita nemo fideles amicos nanciscitur nisi qui eos praevenit beneficiis, neque a republica honoratur nisi qui pro ea multum laboravit [2].

Huc accedunt *Gorgias,* qui metaphorice loquitur de negotiis pallidis atque cruentis, utpote turpiter seminatis et infeliciter messis [3]; *Alcidamas,* qui Philosophiam vocat legum propugnaculum, et Odysseam pulchrum humanae vitae speculum [4]; et ipse *Pericles,* Protagorae amicissimus, edixit iuventutem quae in bello perierat, e civitate sublatam perinde esse ac si ver ex anno tolleretur [5]. Quae quidem metaphora, Aristotele iudice, est vera quaedam analogia, quia praecise fit κατ'ἀναλογίαν [6]: nam iuventus se habet ad urbem atheniensem sicut ver ad anni circulum.

67. Praesertim vero excellit *Socrates* in analogiis moralibus et psychologicis adhibendis contra ipsos sophistas.

Potius quam in res exteriores debet homo in seipsum convertere mentem suam, ut se vere cognoscat, iuxta effatum illud in fronte templi Apollinis scriptum: γνῶθι σεαυτόν. In hac enim cognitione stat vera sapientia. Est autem homo moraliter id quod est virtute. Oportet ergo ut se cognoscat secundum virtutem suam, et secundum

---

[1] Diels, 87B, 49, t. II, pp. 357-360.
[2] XENOPHON, *Memorabilia,* lib. II, cap. 1, n. 28 (Diels, 84B, 2, t. II, p. 314, 19-32).
[3] ARISTOTELES, *III Rhetor.,* cap. 3, n. 4 (I, 389, 40-42).
[4] *Ibid.* (I, 389, 43-44).
[5] ARISTOTELES, *I Rhetor.,* cap. 7, n. 34 (I, 328, 3-5); *III Rhetor.,* cap. 10, n. 7 (I, 396, 35-38).
[6] *III Rhetor.,* cap. 10, n. 7 (I, 396, 35).

illam animae partem qua capax est virtutis, idest seci dum mentem.

Quo fit, ut effatum illud se habeat ad hominem si(se haberet ad oculum hoc aliud simile dictum: vide te sum, ἰδὲ σεαυτόν. Et sicut oculus videret seipsum in ir gine relucentem in speculo, non tamen quamcumque e: partem inspiciendo, sed pupillam et aciem suam: ita] mo seipsum cognoscit inspiciendo imaginem suam in] mine virtuoso, et quidem secundum aciem et vigor(mentis, qua virtutis est capax [1].

Nec sufficit cognoscere nomen et cognomen suu sicut emptori alicuius equi non satis est nomen eius p spectum habere, sed oportet ut cognoscat robur et hab tates ipsius. Sicut igitur prudens equi emptor exam subiicit ipsum, ut videat quid possit, quid valeat, an vi licet sit tractabilis vel indomitus, robustus an debi celes aut tardus: ita sapiens homo debet seipsum accur: examinare, ut videat quid possit et valeat ad virtut(sive ad vitam honestam [2].

Haec autem vita honesta pleneque humana consis in assiduo et accurato exercitio omnium virtutum hur narum, puta prudentiae, iustitiae, fortitudinis et tem rantiae. Quaē quidem, licet plures sint, sunt tamen in se connexae et maxime actuosae: sicut facultates anir quibus correspondent [3], et sicut examen apum quit assimilantur in favo mellis bonorum operum elal rando [4].

Praesertim vero iustitia et iniustitia se habent ad a mam sicut sanitas et aegritudo ad corpus. Et ideo, qu(ad modum in procuranda salute corporis contra ei imbecillitates et aegritudines sequi debemus iudicium r dicorum, non vulgi ignorantis; ita in animae salute p curanda contra vitia eius et iniustitias sequi deben

---

1 Plato, *Alcibiades* I, 132-133, ed. cit., t. I, pp. 488-489.

2 Xenophon, *Memorabilia*, lib. 4, cap. 2, nn. 24-25, ed. F. Di Parisiis, 1871, p. 593.

3 Plato, *Protagoras*, 329-330, ed. cit., t. I, pp. 246-247.

4 Plato, *Meno*, 72-75, ed. cit., t. I, pp. 443-446.

iudicium sapientium sive virtuosorum, non autem opinionem vulgi ignari et depravati [1].

Et quidem sicut initium sanationis corporalis est purgatio mali et expulsio morbi, ita initium sapientiae animi est purgatio ignorantiae et expulsio erroris [2].

Qua in arte sanandi animos eminebat Socrates, duplici veluti passu procedens, scilicet ironia, qua errorem excludebat, et maieutica, qua veritatem inducebat. Latet enim sapientia et veritas in mentibus hominum sub rubigine praeiudiciorum et errorum, sicut latet infans in utero matris. Socrates autem, qui filius fuit Phoenaretae obstetricis, comparat se matri suae in methodo detegendi veritatem. Sicut enim obstetrix non generat puerum, sed collaborat ut puer genitus in lucem emittatur; ita Socrates dicebat se non esse genitorem scientiae in mentibus discipulorum, sed eductorem tantum scientiae in eis latentis, ope interrogationum, quasi eorum obstetricem [3].

Equidem virtus et sapientia plurimum dependent ex doctrina et educatione, maxime tamen ex ipsius naturae dispositione atque habilitate. Sicut enim fortitudo corporis maxime pendet ex naturae vigore, licet arte et exercitio perficiatur et compleatur; ita animi fortitudo ex propria eius indole maxime dependet, quamvis educatione atque doctrina compleatur ac perficiatur [4].

Semper tamen oportet peritis et sapientibus primas partes tribuere, maxime in reipublicae gubernatione. Quem ad modum enim ad pugnandum in ludis olympicis non sorte designantur athletae sed arte, neque ad navim ducendam sorte praeficitur gubernator sed arte atque peritia; ita ad rempublicam dirigendam non sunt magistratus sorte designandi, sed peritia et sapientia. Quam analogiam Aristoteles vocat parabolam socraticam [5].

---

1 PLATO, *Crito*, 47de, ed. cit., t. I, pp. 37-38.

2 PLATO, *Sophista*, 230 de, ed. cit., t. I, p. 173, 36-55.

3 PLATO, *Theaetetus*, 149-151, ed. cit., t. I, pp. 114-116.

4 XENOPHON, *Memorabilia*, lib., 3, cap. 9, n. 1, ed. cit., p. 579.

5 ARISTOTELES, *II Rhetor.*, cap. 20, n. 4 (I, 370, 17-22). Cf. XENOPHON, *Memorabilia*, lib. 3, cap. 9, nn. 10-15, ed. cit., pp. 580-581.

Ceterum, anima se habet ad corpus sicut Deus ad mundum universum, cuius providentia de rebus omnibus similis est curae quam anima habet de omnibus membris corporis [1].

68. Socratem quadantenus imitati sunt socratici minores, qui dicuntur. Ita *Antisthenes* docet rerum definitiones non esse directe quaerendas, sed ex comparatione sive analogia cum aliis rebus similibus, quia ipsae rerum essentiae nobis imperviae sunt: verbi gratia, si a nobis exquiratur quid est argentum, nescimus respondere directa definitione; possumus tamen describere dicendo ipsum esse quasi vel sicut stamnum, οἷον κατίττερος, idest simil quid vel analogum stamno [2].

Ideo ipse per similitudines sive analogias procedeba Invidi ferro comparantur: quia sicut ferrum propria ru bigine, ita invidi propria amaritudine consumuntur [3]. S cut prandium sine colloquio, ita divitiae sine virtute neutrum est vere gratum et delectabile [4]. Sola electioi non fiunt periti magistratus, sicut sola declaratione asi non convertuntur in equos. Quapropter, cum atheniens viros omnino ineptos in magistratus elexissent, eis dixi se fertur: asinos declarate equos [5]. Et cum ex eo peti sent quomodo ad rempublicam esset accedendum, respo dit: sicut ad ignem, idest nec nimis prope, ne combu rentur, neque nimis procul, ne frigescerent [6].

69. *Aristippus* vitam nostram affectivam compa mari. Sicut enim triplex est status maris: unus proce

---

[1] Ed. Zeller, *Die Philosophie der Griechen*, II P., 1, Sokrates-Pl versio gallica M. Belot, pp. 162-163, Paris 1844, qui provocat ad *Me rabilia*, lib. 1, cap. 4, nn. 8, 17-19. Cf. PLATO, *Philaebus*, 29-30, ed. t. I, pp. 409-410; TULLIUS CICERO, *De natura deorum*, lib. 3, cap. 11, cit., t. II, p. 623.

[2] ARISTOTELES, *VII Metaph.*, cap. 3, n. 6 (II, 560, 45-50).

[3] DIOGENES LAERTIUS, *op. cit.*, lib. 6, cap. 1, n. 5, p. 135, 10-11.

[4] STOBAEUS, *Florilegium*, I, 30, apud F. Mullach, op. cit., t. p. 289a.

[5] DIOGENES LAERTIUS, *op. cit.*, lib. 6, cap. 1, n. 8, p. 135, 37-39.

[6] STOBAEUS, *op. cit.*, XLV, 28, apud Mullach, t. II, p. 290a.

agitatus, alius secundo ventu leniter motus, tertius omnino quietus et tranquillus: ita anima nostra triplicem induere potest conditionem, scilicet agitationis violentae, quae proportionalis est mari procelloso, et vocatur dolor; suavis placidaeque commotionis, quae appellatur laetitia, et respondet aequori suaviter moto secundo ventu; et indifferentiae, quia scilicet nec dolemus neque laetamur, quae quidem conditio similis est mari tranquillo [1].

Interrogatus autem quo differant docti ab indoctis, respondit: quo differunt equi domiti ab indomitis [2]. Lectio vero est quasi nutrimentum sapientiae vel doctrinae, et ideo comparatur manducationi. Sicut ergo non plus valent qui multa edunt sine delectu, sed qui utilia et aptata, eaque digesta et assimilata: ita non plus sapiunt qui multa legunt sine delectu et sine intellectu, sed qui utilia et proportionata, eaque plene digesta et intellectu percepta [3].

70. Qui recta docent, sed non faciunt —ait *Diogenes Sinopensis*—, assimilantur citharis, quae pulchros sonos emittunt, sed eos non audiunt neque sentiunt [4]. Oportet ergo doctrinam moribus confirmare et operum exercitio. Sicut enim artifices et opifices iterato exercitio habiliores redduntur, utputa athletae in currendo et tibicines in sonando; ita in disciplina animi meliores sunt et magis virtuosi qui continuo exercitio sanam doctrinam in praxim deducunt [5].

Avari sunt sicut hydropici. Quem ad modum enim hydropici eo magis sitiunt quo plus bibunt, ita avari eo magis pecuniam desiderant quo plus habent [6]. Homo dives, sed indoctus, est sicut pecus aureo vellere tectum [7].

---

1 EUSEBIUS PAMPHILUS, *Praeparatio Evangelica, lib.* 14, cap. 18. MG. 21, 1257.

2 DIOGENES LAERTIUS, *op. cit.*, lib. 2, cap. 8, n. 69, p. 49, 49-51.

3 *Ibid.*, n. 71, p. 50, 17-20.

4 DIOGENES LAERTIUS, *op. cit.*, lib. 6, cap., 2, n. 64, p. 148, 14-15.

5 *Ibid.*, nn. 70-71, p. 149, 24-45.

6 STOBAEUS, *Florilegium*, X, 46, apud Mullach, *Diogenis fragmenta*, n. 27, op. cit., t. II, p. 302a.

7 DIOGENES LAERTIUS, *op. cit.*, lib. 6, cap. 2, n. 47, p. 144, 10-11.

Eiusque discipulus *Crates* thebanus hominem com rabat malo punico: quia sicut nullum est malum punici quod non habeat aliquem granum putridum, ita null est homo qui non habeat aliquem defectum [1].

71. At vero philosophi praesocratici non solum m tiplicem usum analogiae, etiam explicativae, adhibueru verum etiam problemata fundamentalia totius philo phiae excitarunt, puta esse et fieri, unius et multiplic veri et falsi, boni et mali; quae vulgo dici solent prob ma cosmologicum (fieri et esse), ontologicum (unius multiplicis), logicum (veri et falsi) et morale (boni mali): et in quibus analogia profundior detegi debet.

Problema cosmologicum, quod respicit naturam hui mundi adspectabilis sive ens nobile, circa esse et fi versatur, maxime vero circa fieri. Illud rimati sunt ioni culmenque attigit in Heraclito ephesino. Omnia et s gula fluunt incessanter et moventur, ita ut nihil unqu maneat: πάντα ρεῖ, οὐδὲν μένει; sicut tota aqua fluminis singulae eius guttulae semper fluunt et discurrunt, q ulla vel ad instans permaneat. Unde impossibile est l in idem flumen descendere: immo nec semel, quia sin cum motu descensus transeunt aquae. Omnia ergo su purum fieri sive moveri, ipsae nempe res sensibiles nosmetipsi.

Hic tamen motus et continua revolutio de contra in contrarium et de opposito in oppositum est ipsan ratio (λόγος) sive natura omnium, ratio nempe divina u et unica, simulque immanens omnibus et singulis, q harmoniam et fecunditatem per discordiam et identi tem contrariorum in ipso fieri et moveri provocat explicat: πόλεμος πατὴρ πάντων.

Esse ergo rerum omnium est ipsum earum fieri moveri, sicut earum unitas et harmonia est earumd multiplicitas et discordia. Contradictio est lex supre realitatis et cogitationis: ipsa constituit veram sapienti sive philosophiam.

---

[1] DIOGENES LAERTIUS, *op. cit.*, lib. 6, cap. 5, n. 89, p. 154, 27,2

Huiusmodi doctrina reapse in purum putumque nominalismum et aequivocationem resolvitur, quia ludit verbis, et nonnisi nomina manent sub sensu penitus disparato, immo et opposito. Ideo *Cratylus*, vestigia premens Heracliti; nec ipsa verba proferre volebat, quia res fluunt et mutantur antequam phrasis concludatur, ac proin digitum tantum movebat [1]. Eodemque iure Sophistae, qui ab Heraclito dependent. Cum ergo ens sit revera multiplex et nonnisi apparenter et nomine tenus unum, nullum adest locum pro analogia, sed omnia involvuntur aequivocatione pura.

Eleatici ex adverso, denegato prorsus omni motu et fieri, quod ad purum nomen reducunt [2], ad solum ens et esse se converterunt, quod problema ontologicum constituit.

72. Et quidem *Xenophanes* totum universum, quod conspicimus, dixit esse Unum ens ingenerabile et incorruptibile, quod appellat Deum [3]. Ingenerabile quidem; quia si genitum esset, aliquando non fuit. Quod si semel nihil fuit, numquam erit aliquid, quandoquidem ex nihilo nihil fit: neque quidquam generare potest quod nihil est. Incorruptibile etiam; quia quod ortum non habet, nec interitum habere potest [4].

Excludendus est ergo ac deridendus polytheismus popularis et anthropomorphicus, quem recolunt Hesiodus et Homerus, cum revera impius sit et absurdus. Absurdum enim et impium est dicere deos nasci et interire: quia quod nascitur, aliquando non fuit; quod vero moritur, aliquando non erit [5]. Quapropter nulla est simili-

---

1 ARISTOTELES, *III Metaph.*, cap. 5, n. 12 (II, 510, 14-15).

2 Τῶι πάντ' ὄνομα ἔσται (PARMENIDES: Diels, 28B, 8, 37, t. I, p. 238, 7).

3 ARISTOTELES, *I Metaph.*, cap. 5, n. 10 (II, 476, 32-35. Diels, 21A, 30, t. I, p. 121, 15-18).

4 PLUTARCHUS, *Stromata*, § 4, n. 1, ed. cit., t. V, pp. 15-16; vel apud EUSEBIUM PAMPHILUM, *Praep. Evang.*, lib. 1, cap. 8. MG. 21, 57 (Diels, 21A, 32, t. I, p. 122, 15-28).

5 ARISTOTELES, *II Rhetor.*, cap. 23, n. 18 (I, 378, 42-44. Diels, 21A, 12, t. I, p. 115, 5-8).

tudo inter verum Deum et homines, sive corpus sive cogitationem respicias [1]. Ipse unus Deus potentissimus et optimus, totus videt, totus audit, totus cogitat, vique suae mentis omnia sine defatigatione gubernat [2].

Vulgus ex adverso credit esse plures deos, eosque similes sibi facit in ortu et interitu, in vitiis, in figura et in colore corporis. Sic aethiopes repraesentant deos suos nigros et simos; thracii autem, cum oculis ceruleis et capillis flavis. Quod si boves, equi et leones haberent manus quibus deos suos depingere possent, eos certe boves bobus similes fingerent, equi equis et leonibus leones [3].

73. Praesertim vero monismum et immobilismum absolutum tradidit *Parmenides*, cuius doctrina e diametro opponitur doctrinae Heracliti. Sensibus si credas, entia sunt plurima et incessanti motui obnoxia, ut asserebat Heraclitus. Hoc tamen sensuum testimonium fallax est, quia sensus non attingunt veritatem ipsam, sed meris apparentiis clauduntur, quae opinamentis ansam praebent: πρὸς δόξαν. Omnia quaecumque homines dicunt de ortu et interitu, de esse et non esse, de motu et mutatione, ad pura nomina reducuntur, absque ullo fundamento in re: τῷι πάντ' ὄνομα ἔσται [4].

Soli ergo rationi fidendum est, quae ipsum ens secundum veritatem attingit: πρὸς τὴν ἀλεθείαν, cum mens sit facultas entis. Porro lex fundamentalis totius cogitationis et totius realitatis est principium contradictionis: ens est, non ens non est; nequit ens esse non ens, neque non ens esse ens. Ac proin idem sunt cogitare e

---

[1] CLEMENS ALEXANDRINUS, *Stromata*, lib. 5, cap. 14. MG. 9, 165 (Diels, 21B, 23, t. I, p 135, 4-5).
[2] SEXTUS EMPIRICUS, *Adversus mathematicos*, IX, 144; SIMPLICII *Physic*. 23, 19 (Diels, 21B, 24-25, p. 135, 6-9).
[3] SEXTUS EMPIRICUS et CLEMENS ALEXANDRINUS, apud Diels, 21 11-16,, t. I, pp. 132-133.
[4] SIMPLICIUS, *Physic*., apud Diels, 28B, 8, 38-42, t. I, p. 238, 7-10.

esse: τὸ γὰρ αὐτὸ νοεῖν τε καὶ εἶναι [1]; neque mens valet cogitare non esse [2].

Consequenter non datur revera nisi unum ens et immobile. Unum quidem et unicum, seclusa omni diversitate et multiplicitate. Quia, ut argumentatur Parmenides, «quidquid est praeter ens est non ens: sed quod est non ens est nihil; ergo quidquid est praeter ens est nihil. Sed ens est unum; ergo quidquid est praeter unum est nihil. Ergo est tantum unum ens» [3].

Ac revera, si plura et diversa entia darentur, oporteret ea differre aliqua differentia. Aut ergo talis differentia esset ens, aut praeter ens. Si primum, non differret ab ente distinguendo, quia ens ut ens non differt ab ente, sed est idem cum illo. Sin alterum, talis differentia esset nihil, quia quod est praeter ens est nihil: nihil autem non potest esse differentia, quia est praecise differentia nulla, idest negatio vel exclusio differentiae.

Uno verbo, ut ait S. Thomas exponendo mentem Parmenidis, «non potest intelligi quod ad rationem entis aliquid superveniat per quod diversificetur: quia illud quod supervenit enti, oportet esse extraneum ab ente. Quod autem est huiusmodi, est nihil. Unde non videtur quod possit diversificare ens» [4].

Immobile etiam prorsus, «quia non haberet a quo moveretur, nec haberet extra se quo moveretur» [5]. Omnis enim motus est ab aliquo per aliquid in aliquid: nihil autem est praeter ens a quo vel ad quod vel per quod moveretur, quia extra ens nihil est. Ideo Parmenides, qui ens cum corpore identificabat, totum mundum dicebat esse unum corpus omnia replens perfectaque figura sphaerica praeditum, ac proin omne vacuum excludens; quia

---

1 Clemens Alexandrinus, *Stromata*, lib. 6, cap. 2. MG. 9, 237 (Diels 28B, 3, t. I, p. 231, 23. Cf. *ibid.*, 8, 34-36, p. 238, 3-5).

2 Aristoteles, *XIII Metaph.*, cap. 2, n. 4 (II, 630, 49).

3 S. Thomas, *In I Physic.*, lect. 6, n. 2; *in I Metaph.*, lect. 9, n. 138. Cf. Aristoteles, *I Metaph.*, cap. 5, n. 11 (II, 476, 38-41).

4 S. Thomas, *In I Metaph.*, lect. 9, n. 138.

5 S. Thomas, *In I Physic.*, lect. 6, n. 2.

idem est vacuum ac non corpus, idest non ens sive nihil. Impossibile est ergo cogitare tale corpus moveri[1].

Ex quo illud etiam consequitur, nullo modo dari posse *fieri* rerum; quia omne *fieri*, motum quemdam necessario involvit. Fieri ergo est purum nomen vacuum et inane, omni sensu carens[2].

Quod insuper hoc argumento declaratur: omne quod fit, aut iam erat antequam fieret, aut non erat. Si primum, revera non fit: quia quod iam est, non fit. Sin alterum, fieret ex non ente, idest ex nihilo: quod est impossibile, quia ex non ente non fit ens, sicut ex nihilo nihil fit[3].

74. Non datur ergo nisi unum ens vel esse, secluso omni fieri vel moveri. Quam conclusionem defenderunt eius discipuli *Zeno* et *Melissus* contra negantes vel repugnantes.

Hoc autem semel concesso, nulla est possibilis affirmatio vel negatio nisi mere tautologica. Nam, si praedicatum aliquid addit subiecto vel ab eo subtrahit, eo ipsc ab eo distinguitur, ideoque multiplicitas inducitur. Ne ergo huiusmodi absurditas contingeret, *Lycophron*, assecla Parmenidis, removebat copulam *est* ab enuntiationibus, ita ut v. gr. non diceretur homo est albus, sed simpliciter homo albus[4]. Quia vero suppressio verbi imperfectam relinquebat orationem, ideo alii addebant verbum quin tamen ponerent copulam *est*, ut dicatur exempli gratia homo albescit vel homo ambulat, non autem homo est albus vel homo est ambulans[5].

Patet autem in huiusmodi doctrina nullam dari posse analogiam, quia omnia reducerentur ad unum ens, non solum univocum sed et unicum prorsus, ac proin neque univocatio proprie dicta dari posset. Univoca enim sive universalia supponunt multa actu vel potentia de quibu

---

1 SIMPLICIUS, *Physic.*, apud Diels, 28B, 8, 22-49, t. I, p. 237-239.
2 *Ibid.*, p. 238, 7.
3 *Ibid.*, 28B, 8, 1-41, pp. 235-238.
4 ARISTOTELES, *I Physic.*, cap. 2, n. 15 (II, 250, 22-23).
5 ARISTOTELES, *ibid.* (II, 250, 23-26).

praedicari possent, cum universale definiatur: unum aptum inesse multis ac de illis praedicari.

75. Unde et *Euclides* megarensis, qui doctrinam Parmenidis admittebat [1], omnem usum analogiae excludebat, eiusque valorem penitus denegabat. Aut enim, inquit, analogia sive comparatio fit per similia, aut per dissimilia, Si ex similibus, melius est rem in seipsa directe respicere quam in umbra vel in speculo similitudinum; sin autem ex dissimilibus, nihil probat, immo ad oppositum ducit, atque ideo inutilis est. Omnis ergo argumentatio ex analogia aut vana est aut falsa [2]. Haec ergo doctrina univocitatem, vel potius unicitatem entis defendit.

Addit autem Aristoteles duas hasce positiones extremas Heracliti et Parmenidis coincidere in destruendo problemate logico et morali. Nam si omnia sunt unum idemque, ac prorsus synonyma ut tunica et indumentum, sicut dicebat Parmenides, tunc verum et fasum significant omnino idem, et similiter bonum et malum, prout revera opinabatur Heraclitus qui contraria et opposita identificabat in ipso moveri vel fieri [3].

Excitando tamen huiusmodi quaestiones fundamentales totius philosophiae, posterioribus ansam praebuerunt investigandi amplius et profundius ad eas radicitus solvendas.

76. Ita *Socrates* conatus est solvere et explicare problema logicum et morale contra sophistarum deviationes et aberrationes. Ope enim comparationum et analogiarum non solum sophistas ad silentium reducebat, verum etiam eo usque perveniebat, ut descriptiones vel definitiones virtutum et vitiorum inveniret, ac proin ad conceptus universales vereque solidos efformandos, qui principia erant ulteriorum conclusionum et applicationum, in qui-

---

1 ARISTOTELES, lib. 8, *De philosophia*, apud EUSEBIUM PAMPHILUM, *Praep. Evan.*, lib. 14, cap. 17. MG. 21, 1.244.

2 DIOGENES LAERTIUS, *op. cit.*, lib. 2, cap. 10, n. 107, p. 58, 23-27.

3 ARISTOTELES, *I Physic.*, cap. 2, n. 14 (II, 250, 12-19).

bus moralis scientia consistit. Cum autem virtutem cum scientia sive sapientia identificaret, eo ipso aequivalenter solvebat problema logicum: nam pro Socrate omne vitium vel peccatum est falsitas sive error, veritas autem et rectitudo est omnis virtus.

Verumtamen Socrates, non obstante usu fere continuo analogiae et comparationis, non videtur revera superasse univocismum sive genera et species virtutum et vitiorum. Problema vero unius et multiplicis solvere conatus est ex eadem radice universalium, quae unitatem formalem praeseferunt secundum exigentiam mentis simulque multiplicitatem materialem secundum postulationem sensuum, cum revera sint unum in multis et de multis, ut una humanitas in et de multis hominibus et una iustitia in et de multis iustis.

Alii vero plus minusve mechanicismo adhaerentes, ut Empedocles, Anaxagoras et Leucippus cum Democrito unitatem per aggregationem elementorum vel atomorum explicabant, diversitatem vero sive multiplicitatem per eorumdem disgregationem vel dissociationem. Non tamen admittebant veram transformationem per fieri sive per motum substantialem, sed meram aggregationem per motum accidentalem et mere localem in vacuo vel rarefacto. At vero problema de uno et multiplici, sicut et de esse et fieri, respiciebat maxime substantias vel essentias, non meram quantitatem vel locum, quae ad accidentalia et periferica reducuntur. Quamvis ergo omnes isti unitatem simul et multiplicitatem admitterent, itemque fieri et esse [1], non tamen revera solverunt problema ionicorum cum Heraclito et eleatorum cum Parmenide, quod multo erat profundius atque difficilius.

77. Huiusce ergo difficultatis et profunditatis plene conscius, *Plato* suscepit problema solvendum in tota sua amplitudine et sub omni respectu. In ipsum revera confluunt velut in mare omnes scholae praecedentes: io

[1] PLATO, *Sophista*, 242c-243e, ed. cit., t. I, p. 182, 42-54; ARISTOTE I *Physic.*, cap. 4, n. 1 (II, 252, 24-26).

corum, pythagoreorum, eleatorum, sophistarum, Socratis. Ideo mirum non est, si in eo inveniatur multiplex atque frequens usus analogiae, tum descriptivae more litteratorum —nam et Plato maximus erat litteratus—, cum explicativae more philosophorum. Ipsam vero profundiorem analogiam metaphysicam entis non videtur plene attigisse, sed adumbrasse tantum [1].

Expresse fatetur Plato se nomen analogiae a geometris accepisse [2], asseritque eam multum valere in humanis divinisque rebus [3]: tribus enim terminis datis vel cognitis, quartus detegitur ac determinatur ex proportione [4].

Sic investigationem definitionum metaphorice appellat venationem θήραν: quia sicut ad venationem animalium requiritur sagacitas et agilitas corporis, ita ad inventionem definitionum exposcitur sagacitas et agilitas mentis. Quod et ostendit in venatione definitionis sophistae per totum dialogum huius nominis, ubi per viam divisivam subtiliter et laboriose pervenit ad concludendam eius definitionem: sophista est qui secum disputantes in contradictionem deducit, qui ironicam imitationem sapientis exhibet, ac verborum praestigiis auditores decipit [5].

Disputationem vero, qua inquiritur an summum hominis bonum in voluptate vel in sapientia consistat, nominat concursum sive contentionem in agone inter sapientiam et voluptatem ad bravium beatitudinis sive summi boni consequendum. Nimirum, sicut in ludis olympicis gymnastae concurrunt magna contentione ad bravium obtinendum; ita in vita praesenti, quae est quasi ludus ad beatitudinem, affectus et actus hominis, puta voluptas et sapientia, magna contentione concurrunt ad summum bonum capessendum. Quam metaphoram longe lateque evolvit per totum Philebum.

---

[1] Usum analogiae metaphoricae apud Platonem recolit PETRUS LOUIS, *Les métaphores de Platon* (Paris 1945); analogiae vero philosophicae PAULUS GRENET, *Les origines de l'analogie philosophique dans les Dialogues de Platon* (Paris 1948).

[2] *Gorgias*, 465bc, t. I, p. 339, 28.

[3] *Gorgias*, 508ab, t. I, p. 372, 33-34.

[4] *Civitas*, 428ab, t. II, pp. 68-69.

[5] *Sophista*, 268d, t. I, p. 202, 38-44.

Corporales voluptates, cibi nempe et potus atque venereas, quibus homines vitiosi mancipantur, umbram appellat et simulacrum voluptatis, non veram atque realem voluptatem. Quemadmodum enim res sensibiles et corporales sunt veluti umbra et pictura quaedam rerum intelligibilium et spiritualium, quae vera sunt entia: ita voluptates corporales non sunt nisi umbra et pictura quaedam si comparentur cum spiritualibus et intelligibilibus, quae verae sunt voluptates [1].

Philosophus est sciendi cupidissimus. Et ideo sicut famelica animalia in frondes et fructus magno impetu feruntur, ita philosophi in libros et homines doctos [2].

Sophistarum disputationes certamen vocat sive pa laestram, quia sicut in corporali certamine homines con grediuntur armis materialibus, ita in certamine intelli gibili sophistae congrediebantur armis argumentorum

Mens est oculus animae [4] et splendor divinitatis [5], qui se habet ad animam sicut oculus ad corpus, ad Deur autem sicut splendor ad Solem. Quod fit, ut seipsum co noscere sit veluti oculum oculo inspicere [6].

Praesertim vero et absque metaphoris analogiam a hibet ad explicandas quaestiones cosmologicas, psych logicas, eticas et politicas.

Homo et mundus sensibilis universus proportionalit conveniunt, in quantum sicut homo corpore coalescit anima ita et mundus universus. Unde homo appellat μικροκοσμος, idest parvus mundus, cum sit veluti synth sis quaedam et summa totius universi mundi, qui μακ κοσμος audit [7].

---

1 *Civitas*, 586, t. II, p. 172, 31.
2 *Phaedrus*, 230de, t. I, p. 700, 34-46.
3 *Theaetetus*, 154c, t. I, p. 118, 40-47.
4 *Civitas*, 518cd, t. II, p. 126, 38-45.
5 *Alcibiades*, I, 133ac, t. I, pp. 488-489.
6 *Ibid.*, bc, p. 488, 14.
7 *Philebus*, 29-30, t. I, pp. 411-412; *Gorgias*, 508ab, t. I, p. 372, *Timaeus*, 30bc, t. II, p. 215.

Corpus autem nostrum quatuor constat elementis proportione combinatis, sicut et corpus mundanum, in quo ignis se habet ad aërem sicut aër ad aquam, et ut aër ad aquam ita aqua ad terram [1].

Anima similiter mundi in centro eius residet, sicut et anima nostra in centro corporis nostri sedem habet, idest in medulla [2]: et quidem a Deo utraque priusquam corpus correspondens, procedit [3]. Se habet autem utrobique anima ad corpus sicut movens ad motum [4].

Viget insuper analogia inter mundum caelestem et terram, tum quia singula astra sunt animata quemadmodum et terra, tum etiam quia sicut in terra dantur lapides et vegetalia terrestria ita et in corporibus caelestibus dantur corpora et vegetalia caelestia [5].

Terra autem dicitur mater, quia metalla se habent ad terram sicut pueri ad matrem et sicut cives ad patriam [6].

Omnia tamen et singula proportionaliter adunantur et temperantur, etiam inter fluxum et refluxum perpetuum eorum [7]: quae quidem proportio vinculum pulcherrimum est, quo rerum multiplicitas in unitatem quamdam reducitur [8], atque ex hac unitate in pluralitate resultat pulcherrimus ordo, ex quo nomen sumitur mundi sive κόσμου.

Moventur igitur corpora caelestia et terrestria, ideoque tempori subiiciuntur: dii e contra immoti permanent et in aeternitate vivunt. Quo fit, ut hi sint obiectum scientiae et veritatis, illa vero fidei et opinionis [9]. Quantum igitur dii mundum excedunt, tantum aeternitas tempus et veritas fidem exsuperant. Vel, ut verbis utar Tullii

---

1 *Timaeus*, 32, t. II, p. 206; *Philebus*, 29ab, t. I, pp. 411-412.
2 *Timaeus*, 73-74, pp. 235-236.
3 *Timaeus*, 34b, p. 207, 24-25.
4 *Timaeus*, 34c, p. 207, 24-30.
5 *Phaedo*, 110-111, t. I, p. 87.
6 *Civitas*, 414-415, t. II, pp. 60-61.
7 *Philebus*, 24-30, t. I, pp. 408-412.
8 *Timaeus*, 31c, t. II, p. 206, 10-11.
9 ὅτι περ πρὸς γένεσιν οὐσία, τοῦτο πρὸς πίστιν ἀλήθεια (*Timaeus*, 29c, t. , p. 204, 53-54).

Ciceronis latinitate donantis verba Platonis, «quantum ad id quod ortum est aeternitas valet, tantum ad fidem veritas»[1].

Ac revera proportio viget inter obiecta cognitionis et actus mentis circa ipsa, puta inter esse et scientiam, inter fieri et opinionem, atque inter non-esse et ignorantiam; nam scientia est de esse, opinio de fieri et ignorantia de non esse.

Consequenter, sicut se habent obiecta inter se, ita quoque se habent inter se actus mentis correspondentes; nimirum, sicut se habent inter se esse, fieri et non esse, ita se habent inter se scientia, opinio et ignorantia. Opinio nempe media est inter scientiam et ignorantiam, sicut fieri medium est inter esse et non esse[2].

Esse autem immobile est ac proprie intelligibile: fieri e contra mobile est atque sensibile sive visibile. Se habet ergo sensibile ad intelligibile sicut fieri ad esse et sicut verisimile sive opinabile ad verum sive scibile[3].

Rursus, sensibilia et mobilia sunt veluti umbrae et similitudines quaedam intelligibilium et immobilium, ita quidem ut se habeant ad intelligibilia et immobilia sicut umbrae et similitudines corporum in aqua vel in speculo reflexae se habent ad ipsa corpora[4].

78. Quo fit, ut sequens analogia sive correlatio statui possit:

---

[1] *Timaeus* seu de Universitate, cap. 3, ed. cit., t. III, p. 590.
[2] *Civitas*, 478-479, t. II, pp. 102-104.
[3] *Civitas*, 506-507, pp. 119-121.
[4] *Civitas*, 510-517, pp. 122-126; *Timaeus*, 29, t. II, p. 204.

Analogia sive correlatio

- I) ex parte obiecti...
  - A) visibile vel opinabile: τὸ ορατόν vel τὸ δοξαστὸν
    - a) imagines: εἰκόνες
      - 1) umbrae
      - 2) similitudines reflexae in aqua vel in crystallis
    - b) res ipsae visibiles vel sensibiles
  - B) intelligibile vel scibile: τὸ νοητόν
    - a) imagines: εἰκὸνες= res ipsae visibiles vel s e n s i b i l e s, quae sunt veluti..
      - 1) umbrae intelligibilium et
      - 2) similitudines eorum reflexae, quasi participationes vel imagines pallidae atque diminutae.
    - b) res ipsae intelligibiles: οὐσίαι
- II) ex parte subiecti.
  - A) opinio: δόξα' ὑποθέσις.
    - a) imaginum: εἰκασία = imaginatio, coniecturatio
    - b) rerum: πίστις = fides, persuasio, convictio.
  - B) scientia, dialectica: ἐπιστήμη
    - a) rerum sensibilium ut imagines et similitudines sunt intelligibilium: διάνοια = ratiocinatio sive discursus
    - b) rerum intelligibilium sive idearum: νὸησις = intelligentia sive intuitio.

79. Sicut ergo a spelunca, in qua umbrae et similitι dines reflexae corporum exteriorum depinguntur, exeu: tes, a simulacris ad res visibiles procedimus quasi a umbra ad plenam lucem Solis: ita a sensibilibus et co poralibus recedentes, ope dialecticae ad intelligibilia si idealia gressum facimus, quasi ab umbra ad lucem, ab una idea in aliam usque ad supremam et ma: mam quae est idea Boni. Se habet enim idea Boni ordine intelligibilium, sicut Sol iste corporeus in ordi: visibilium [1].

Quo in processu compositionis idearum assimilat homo puerulo litteras addiscenti, qui litteras compone do efformat syllabas, syllabas vero coniungendo ver effingit, et adunando verba totam legit periodum [2]. Atq sensibilia agunt in sensus stimulo et quasi frictione qı dam: sicut enim ex frictione duorum corporum scinti resultat, ita ex frictione sensibilis et sensus resultat s satio [3].

Itaque sicut grammatica est ars combinatoria ver rum, et musica ars combinatoria sonorum, ita dialect est ars idearum combinatoria [4].

Quod si humanum compositum respiciamus ex ani et corpore, anima se habet ad corpus ut sessor ad equι ut bugernator ad navim, ut musicus ad lyram et ut tex ad vestimentum [5].

Virtutes tamen animae et corporis proportione c veniunt, quatenus omnes consuetudine et exercitio pe ciuntur atque evolvuntur [6].

Et quidem sicut virtus corporis consistit in vigore sanitate eius, ita et virtus animae sita est in vigore sanitate partium ipsius. Sanitas autem corporis consi

---

1 *Civitas*, 507-509, t. II, pp. 119-122.
2 *Politicus*, 279, t. I, pp. 390-391.
3 *Theaetetus*, 156-157, t. I, pp. 119-120.
4 *Sophista*, 253ad, t. I, pp. 190-191.
5 *Phaedo*, 87-88, t. I, pp. 68-69; 85, p. 67.
6 *Civitas*, 518e, t. II, pp. 126-127.

in proportione et contemperatione quatuor humorum eius, qui vicissim respondent quatuor elementis; aegritudo vero in defectu et carentia talis proportionis. Ergo similiter sanitas animae consistit in debita proportione quatuor virtutum principalium eius, quae opus maxime est iustitiae; aegritudo vero sive vitiositas eius in carentia praedictae proportionis. Ideo, quod est sanitas et aegritudo ad corpus, id est iustitia et iniustitia ad animam [1].

Quod autem dicitur de bonitate et malitia sive de virtute et vitio individui, proportionaliter valet de virtute et vitio civitatis sive reipublicae: comparatur enim civitas ad individuum sicut littera maiuscula ad litteram minusculam [2]. Iam vero in anima sunt tres partes, scilicet ratio —νοῦς— quam perficit sapientia sive prudentia, concupiscilibis —ἐπιθυμία— quam regulat temperantia, et irascibilis —θυμός— quam moderatur fortitudo; atque in earum harmonia consistit iustitia. Ergo et in republica sive civitate dari debent tres portiones principales totidemque virtutes regulantes, harmonice combinatae per iustitiam, scilicet principantes sive gubernantes, bellatores et populares sive plebeii, ita quidem ut principantibus specialiter conveniat prudentia, bellantibus fortitudo, et populari multitudini temperantia [3].

Pariter, sicut se habet individuum ad individuum, ita se habet civitas ad civitatem. Ac proin, sicut individuum virtuosum amicabiliter convivit cum individuo virtuoso, ita civitas virtuosa cum civitate. Est autem optimum inter individua eiusdem domus vel civitatis pax et concordia, pessimum vero discordia. Ergo similiter pax inter diversas civitates est optimum, pessimum autem est bellum. Et sicut in individuo est pessimum quod appetitus concupiscibilis dominetur et non ratio, ita est pessimum in civitate quod multitudo popularis insurgat contra auctoritatem: esset enim tyrannia popularis sive demagogia [4].

---

[1] *Civitas*, 444, pp. 80-81.
[2] *Civitas*, 368de, pp. 29-30.
[3] *Civitas*, 427-429, pp. 68-70; 439-445, pp. 77-81.
[4] *Civitas*, 576ce, p. 165.

Contingit tamen virtutes et disciplinas simulare et sificare, sicut gymnastica fucatrice, medicina coquin rhetorica iudiciaria et sophistica nomothetica. Sicut fucatrix simulat veram pulchritudinem quam gyna producit, ita coquinaria simulat pharmaca quae med praeparat, et rhetorica fingit defensionem innocenti sophistica imitatur sapientiam [1].

Ceterum, sicut morbus corporis expellitur purgat ita morbus animae medetur castigatione [2]. Sunt a morbi animae affectiones eius deordinatae, quibus h quasi nervis sive funiculis huc illuc trahitur [3]. Et q vis nervi proprie dicantur de animalibus, per analo tamen dicuntur etiam de plantis [4].

Neque solum viget analogia inter diversas res h nas, itemque inter diversas res terrestres, verum inter humana et divina, atque inter terrestria et cael ita ut liceat nobis ea omnia in unitatem quamdam portionalem et relativam reducere, ac proin alia ex ascendendo vel descendendo cognoscere [5].

Exsistit enim societas quaedam et amicitia inte lum et terram, atque inter deos et homines [6]. Un quod homini terrestri est aër, diis hominibusque c tibus est aether [7]. Dii autem se habent ad mundum gubernator ad navim, sicut auriga ad currum, sicu ad exercitum, sicut medicus ad aegrotum, sicut ag ad hortum, sicut pastor ad gregem et sicut pat filium: quia erga mundum horum omnium officia cet, et quidem perfectiori ac eminentiori modo [8].

Hoc in usu multiplici analogiae, Plato, influxun sus Pythagoricorum, in quemdam mathematismun

---

1 *Gorgias*, 463bd, t. I, p. 339.
2 *Sophista*, 227-228, t. I, pp. 171-172.
3 *Leges*, 644e, t. II, p. 277, 45-47.
4 *Politicus*, 279e, t. I, p. 591, 49-50; 280, p. 592, 18.
5 *Timaeus*, 31c-32, t. II, p. 206.
6 *Gorgias*, 508a, t. I, p. 272, 25-31.
7 *Phaedo*, 111ab, t. I, p. 87.
8 *Leges*, 905-907, t. II, pp. 456-458; *Politicus*, 268-273, t. I, pp.

versalem declinavit, non tamen mere quantitativum, sed magna ex parte qualitativum sive formarum, cuius ope conatus est resolvere problema fundamentale philosophiae praesocraticae de uno et multiplici, ac de esse et fieri.

Ac revera per ideas, quae conceptibus universalibus Socratis quadantenus respondent, multitudinem rerum quae sensibus obversantur in quandam unitatem et uniformitatem reduxit: siquidem ideae sunt abstractae et universales. dum res sensibiles sunt concretae et singulares sive particulares; verbi gratia, homo per se, et hic vel ille homo, puta Socrates vel Cratyllus. Quo fit, ut idea universalis hominis comparetur ad homines singulares ut totum ad partes; quandoquidem illa continet *omnes* homines, dum homines singulares non complectuntur nisi *aliquos* tantum. Multitudo ergo rerum singularium quae sensibus obiiciuntur sunt veluti participationes, μέθεξις, idearum universalium et intelligibilium. Scilicet multiplicitas est veluti participatio vel fragmentatio quaedam unitatis.

At rursus idea ipsa non est una, sed multiplex, ut idea hominis, idea equi, idea animalis, idea corporis. Non tamen huiusmodi ideae sunt disparatae, sed coordinatae vel subordinatae pro maiori vel minori universalitate et perfectione. Maxima autem et omnium prima est idea Boni, quae finis est ceterarum et veluti regina omnium. Ac proin, ideae inferiores et minus universales sunt et ipsae quasi participationes quaedam superiorum magisque universalium, praesertim ideae summae maximeque perfectae Boni.

Simul tamen, quia ideae sunt principia et causa rerum sensibilium et particularium, itemque idea suprema Boni causa est et principium ceterarum idearum, dicendum est ideam Boni comparari ad ceteras inferiores, hasque ad singularia sensibilia, ut exemplar ad exemplatum sive ut rem ad imaginem et picturam eius, nimirum ut παράδειγμα ad εἰκών vel εἴδωλον. Porro imago vel simulacrum participat perfectionem exemplaris dimunute et per imitatio-

nem, μίμησιν, atque ideo unius eiusdemque exemplaris d possunt plures imagines et imitationes. Nihil ergo im dit quominus una eademque res una sit in seipsa, sim que multiplex participatione et imitatione.

Huiusmodi autem imitationes atque participatio non sunt totaliter non-entia, ut putavit Parmenides, non-entia relative tantum et secundum quid, scilicet comparationem ad ipsam ideam exemplarem quae pl est; at in suo ordine, nempe ut imagines et participa nes ideae exemplaris, vere exsistunt et vera sunt en

Consequenter, in ipso ente et uno, nempe in ipsa id datur quaedam multiplicitas per participationem et i tationem idearum inferiorum ab idea suprema Bo sicut et in ipsis sensibilibus singularibus datur quaed unitas, non solum respectu idearum universalium q participant et imitantur, atque ideo dicuntur quodam do ad unum et ab uno, verum etiam inter se, quate proportione quadam mutua omnia omnibus et sin singulis quodammodo conveniunt et commensuran

Licet ergo revera Plato non videatur transcendere versalitatem univocorum in sua doctrina de ideis, ne univocitatem mathematicorum in correlationibus si larium sensibilium inter se et idearum intelligibilium i se [1], adumbravit tamen analogiam tam ascendentem a ribus ad unum quam descendentem ab uno ad plu theoria de ideis, itemque analogiam horizontalem s larium ad singularia et universalium ad universalia mathematismo universali: qui duplex analogiae m postea, saeculis decurrentibus, appellatus est ana attributionis et analogia proportionalitatis.

Quodsi nondum plenam solutionem dedit proble de uno et multiplici, eo quod non penitus superavit sophiam parmenideam unius neque heracliteam

---

[1] Ideo S. Thomas mentem Platonis vere attigisse videtur, c ipso scribit: «ponebat enim ens esse genus et univoce dictum nibus secundum participationem primi entis» sive primae id *I Physic.*, lect. 7, n. 5).

plicis, fatendum est tamen ipsum contulisse plurimum ad veram solutionem inveniendam.

Pariter in solutione problematis de esse et fieri haud modicas habuit partes, per adinventionem termini medii inter esse et fieri, nimirum entis in potentia sive materiae vel subiecti, quod ipse appellat spatium, χώρα. Quod quidem describit tum negative, dicendo ipsum non esse terram, neque aërem, neque ignem, neque aquam, neque quidquam eorum quae ex his elementis generatur; tum positive, asserendo illud esse veluti matrem quae semen in se recipit et foetum portat, et receptaculum universale omnium rerum quae generantur: natura eius est esse omnium formarum expers, simulque omnium capax [1]. Explicatio quae parat et quodammodo innuit descriptionem aristoteleam materiae primae.

Sicut ergo datur medium quoddam inter unum et multiplex sive inter ideas et sensibilia, scilicet participatio et imitatio, vel potius participatio imitativa; ita datur etiam medium inter esse et fieri, nempe ens in potentia, idest subiectum et receptaculum omnium quae fiunt. Et ideo errabant eleatici non admittentes medium inter unum et multiplex neque inter esse et fieri.

Art. 1.- Investigatio definitionis Analogiae per viam inductivam.

80. Unquam fit transitus ab individuis ad speciem sive a singularibus ad universale nisi experimento, quo singularia noscuntur et colliguntur et comparantur, accedat abstractio intellectus agentis et possibilis [2]. Non ergo sufficit sola inductio ad universale constituendum, quia universale non est mera singularium collectio, sed omni-

---

[1] *Timaeus*, 48-53, t. II, pp. 217-229.

[2] Qua de re videri potest I. M. Ramírez, *De Philosophia in universum*, apud «La Ciencia Tomista», 26 (1922), pp. 338-348 [et in hac editione, *Opera omnia*, I, pp. 63-77].

no requiritur abstractio intellectus: et quidem totalis, quae dicitur, si agatur de universali univoco seu presse dicto; *formalis* insuper, si de universali analogo sive large sumpto fiat sermo.

Quia ergo analogia ipsa est analoga, id est universale vel potius *commune* analogum, non univocum, impossibile est eam intellectu percipere et verbo definire nisi inductioni iungatur abstractio totalis et formalis intellectus possibilis inquirentis eius definitionem: *totalis* quidem, quatenus est universale quoddam; *formalis* vero, quatenus hoc universale est *analogum* et quodammodo *transcendens*.

Quae cum ita sint, haec via, quam inductivam diximus, inquirendi definitionem analogiae est revera duplex: una, quae procedit ex singularibus significationibus *realibus* verbi ἀνάλογία collectis et ordinatis, accedente abstractione totali et formali; alia, quae procedit ex sola inspectione analogiae mathematicae, quae primo dicta est analogia, ac exinde, per meram abstractionem formalem, ascendit ad analogiam metaphysicam, cui primo et maxime, quoad rationem significatam per nomen, convenit analogia, ut sic fiat processus ab inferiori ad superius analogatum secundum puram methodum analogicam, quae est via eminentiae et remotionis.

Uterque processus est simul inductivus et abstractivus, diverso tamen gradu: nam primus est magis inductivus quam abstractivus; secundus vero, ex adverso, est magis abstractivus quam inductivus. Et inde est quod ille est magis sensibilis nobisque facilior. Ab eo igitur exordium ducimus.

§ I

PRIMA INVESTIGATIO PER INDUCTIONEM PRESSE DICTAM

81. Diversae significationes *reales*, vel potius diversa *realia* significata, verbi ἀναλογία sunt veluti totidem singularia eius, quae ideo se habent ad notionem communem

et specificam analogiae ut individua ad speciem. Necesse est ergo has diversas *reales* significationes aut, si mavis, *res* significatas nomine ἀναλογία percurrere, examinare, colligere, comparare, ut videamus quodnam est *commune* omnium et *fundamentale* significatum: id enim erit veluti *specifica* significatio verbi huius, ideoque *res* significata per illud erit ipsa eius *species* vel *essentia.*

Atqui nomen ἀναλογία *reali* significatione adhibetur et in mathematicis cum puris tum applicatis, et in philologia, et in scientiis experimentalibus, et in iuridicis disciplinis, et in philosophia, et in exegesi, et in theologia sacra.

82. *In Mathematicis quidem puris,* ut sunt Arithmetica et Geometria, in quibus *primo* dictum est hoc nomen, prout constat ex supra dictis, maxime in Geometria, ad significandas proportiones commensurationis quantitatis continuae vel discretae. Unde et obiectum formale Mathematicae sunt huiusmodi proportiones, ut docet S. Thomas: «Ens enim mobile, inquit, est subiectum Philosophiae Naturalis..., et hoc idem corpus substantia est, cuius prima passio est quantitas quae, in quantum est terminus corporis et propria eius mensura, ad eamdem scientiam pertinet. Sed, *in quantum in eo potest proportio attendi* (quia considerari potest sine consideratione alicuius qualitatis sensibilis, quae consideratio posterior est, et ideo in *proportione* sua non est accipere finem), hoc idem *est subiectum Mathematicae*: cuius subiectum non est *realiter* accipere distinctum a subiecto Philosophiae Naturalis, sed *consideratione* tantum» [1].

83. *In Mathematicis etiam applicatis,* quibus quasi sponte extenditur, *secundo,* nomen proportionis vel analogiae, ut sunt Optica, Astronomia, Architectura, Mechanica, Dynamica, Musica, Poësis, aliae sexcentae; nimirum extenditur ad omnia quanta mensurabilia. Sunt enim

---

[1] S. THOMAS, *De natura generis,* cap. 18, Opuscula selecta, ed. de Maria, t. I, p. 328.

istae scientiae vel artes suo modo *subalternatae* Arithmeticae vel Geometriae, ideoque ab eis proprias rationes et principia recipunt, cum sint veluti *mediae* inter scientias mathematicas puras et puras scientias physicas: ab his accipientes id quod *materiale* est in ipsis, ab illis auem id quod est *formale*[1].

Ita, Optica «applicat ad lineam *visualem* ea quae demonstrantur in Geometria circa *lineam abstractam*», secundum rationes et proportiones easdem vel similes[2].

Astronomia «considerationem Geometriae et Arithmeticae applicat ad Caelum et partes eius» et motus mensurandos et numerandos[3]; quò facit celeberrima Newtonii lex: attractionis universalis lex est, ut corpora omnia sese attrahant in ratione directa massarum et duplicata inversa distantiarum.

Architectura applicat demonstrata in Geometria, Trigonometria, Stereometria ad aedes construendas[4] secundum partium Symmetriam, quae «est ex ipsius operis membris *conveniens consensus* ex partibusque separatis ad universae figurae speciem *ratae partis responsus*: *ut* in hominis corpore e cubitu, pede, palmo, digito ceterisque partibus Symmetria est, *sic* est in operum perfectionibus»[5]. Ut enim alio in loco scribit idem Vitruvius, «aedium compositio constat ex *symmetria*, cuius rationem diligentissime architecti tenere debent. Ea autem paritur a *proportione*, quae graece ἀναλογία dicitur. *Proportio* est *ratae partis* membrorum in omni opere totiusque *commodulatio*, ex qua ratio efficitur *symmetriarum*. Namque non potest aedes ulla sine *symmetria* atque *proportione*

---

1 «Quia in earum consideratione id quod est physici [=naturalis] est quasi materiale; quod autem mathematici, quasi formale» (S. Thomas, *In librum Boetii de Trinitate*, 5, 2 ad 6. Cf. etiam *In I Post.*, lect. 25, nn. 2-3).

2 S. Thomas, *In II Physicorum*, lect. 3, n. 8; *In I Post.*, lect. 25, n. 2; lect. 41, n. 3.

3 S. Thomas, *In II Physic.*, lect. 3, n. 8.

4 S. Thomas, *In I Post.*, lect. 25, n. 2.

5 Vitruvius, *De Architectura*, lib. 1, cap. 2, ed. cit., p. 17.

rationem habere compositionis, nisi *uti* ad hominis *bene figurati* membrorum habuerit exactam rationem»[1].

«Musica applicat ad sonos ea quae Arithmeticus considerat circa *priportiones* numerorum»[2]; considerat enim «Musica sonos, non in quantum sunt soni, sed in quantum sunt secundum numeros *proportionales*»[3] ad causandam melodiam: «nam Musica applicat numerum formalem, quem considerat Arithmeticus, ad materiam, id est ad sonos sensibiles»[4] ut harmonia et concentus et symphonia resultet, quae «est vox consonans et *proportionata*»[5], utpote causata «secundum *proportionem* vocis gravis et acutae»[6]: siquidem, «velocitas motus facit sonum acutum, tarditas autem motus facit sonum gravem; *determinata autem proportio secundum certos numeros acuti et gravis est causa harmoniae in sonis,* sicut *proportio* duarum ad unum facit diapason, *proportio* trium ad duo facit diapente, et sic de aliis»[7]: quae quidem consonantiae, cum sint *proportionatissimae,* eo ipso *sunt delectabilissimae*[8].

Poësis, quae et Ars *Metrica* ab antiquis dicebatur, applicat principia Chronometriae ad syllabarum pronuntiationem mensurandam ex qua elocutio rythmica et harmonica consurgat.

Revera ergo omnes istae scientiae vel artes totae sunt in rationibus et proportionibus inveniendis vel applican-

---

1 *Op. cit.,* lib. 3, cap. 1, pp. 101-102.
2 S. THOMAS, *In II Physicorum,* lect. 3, n. 8; *In librum Boetii de Trinitate,* 5, 1 ad 5; I, 1, 2.
3 *In librum Boetii de Trinitate,* 5, 2 ad 6.
4 *In I Post.,* lect. 25, nn. 2-3; lect. 41, n. 3. Qua de re, sicut et de Arte Metrica, videri potest S. Augustinus egregie disserens in suo opere *De Musica,* ML, 32, 1.081-1.194, quod nostris temporibus illustraverunt, inter alios, I. HURÉ, *Saint Augustin musicien* (Paris 1924); R. AMERIO, «Didascalia» 1929, fasc. 3, pp. 1-196; et W. HOFFMANN, *Philosophische Interpretation der Augustinusschrift De arte musica* (Marburg 1931). Plura etiam tradit BOETIUS in *De Musica,* ML. 63, 1.167-1.300.
5 *In III de Anima,* lect. 2, n. 597. Cf. *In lib. III,* lect. 24, n. 556.
6 *De sensu et sensato,* lect. 7, n. 101.
7 *In II de Caelo et Mundo,* lect. 14, n. 3.
8 *De sensu et sensato,* lect. 7, n. 101. Cf. lect. 18, n. 266.

dis suo modo materiis diversis ad instar scientiarum mathematicarum presse dictarum.

84. Pariter *in Philologia*, praesertim *comparata*, ubi similes flexiones diversarum linguarum eiusdem familiae pro singularum propria indole animadvertuntur: itemque in una eademque lingua, ut videre est in illa Grammaticae parte quae praecise dicitur *Analogia*; et tota fere est in *regulis* tradendis declinationum nominum et coniugationum verborum *similiter* procedentium, quae ob id *regularia* dicuntur. Qua de causa, definitur Analogia: «verborum similium declinatio similis» [1]; vel etiam: «ratio recta perseverans per integram declinationis disciplinam, ut puta hic Catilina, haec lupa, hoc scrinium et cetera talia; scilicet quoniam haec nomina sic per omnes casus secundum sua genera in declinatione perseverant, sic uti est Analogiae recta declinationis disciplina» [2]; aut denique: «ratio declinationis nominum, inter se omni parte similium» [3]. Eique opponunt ἀνωμαλίαν, quae *irregularitas*, si latinae linguae usus permitteret, apellari potest.

Quae Analogia servatur etiam in verborum formatione, compositione, derivatione. Ita, ut unum vel alterum exemplum producam in medium, formantur ex suffixo, *mentum*, huiusmodi verba: argu-mentum, adiu-mentum, atra-mentum, aug-mentum; delecta-mentum, detri-mentum; emolu-mentum, experi-mentum; incita-mentum, instru-mentum, impedi-mentum; iu-mentum, iura-mentum; operi-mentum, opina-mentum; monu-mentum, muni-mentum; nocu-mentum, nutri-mentum; sacra-mentum, segmentum; tor-mentum, vesti-mentum, alia sexcenta. Similiter haec ex suffixo *cinium*: lacti-cinium, latro-cinium, ratio-cinium, tiro-cinium, vati-cinium, alia plura.

---

1 TERENTIUS VARRO, *De lingua latina*, lib. 10, § 74, ed. cit., p. 260, 18-19.
2 PROBUS, *Instituta Artium*, ed. H. Keil, *Grammatici latini*, t. IV, p. 47, 23-27. Lipsiae 1864.
3 M. SEVERIUS HONORATUS, *Commentarius in Artem Donati*, editio H. Keil, tom. cit., p. 435.

Iure igitur Terentius Varro analogiam contra Aristarchum eiusque asseclas invicte defendit hisce verbis: «*si enim usquequaque non esset analogia, tum sequebatur ut in verbis quoque non esset; non, cum esset usquequaque, ut est, non esse in verbis.*

Quae enim est pars mundi quae non *innumerabiles* habeat *analogias?*: caelum, an mare, an terra, quae in his?

Nonne *in caelo ut* ab aequinoctiali circulo ad solstitialem et hinc ad septemtrionalem divisum, *sic* contra paribus partibus idem a bruma versum contraria parte?; non *quantum* polus superior abest [et abest et] a septentrionali circulo et is ad solstitium, *tantundem* abest inferior ab eo quem ἀνταρκτικὸν vocant astrologi et his ad brumalem?; non *quaemadmodum* quodque signum exortum hoc anno, [quod] quotquot annis *eodem modo* exoritur?; *num aliter* sol a bruma venit ad aequinoctium, ac contra, cum ad solstitium venit, ad aequinoctialem circulum et inde ad brumam?; nonne luna, *ut* ab sole discedit ad aquilonem et inde redit ad eamdem viam, *sic* inde fertur ad austrum et regreditur inde? Sed quid plura de astris, ubi difficilius reperitur quid sint aut fiat in motibus dissimiliter?

At *in mari*, credo, motus non habent *similitudines geminas*, qui in viginti quatuor horis lunaribus cotidie quater se mutant, ac cum sex horis aestus creverunt, totidem decreverunt, rursus idem, itemque ab his?: an hanc analogiam ad diem servant, ad mensem non item aliam, motus sic item cum habeant alios *inter se convenientes?*. De quibus in libro, quem *De aestuariis* feci, scripsi.

Non *in terra* in sationibus servata analogia? Nec *cuiusmodi* in praeterito tempore fructuum genera reddidit, *similia* in praesenti reddit?; et *cuiusmodi* tritico iacto reddidit segetes, *sic* ordeo sato *proportione* reddidit *parilis?;* non, *ut* Europa habet flumina, lacus, montes, campos: *sic* habet Asia?

Non *in volucribus* generatim servatur analogia? Non ex aquilis aquilae; atque, *ut* ex turdis qui procreantur turdi, *sic* ex reliquis sui cuiusque generis?

An aliter hoc fit quam in aëre, *in aqua?* Non hic conchae inter se generatim innumerabili numero *similes?*; non pisces?

An e murena fit lupus aut merula?; non bos ad bovem collatus, *similis*, et qui ex his progenerantur vituli? Etiam ubi dissimilis foetus, ut ex [asino et] equa mulus, tamen ibi analogia; quod ex quocumque asino et equa nascitur, id est mulus aut mula, *ut* ex equo et asina hinnulei.

Non sic ex viro et muliere omnis *similis* partus, quod pueri et puellae? Non horum *ita* inter se [non] *omnia* similia membra, *ut separatim* in *suo* utroque genere *similitudine* sint ea *paria?* Non omnes, cum sint ex anima et corpore, partes quoque horum *proportione similes?* Quid, ergo, cum omnes animae hominum sint divisae in octonas partes eae inter se non *proportione similes?*: quinque quibus sentimus, sexta qua cogitamus, septuma qua progeneramus, octava qua voces mittimus?

Igitur quoniam quae loquimur voce oratio est, hanc quoque necesse est natura habere analogias.

An non vides, *ut* graeci habeant eam quadripartitam, unam in qua sunt casus, alteram in qua sunt tempora, tertiam in qua neutrum, quartam in qua utrumque; *sic* nos habere? Ecquid verba nescis *ut* apud illos sint alia finita, alia non; *sic* utraque esse apud nos? Ecquidem non dubio quin animadverteris in ea innumerabilem similitudinum numerum, ut trium temporum verba, ut trium personarum.

Quis enim potest non una animadvertisse in omni oratione esse *ut* Legebam, Lego, Legam, *sic* Lego, Legis, Legit, cum haec eadem dicantur alias ut singula, alias ut plura significentur? Quis enim tam tardus qui illas quoque non animadverterit similitudines quibus utimur [in] imperando, quibus in optando, quibus in interrogando, quibus in infectis rebus, quibus imperfectis, sic in aliis discriminibus?

Quare *qui negant esse rationem analogiae, non vident naturam non solum orationem, sed et mundi*; qui autem

vident et sequi negant oportere, *pugnant contra naturam,* non contra analogiam; et pugnat volsillis, non gladio, cum pauca excepta verba ex pelago sermonis populi minus trita afferant, cum dicant propterea analogias non esse; *similiter ut* si quis viderit mutilum bovem aut luscum hominem claudicantemque equum, neget in [cornibus] bovum, hominum et equorum natura, *similitudines proportione constare*»[1].

85. Simili modo *in Scientiis experimentalibus,* quas vocant, ut videre est in Anatomia, in Biologia, in Physiologia, in Psychologia comparatis.

Ita Cuvier, vi analogiae seu correlationis proportionalis organorum animalium, ex uno osse fossili Paleotherii totum corpus eius restituit, et quidem vere, ut posterior adinventio totius scheletri eius comprobavit.

86. Praesertim vero considerantur in Biologia similitudines functionum organicarum: exempli gratia, trachia insecti, brachia piscis et pulmo mammiferi analogice conveniunt, propter functiones similes sive proportionales quas exercent in his diversis speciebus animalium, nempe functionem respirationis; item brachia hominis, alae vel pennae avium et axilae piscium; pariter manus hominis et proboscis elephantis quoad functionem prehensivam. Classicum est exemplum Aristotelis, qui os mammiferi et spinam piscis et nervum vermis analoga vocat[2]; «omnia enim ista conveniunt secundum proportionem, quia eodem modo se habent spinae ad pisces sicut ossa ad terrestria animalia» et nervi ad vermes[3].

Aliud pulchrum exemplum analogiae describit Gaspar Lucas Hidalgo hisce verbis: «Las hojas en los árboles, las plumas en las aves y los pelos y cabello en los hombres son *una mesma cosa proporcionalmente y cada cual*

---

1 TERENTIUS VARRO, *De lingua latina,* lib. 9, § 22-23, pp. 201-204.
2 ARISTOTELES, *II Post. Analyticorum,* cap. 13, n. 3, ed. cit., I, 167, 48-51.
3 S. THOMAS, in 1., lect. 17, n. 4.

en su tanto y respecto de su dueño; porque así como la hoja se le dio al árbol para defensa y ornato de sí mesmo, ansí la pluma es abrigo y hermosura en las aves, y el pelo y el cabello en los hombres y mujeres»[1].

Placet etiam exscribere S. Ambrosii elegantem descriptionem architecturae humani corporis, ad instar architecturae arcae Noë. «Sed iam, inquit, de ipsa Noe arca dicendum arbitror, quam si quis velit impensius considerare, inveniet in eius exaedificatione descriptam humani figuram corporis. Quid est enim quod ait Deus: fac tibi arcam de *quadratis* lignis (Gen. 6, 14)? *Quadratum* certe hoc appellamus *quod omnibus bene constat partibus et conveniat sibi.* Itaque et Deus Auctor nostri corporis naturaeque fabricator adstruitur, et opus ipsum perfectum esse his sermonibus significatur. *Quadrata* autem membra corporis esse, evidens ratio. Si consideres *pectus* hominis, consideres *ventrem, pari mensura* longitudinis et latitudinis, nisi cum voluptatibus et epulis ventre distento mensura naturalis exceditur. Iam *pedes* et *manus, brachia, femora* et *crura, quadripertita* quis non ipso visu advertat? Sunt autem pleraque eorum, etsi *non eiusdem* longitudinis aut latitudinis, tamen quae *analogiam quamdam* ita servent, ut in his quoque *congrua mensura ratioque* concurrat. Longitudo prolixior quam latitudo sit, latitudo quam altitudo; et *sicut* ligni arcae trina, si quidem trecentorum cubitorum longitudinem et quinquaginta cubitorum latitudinem et triginta cubitorum altitudinem servandam esse praescripsit, *ita* et in nostro corpore summa est et media et minima distantia: summa secundum longitudinem, media secundum latitudinem, minima secundum altitudinem, *totum* tamen corpus adtextum ex singulis membris *quadratum* videtur. Nam et *usu* ita est,

---

[1] Gaspar Lucas Hidalgo, *Diálogos de apacible entretenimiento,* diálogo tercero, cap. 2. Biblioteca de Autores españoles, ed. Rivadeneyra, t. 36, p. 306a. Madrid 1926.

ut eos *quadratos* dicamus quos nec enormes proceritate et validos robusti qualitate corporis aestimamus.

Quid etiam sibi velit quod ait: *nidos* facies in arca (Gen. 6, 14), nequaquam silendum videtur. Naturaliter enim dictum arbitror eo quod omne corpus nostrum adtextum est *sicut nidus*, ut spiritus vitalis omnes partes viscerum penetret atque de principali nostri fundat se per artus singulos. *Nidi* quidam sunt *oculi* nostri, quibus se visus inserit. *Nidi* sunt nostrarum *sinus aurium*, per quos se auditus infundit et velut in foveam altam deiicit. *Nidus* est *narium*, qui ad se odorem adtrahit. *Nidus* est quartus maior ceteris *hiatus oris*, in quo nutritur donec adolescat sapor et unde vox evolat, in quo latet lingua, quae velut organum vocis sonos eius Artifici suavitate modulatur et, cum sit ipsa inrationalis, rationabilem vocem exprimit. *Nidus* est *emicranium*; *nidus* est *membrana* illa quae cerebrum fovet et intra se cohibet. *Nidi* sunt viscera *pulmonis* et *cordis*. Spiritus quidem nostri, hoc est eius quem carpimus et quo alimur in hac vita, *nidus* est *pulmo*; sanguinis autem et spiritus *nidus* est *cor*: duo sunt enim eius uteri, unus quo sanguinem velut quodam sinu suscipit et transfundit in venas, alter quo rigatus ex illo superiore deducit in arterias iugi meatu. *Ossa* quoque validiora *nidos* habent; sunt enim intus cavata, in quibus foraminibus est medulla. In visceribus ipsis *mollioribus nidi* cupiditatis aut doloris sunt. Et alia si quis consideret, et plures *nidos* reperiet in hac fabrica humani corporis. Unde puto et illum in Psalmo non solum mystice, sed etiam naturaliter dixisse: etenim passer invenit sibi domum et turtur *nidum* sibi ubi reponat pullos suos (Psalm. 83, 4): est enim iam in hoc corpore *nidus* pudicitiae, in quo erat *nidus* inrationabilis concupiscentiae; sed ubi ante partus deformes nutriebat libido, ibi nunc decorae castitatis adolescit hereditas.

Inlinies, inquit, eam *bitumine* (Gen. 6, 14). Ex multis ossibus nervisque et ceteris aliis constat humanum corpus. Et foris igitur et intus *apta compage* connexum sibi adhaeret et habitudine propria, quam ἕξιν graeci dicunt,

tenetur, ut intus clausus spiritus qui infunditur vel spiritalis substantia quae intus operatur veluti geminis constricta vinculis non evagetur, sed ad *unitatem aptam et concinnentem connexionemque validam* cohibeatur. Ideo *bitumine* arca constringi iubetur; est enim *bitumen* vehementis ad constringendum naturae. Unde graece ἄσφαλτος dicitur ἀπὸ τῆς ἀσφαλείας, hoc est, *tutamine*, quod disiuncta connectat nexuque constringat indissolubili, ita ut naturali unitate sibi credas convenire. Ob hanc causam intus et foris *bitumine* arca constringitur, ne connexio illa facile rumpatur»[1].

Et idem dic *de aliis Scientiis Naturalibus*. Ita Franklin, ex analogia fulguris cum scintilla electrica, deduxit existentiam electricitatis atmosphaericae, eamque esse fulguris causam; Priestley, ex analogia quam observavit inter rubiginem sive ferraginem et effectus combustionis, conclusit omnem combustionem esse oxydationem quamdam; ex analogia, quam Physici observant, inter modum productionis et diffusionis soni, lucis, caloris, electricitatis, inferunt haec omnia reapse eadem esse vel saltem iisdem legibus regi: id, quod iam fere animadverterat Aristoteles[2]. Aliaque centena exempla facile adduci possent.

87. Quod si ad disciplinas *Iuridicas et Sociales* transeamus, idipsum videre licet. Ita, est regula universalis Iuris tam Civilis quam Ecclesiastici quod «*idem in similibus observandum* est»[3], «cum *de similibus idem* iudicium sit habendum»[4]. Et Codex Iuris Canonici norman generalem analogiae iuridicae novi Iuris statuit, dicens: «canones qui *ex parte* tantum cum *veteri* iure congruunt, *qua congruunt*, ex iure *antiquo* aestimandi sunt; *qua*

---

1 S. Ambrosius, *De Noe*, VI, 13-15, ed. Carolus Schenkl, CSL, vol. 32, pp. 421-424. Vindobonae 1896.

2 Aristoteles, *II Post. Analyticorum*, cap. 13, n. 4, II, 168, 1-6.

3 *Decretales Gregorii IX*, lib. I, tit. 3, cap. 4, ed. Coloniae Munatianae 1730, p. 11a.

4 *Op. cit.*, lib. I, tit. 7, cap. 2, p. 75a.

discrepant, sunt *ex sua ipsorum sententia* diiudicandi»[1]; ac saepe recolit formulam: *congrua congruis conferendo*, quae methodum analogiae praesefert.

In *Sociologia* tritum est loqui de *corpore* sociali per analogiam ad corpus physicum hominis viventis. Quam sequens analogiam S. Thomas eleganter scribit: «*sicut* vita in quolibet homine, *ita* pax in regno; et *sicut* sanitas nihil est nisi temperantia humorum, *sic* pax est cum unumquodque retinet ordinem suum. Et *sicut*, recedente sanitate, tendit homo ad interitum; *sic* de pace, si a regno discedit, tendit ad interitum. Unde ultimum quod attenditur est pax. Unde Philosophus: *sicut* medicus ad sanitatem, *sic* defensor reipublicae ad pacem»[2]. Et ideo, *sicut* ad solum medicum pertinet adscindere membrum putridum quod in periculum vergit salutis et vitae totius corporis, et quidem tunc solum quando ei commissa fuit cura salutis totius corporis, non autem ad particulares personas quascumque; *ita* ad solam auctoritatem supremam reipublicae, qua talem, pertinet sceleratos occidere ex iustitia, cum pacem et salutem totius reipublicae in discrimen vertunt, non autem privatis personis quibuscumque[3]. «*Sicut* se habet princeps ad civitatem, *ita* gubernatur ad navim»[4].

Item, «*sicut* se habet rector navis ad navem, *ita* rector civitatis ad civitatem, in hoc scilicet quod *uterque* eorum *non sorte sed arte* eligitur»[5]; *sicut* se habet athleta ad pugnam, *ita* dux exercitus ad bellum gerendum, quia nimirum uterque *peritus* esse debet in sua arte ideoque *non sorte* eligendus[6]; «*ut* hostis, *sic* malus civis», quia scilicet uterque *infensus* est reipublicae»[7].

---

[1] C.I.C., can. 6, 3.°.
[2] S. THOMAS, *In Evangelium secundum Matthaeum*, cap. 12, n. 2, ed. Marietti, p. 170a
[3] II-II, 64, 3c.
[4] *De Verit.*, 23, 6 ad 9.
[5] S. ALBERTUS MAGNUS, *In V Ethicorum*, tract. 2, cap. 5, ed. cit., t. 7, p. 345.
[6] ARISTOTELES, *II Rhetoricorum*, cap. 20, n. 4 ,I, 370, 17-22.
[7] QUINTILLIANUS, *Inst. Orat.*, lib. V, cap. 11, n. 34, ed. cit., t. II, p. 301.

88. Tandem simile contingit in sublimioribus disciplinis *Philosophicis et Theologicis*. Exempli causa, in *Logica* dicimus: *ita* se habet differentia ad genus, *sicut* forma ad materiam, quia *sicut* forma *determinat* materiam *ita* differentia *determinat* genus; et sicut forma est in potentia materiae ita differentia est in potentia generis, iuxta illud S. Thomae: «differentiae sunt in genere secundum proportionem qua formae sunt in materia»[1]. Similiter, in praedicationibus *per se*, *sicut* se habet simpliciter ad simpliciter *ita* se habet magis ad magis et minus ad minus, ideoque maxime ad maxime et minime ad minime[2]; consequenter, «si calidum [per se] calefacit, magis calidum magis calefacit et maxime calidum maxime calefacit» et minus calidum minus calefacit[3]. Rursus, *ita* se habent praemissae demonstrationis ad conclusionem demonstratam *sicut* causa per se ad effectum per se, quia revera praemissae sunt causa efficiens propria et per se conclusionis; et similiter *ita* se habent praemissa maior et praemissa minor in causanda cognitione conclusionis *sicut* se habent duae causae efficientes per se subordinatae in producendo unum eumdemque effectum, quia reapse praemissa minor non causat cognitionem conclusionis nisi subsumatur a maiori et per se subordinetur illi. Denique, ne plura consecter, *ita* se habet syllogismus dialecticus ad opinionem generandam *sicut* syllogismus apodicticus ad scientiam, quia dialecticus syllogismus est propria causa opinionis sicut apodicticus est propria causa scientiae.

89. Pari modo, in *Cosmologia* materiam primam cognoscimus per analogiam ad materiam secundam, et formam substantialem per analogiam ad formam accidentalem, iuxta illud Aristotelis: ἡ δ'ὑποκειμένη φύσις ἐπιστητὴ κατ'ἀναλογίαν[4]. Et ideo dicimus: *sicut* se habet materia

---

[1] S. Thomas, *De Verit.*, q. 2, a. 4 ad 7.
[2] Aristoteles, *V Topicorum*, cap. 8, nn. 3-4, I, 233, 10-24.
[3] S. Thomas, *III Contra Gentiles*, cap. 27, arg. 7.
[4] Aristoteles, *I Physicorum*, cap. 7, n. 16, II, 258, 23.

secunda sive accidentalis ad formam secundam seu accidentalem, v. gr. aes ad formam statuae et lignum ad formam lecti vel scamni; *ita* se habet materia prima sive substantialis ad formam primam seu **substantialem**, exempli causa, ad formam bovis aut equi. «Quod igitur *sic* se habet ad ipsas *substantias* naturales *sicut* se habet aes ad statuam et lignum ad lectum et quodlibet materiale et informe ad formam, hoc dicimus esse materiam primam»[1]. «*Sicut* autem omne quod est in potentia potest dici materia, *ita* omne a quo habet aliquid esse, quodcumque esse sit illud, sive substantiale sive accidentale, potest dici forma; sicut homo, cum sit potentia albus, fit per albedinem actu albus; et sperma, cum sit potentia homo, fit actu homo per animam. Et quia forma facit esse in actu, ideo dicitur quod forma est actus: quod autem facit esse actu substantiale, dicitur forma substantialis; et quod facit actu esse accidentale, dicitur forma accidentalis»[2]. Est enim «sciendum quod quaedam materia habet compositionem formae: sicut aes, cum sit materia respectu idoli [=statuae], ipsum tamen aes est compositum ex materia et forma; et ideo aes non dicitur materia prima, quia habet formam: illa autem materia quae intelligitur *sine qualibet forma et privatione*, dicitur materia *prima, propter quod ante ipsam non est materia alia*... Et quia omnis definitio et omnis cognitio est per formam, ideo materia *prima non* potest *per se* definiri nec cognosci, *sed per comparationem ad formam*, ut dicatur quod illud est materia prima quod *hoc modo* se habet ad *omnes* formas et privationes *sicut* aes ad idolum et infiguratum; et haec dicitur *simpliciter prima*»[3].

Eodemque iure, *ita* se habet generatio ad alterationem *sicut* substantia ad qualitatem; quia revera generatio est mutatio substantialis, dum alteratio est generatio accidentalis, cum sit mutatio secundum qualitatem.

---

1 S. THOMAS, *In I Physic.*, lect. 13, n. 9.
2 S. THOMAS, *De principiis naturae*, ed. de Maria, Opuscula, t. I, p. 378. Romae 1913.
3 *Op. cit.*, pp. 381-382.

90. Haud dissimiliter in *Psychologia*. Dicimus enim: *sicut* se habet scientia ad scibile, *ita* se habet sensus ad sensibile: ὡς ἐπιστήμη πρὸς ἐπιστητόν, οὕτως αἴσθησις πρὸς αἰσθητόν [1]. Item: *sicut* visus est in oculo, *ita* intellectus est in anima [2]; «*eadem* enim habent *proportionem* visus quoad corpus et intellectus ad animam: unde *sicut* visus est potentia organi corporalis, *ita* etiam intellectus est potentia animae absque participatione corporis» [3]. Pariter: «*sicut* manifestatio corporalis visionis fit per lumen corporale, *ita* manifestatio visionis intellectualis fit per lumen intellectuale» [4]. Et alio in loco S. Thomas profunde hanc analogiam sensus et intellectus evolvit hisce verbis: «*sicut* res habet esse per propriam formam, *ita* virtus cognoscitiva habet cognoscere per similitudinem rei cognitae. Unde *sicut* res naturalis non deficit ab esse quod sibi competit secundum suam formam, potest autem deficere ab aliquibus accidentalibus vel consequentibus; sicut homo ab hoc quod est habere duos pedes, non autem ab hoc quod est esse hominem: *ita* etiam virtus cognoscitiva non deficit in cognoscendo respectu illius rei cuius similitudine informatur, potest autem deficere circa aliquid consequens ad ipsam vel accidens ei; sicut... visus non decipitur circa sensibile proprium, sed circa sensibilia communia quae consequenter se habent ad illud, et circa sensibilia per accidens. *Sicut* autem sensus informatur directe similitudine propriorum sensibilium, *ita* intellectus informatur directe similitudine quidditatis rei: unde circa quod quid est intellectus non decipitur, *sicut* neque sensus circa sensibilia propria; in componende vero et dividendo potest decipi, dum attribuit rei, cuius quidditatem intelligit, aliud quod eam non consequitur, vel ei opponitur: *sic* enim se habet intellec-

---

1 ARISTOTELES, *I Topicorum*, cap. 15, n. 1, I, 184, 33-34.
2 ARISTOTELES, *I Topic.*, cap. 15, n. 2, I, 184, 35-36; *I Ethic. Nicom.*, cap. 6, n. 12, II, 5, 16.
3 S. THOMAS, *In I Ethic. Nicom.*, lect. 7, n. 95.
4 S. THOMAS, II-II, 171, 2c.

tus ad iudicandum de huiusmodi, *sicut* sensus ad iudicandum de sensibilibus communibus vel per accidens»[1].

Rursus analogiam statuit non solum inter totum organum animatum et totum animal, verum etiam inter partes essentiales unius et partes substantiales alterius, dum scribit: «*sicut* oculus est aliquid compositum ex pupilla sicut ex materia et visu sicut forma, *ita* animal est compositum ex anima sicut forma et ex corpore sicut materia»[2]; et ideo «*sicut* visus est forma substantialis [=essentialis] oculi, et eo remoto non remanet oculus nisi aequivoce: *ita* anima est forma substantialis viventis, et ea remota non remanet corpus vivum nisi aequivoce. *Sicut* enim se habet una pars animae sensitivae ad unam partem corporis sensitivi, *sic* se habet totus sensus ad totum corpus sensitivum in quantum huiusmodi»[3].

Saepe etiam analogiam prosequitur intellectus et voluntatis, ut videre est in hisce verbis: «cum voluntas sequatur intellectum, *eodem modo* contingit esse causam alicuius volentis ut velit et alicuius intelligentis ut intelligat. *In intellectu* autem *sic* est quod, si seorsum intelligat principium et seorsum conclusionem, intelligentia principii est causa scientiae conclusionis; sed, si intellectus in ipso principio inspiceret conclusionem, uno intuitu apprehendens utrumque, in eo scientia conclusionis non causaretur ab intellectu principiorum, quia idem non est causa suipsius, sed tamen intelligeret principia esse causas conclusionis. *Similiter* est ex parte *voluntatis*, circa quam *sic* se habet finis ad ea quae sunt ad finem, *sicut* in intellectu principia ad conclusiones: unde, si quis uno actu velit finem et alio actu ea quae sunt ad finem, velle finem erit ei causa volendi ea quae sunt ad finem; sed, si uno actu velit finem et ea quae sunt ad finem, hoc esse non poterit, quia idem non est causa suiipsius: et

---

[1] I, 17, 3c.
[2] S. THOMAS, *In II de Anima*, lect. 2, n. 241.
[3] *Op. et loc. cit.*, n. 239.

tamen erit verum dicere quod ea quae sunt ad finem velit ordinari in finem» [1].

Tandem liceat afferre pulcherrimam analogiam *verticis animae*. «*Sicut* vertex corporis est suprema pars corporis, *ita* vertex animae est suprema pars animae. Unde, secundum *diversas* distinctiones partium animae, animae vertex *diversimode* accipitur. Considerando vel distinguendo enim partem intellectivam a sensitiva, *tota intellectiva pars* animae *vertex* dici potest: ulterius distinguendo intellectivam partem in rationem superiorem et inferiorem, *ratio superior* dicitur *vertex*; ulterius distinguendo rationem [superiorem] in naturale iudicium et rationis deliberationem, *naturale iudicium* dicitur esse *vertex*» [2]. Semper tamen *vertex* est *suprema pars* eorum quae inter se comparantur: hoc enim est *formale* totius analogiae huius.

91. Neque aliter contingit in *Ethica*. Ipsa enim Ethica analoga est Medicinae in hoc sensu, quod *sicut* se habet Medicina ad corpus, *ita* se habet Ethica ad animam; quia *sicut* Medicina est scientia et ars sanandi corpus, *ita* Ethica est scientia et ars sanandi animam: et ideo *sicut* proprium est Medicinae considerare sanitatem et aegritudinem corporalem, *ita* proprium est Ethicae considerare virtutes et vitia animae, quae sunt veluti sanitas et aegritudo eius [3].

Haud secus, *sicut* se habet appetitus sensitivus ad sensum, *ita* se habet appetitus rationalis, id est voluntas, ad

---

1 I, 19, 5c.

2 *De Verit.*, 16, 2 ad 3.

3 En quomodo S. Thomas proponit hanc analogiam: «*sic* se habet politicus ad considerandum de anima cuius virtutem quaerit, *sicut* medicus ad considerandum de corpore cuius sanitatem quaerit. Undo manifestum est quod oportet politicum cognoscere ea quae pertinent ad animam, *sicut* medicus qui curat oculos et totum corpus oportet quod consideret de oculis et de corpore toto. Et *tanto magis* hoc pertinet ad politicum ut consideret de anima cuius virtutem inquirit, *quanto* est *melior* ipsa quam corpus, cuius est scientia Medicina ...Et ideo oportet quod eius consideratio sit *magis completa* (*In I Ethic. Nicom.*, lect. 19, n. 227).

intellectum; quia nempe *eodem genere causae* sensus movet appetitum sensitivum et intellectus voluntatem.

Similiter, «illud quod est in intellectu affirmatio et negatio, est in appetitu prosecutio et fuga; et quod est in intellectu verum et falsum, est in appetitu bonum et malum»[1], quia nimirum «eorum actus sunt sibi *proportionales*. Intellectus enim in iudicando habet duos actus, scilicet affirmationem qua assentit vero et negationem qua dissentit a falso: quibus duobus respondent duo *proportionabiliter* in vi appetitiva, scilicet prosecutio qua appetitus tendit in bonum et inhaeret ei, et fuga quae recedit a malo et dissentit ei. Et secundum hoc, intellectus et appetitus possunt *confirmari*: in quantum id quod intellectus affirmat bonum, appetitus prosequitur; et id quod intellectus negat esse bonum, appetitus fugit»[2].

Pariter, «ad *similitudinem* corporalis fortitudinis dicitur fortitudo animae, quae ponitur virtus»[3]; quia *sicut* se habet robur ad corpus, *ita* se habet fortitudo ad animam. Quod optime explicat Seneca. «Quid sit, inquit, haec *analogia*, dicam: noveramus corporis sanitatem; ex hac cogitavimus esse aliquam et animi: noveramus corporis *vires*; ex his collegimus esse et animi *robur*»[4].

92. In *Metaphysica* etiam dicimus: *ita* se habet essentia ad esse in ente finito, *sicut* se habet materia prima ad formam substantialem in ente mobili; quia *sicut* in ente mobili materia prima se habet ad formam substantialem ut propria potentia ad proprium actum in linea substantiae, *ita* in ente finito essentia se habet ad esse ut propria potentia ad proprium actum in linea entis. *Sicut* ergo substantia mobilis componitur reali compositione ex materia prima et ex forma substantiali in linea substantiae, *ita* ens finitum reali compositione componitur ex essentia et esse in linea entis; et *sicut* materia

---

1 II-II, 20, 1c.
2 S. THOMAS, *In VI Ethic. Nicom.*, lect. 2, n. 1.128.
3 S. THOMAS, II-II, 123, 1 ad 3.
4 SENECA, *Epist. morales*, lib. XX, epist. 3, n. 5, ed. cit., t. III, p. 397.

prima *realiter* differt a forma substantiali in linea substantiae mobilis, *ita* essentia differt *realiter* ab esse in linea entis finiti; et *sicut* materiae primae repugnat intrinsece esse ipsa sua forma substantialis, *ita* essentiae finitae intrinsece repugnat esse ipsum suum esse; et *sicut* primae substantiae creatae, nempe angelicae, quae est substantia incorporea ideoque forma pura, repugnat intrinsece esse composita ex materia prima et forma substantiali, *ita* Primo Enti, quod Deus est ideoque Actus Purus, repugnat intrinsece esse compositum ex essentia et esse; et consequenter, *sicut* essentia Angelica est sua forma, *ita* essentia divina est suum esse.

93. Quod autem dicitur de ordine *essendi, proportionaliter* dicendum est de ordine *operandi,* eo quod unumquodque operatur sicut est, et ideo modus operandi sequitur modum essendi. *Sicut* igitur nulla substantia creata est suum esse, *ita* nulla creatura est sua virtus operativa et nulla virtus operativa creata est sua operatio; «actio enim est proprie actualitas virtutis, *sicut* esse est actualitas substantiae vel essentiae» [1]: «*sicut* enim potentia se habet ad operationem ut ad suum actum, *ita* se habet essentia ad esse» [2]. Qua de causa, in ordine v. gr. intelligendi, «*eodem modo* comparatur intellectus ad intelligere *sicut* essentia ad esse» [3]. Quam prosequens analogiam S. Thomas profunde scribit: «*sicut* enim est gradus actus et potentiae in *entibus,* quod aliquid est *potentia tantum,* ut materia prima; aliquid *actu tantum* ut Deus; aliquid *actu et potentia,* ut omnia *intermedia*: *sic* est in genere *intelligibilium* aliquid ut actu tantum, scilicet essentia divina; aliquid *ut potentia tantum,* ut intellectus possibilis qui *hoc modo* se habet in genere intelligibilium *sicut* materia prima in ordine sensibilium...; omnes autem substantiae angelicae sunt *mediae,* habentes *aliquid de potentia et actu* non solum in genere entium

sed etiam in genere intelligibilium. *Sicut* igitur materia prima non potest agere aliquam actionem nisi perficiatur per formam, et tunc actio illa est quaedam emanatio formae ipsius magis quam materiae; res autem existentes actu possunt agere actione secundum quod sunt actu: *ita* intellectus possibilis noster nihil potest intelligere antequam perficiatur forma intelligibili in actu; tunc enim inteligit rem cuius est illa forma, nec potest se intelligere nisi per formam inteligibilem actu in se existentem. Intellectus vero Angeli, quia habet essentiam quae est ut actus in genere intelligibilium sibi praesentem, potest intelligere id quod est intelligibile apud ipsum, scilicet essentiam suam, non per aliquam similitudinem sed per se ipsam» [1].

94. Eadem ratione, causa materialis et causa formalis ex una parte, et causa efficiens causaque finalis ex alia, *proportionales* sunt; quia *sicut* causa materialis et formalis sunt principia *essendi*, ita causa efficiens et finalis sunt principia *operandi*: «causa enim formalis et materialis respiciunt proprie *substantiam* rei..., agens autem et finis respiciunt directe motum et *operationem*» [2]. Et eo ordine in quo sunt causae, sunt ad invicem causae et proportionatae in diverso genere: nam causa materialis et formalis sunt ad invicem causae in ordine *essendi*, quia *essendo* causant; dum causa efficiens et finalis sunt ad invicem causae in ordine *operandi*, quia causant *operando* vel movendo. *Sicut* enim causa formalis causat *dando* esse materiae vel subiecto ut *ratio* essendi quod materia *recipit*, *ita* causa finalis causat *actionem* agentis ut *ratio* agendi quam agens *producit*; et ita, *sicut* forma est *ratio* essendi ut *qua* subiectum vel materia est, *ita* finis est *ratio* operandi ut *qua* efficiens operatur; ac similiter, *sicut* materia vel subiectum ut induit rationem causae materialis est *quod* est, *ita* efficiens est *quod* operatur. Eodemque iure in generatione substantiali, *sicut* id *quod* fit est suppositum, *quo* autem fit est *forma* in materia

---

[1] *De Verit.* 8, 6c.
[2] I-II, 72, 3c.

in actum reducta; *ita quod* generat est suppositum, non forma tantum, sed forma est *qua* generat [1].

Consequenter, eo ipso quod causa efficiens et causa finalis sunt ad invicem causae in diverso genere et ideo mutuo *proportionatae,* quia «effectus suis causis *proportionaliter* respondent» [2], dicendum est quod «secundum ordinem agentium est ordo finium, ita quod primo agenti respondeat finis ultimus, et *proportionaliter* per ordinem alii fines aliis agentibus. Si enim consideretur rector civitatis et dux exercitus et unus singularis miles, constat quod rector civitatis est prior in ordine agentium, ad cuius imperium dux exercitus ad bellum procedit, et sub eo miles qui secundum ordinationem ducis exercitus manibus pugnat. Finis autem militis est prosternere hostem; quod ulterius ordinatur ad victoriam exercitus, quod est finis ducis; et hoc ulterius ordinatur ad bonum statum civitatis vel regni, quod est finis rectoris et regis» [3].

95. Et in eodem genere causae, v. gr. efficientis, «causis debent *proportionaliter* respondere effectus, ita quod *generalibus* causis *generales* effectus reddantur, et *singularibus singulares*: puta, si dicatur quod statuae causa est statuam faciens; et *huius* statuae, *hic* statuam faciens. Et *similiter* causis in potentia respondent effectus in potentia, et causis in actu effectus in actu» [4]: causis per se, effectus per se; causis per accidens, effectus per accidens, et quidem proportionaliter ad modum quo est causa per accidens. Ita, exempli gratia, «*duplex* est *causa per accidens. Una, quae aliquid operatur ad effectum,* sed dicitur causa eius per accidens, quia praeter intentionem ille effectus a tali causa sequitur, sicut patet in eo qui fodiendo sepulcrum invenit thesaurum; *alia* causa per accidens est *quae nihil operatur ad effectum,* sed ex eo quod accidit causae agenti, causa per accidens

---

1 *De Pot.*, 3, 8c. in fine.
2 *II Contra Gent.*, cap. 21, arg. 3.
3 *De Pot.*, 7, 2 ad 1.
4 S. Thomas, *In II Physicorum*, lect. 6, n. 11. Cf. etiam *II Contra Gent.*, cap. 21, arg. 3.

nominatur, sicut album dicitur esse causa domus per accidens, eo quod accidit aedificatori [esse album]. *Similiter duplex* est *effectus per accidens. Unus, ad quem potest terminari actio causae,* licet praeter eius intentionem accidat, sicut inventio thesauri: et talis effectus, licet sit huiusmodi causae per accidens, potest esse alterius causae effectus per se. Hoc autem modo malum non habet causam per accidens, quia... non potest esse terminus [per se] alicuius actionis. *Alius* effectus per accidens est *ad quem non terminatur [per se] actio alicuius agentis;* sed, eo quod accidit effectui, effectus per accidens nominatur, sicut album accidens domui potest dici effectus per accidens aedificatoris. Et sic nihil prohibet malum habere causam per accidens» [1].

Denique, ne plura exempla in medium producam, quae facile multiplicare possent, «*sicut* ars praesupponit naturam, *ita* natura praesupponit Deum» [2]; «nam *sicut* actio naturae praecedit actionem voluntatis nostrae, ratione cuius in operibus artis, quae a voluntate sunt, naturae operatione indiget; *ita* voluntas Dei, quae est origo omnis naturalis motus, praecedit operationem naturae: unde et Eius operatio in omni operatione naturae requiritur» [3]; «et ideo, *sicut* imperfectum indiget perfecto, *ita* virtus naturae in agendo indiget operatione divina» [4], *sicut* ars in operando eget operatione naturae, cum se habeat ad naturam *ut* agens imperfectum ad perfectum.

96. Sed placet iam in disciplinas *Theologicas* conscendere. Ita *Exegesis Biblica* fiere debet κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως [5], hoc est, attenta *analogia fidei,* vi cuius id quod traditur in uno Scripturae loco non solum non opponitur sed et aptissime congruit doctrinae traditae aliis in locis, et tota Scripturae doctrina apprime respondet dogmatibus ab Ecclesia definitis. Qua formula, *ana-*

---

[1] *De Pot.,* 3, 6 ad 6.
[2] *De Pot.,* 3, 7, arg. 2 *sed contra.*
[3] *De Pot.,* 3, 7 ad 9.
[4] *De Pot.,* 3, 7 ad 10.
[5] *Rom.* 12, 6.

logia fidei, utitur S. Augustinus, «cum demonstratur *non sibi adversari* duo Testamenta, Vetus et Novum», sed potius «utriusque Testamenti *congruentia* perspicitur»[1]; ac dein a theologis et exegetis *extenditur ad singulas partes utriusque Testamenti*, quatenus «veritas unius Scripturae ostenditur veritati alterius non repugnare»[2]. Quem loquendi et agendi morem sua auctoritate consecravit Ecclesia, dicens: «*analogia fidei* sequenda est, et doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta, *tanquam summa norma est adhibenda*; nam, cum et Sacrorum Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem sit Auctor Deus, profecto fieri nequit ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur. E quo apparet eam interpretationem ut ineptam et falsam reiiciendam quae, vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes facit, vel doctrinae Ecclesiae adversetur»[3]. Et in Iureiurando contra Modernistas haec habetur: «reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem quae, Ecclesiae traditione, *analogia fidei* et Apostolicae Sedis normis posthabitis, rationalistarum commentis inhaeret, et criticem textus velut unicam supremamque regulam haud minus licenter quam temere amplectitur»[4].

97. In *Scientia* etiam *Theologica presse dicta*, ut cum dicimus: «*sicut* mens cognoscens seipsam verbum sui gignit et ex utroque procedit amor, *sic* Pater seipsum dicens Verbum suum genuit ab aeterno et ex utroque procedit Spiritus Sanctus»[5].

Item, «incarnatio *insertioni* comparatur: *sicut* enim in insertione in eodem trunco in quo erat ramus unus per naturam, fit ramus alius per insertionem; *ita* in eadem

---

1 S. AUGUSTINUS, *De utilitate credendi*, cap. 3, nn. 5-6. ML. 42, 68.
2 S. THOMAS, I, 1, 10 ad 2.
3 LEO XIII, Encyclica *Providentissimus Deus*, die 18 novembris 1893. *Acta Leonis XIII*, ed. Bonne Presse, t. IV, p. 24.
4 DENZ., n. 2.146.
5 S. THOMAS, *De Verit.*, 10, 7c.

persona in qua naturaliter erat divina natura, per unionem est humana natura»[1].

Pariter, «*sicut* bonitas divina quae *in creatione* rerum se manifestat, omnibus se communicat, non tamen aequaliter; *ita* etiam prout se *in incarnatione* manifestat, praecipue quantum ad dilectionem humani generis, omnibus se communicat, non tamen eodem modo et aequaliter, sed uni per gratiam unionis, aliis per gratiam adoptionis qui gratiae non repugnant»[2].

Rursus, «*sicut* in corpore naturali vires diffusae per omnia membra differunt numero secundum essentiam, sed conveniunt in radice una secundum numerum, et propter hoc habent formam ultimam unam numero; *ita* etiam omnia membra corporis mystici habent pro ultimo complemento Spiritum Sanctum, qui est unus numero in omnibus. Et ipsa caritas diffusa in eis per Spiritum Sanctum, quamvis differat in diversis secundum essentiam, convenit tamen in una radice secundum numerum. Radix autem operationis proprie est ipsum obiectum ex quo speciem trahit; et ideo, in quantum est idem numero amatum et creditum ab omnibus, secundum hoc unitur omnium fides et caritas in una radice secundum numerum, non solum prima quae est Spiritus Sanctus, sed etiam proxima quae est proprium obiectum»[3].

Praeterea, *sicut* Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unum unitate naturae, *ita sancti* sunt unum inter se et cum Deo unitate gratiae et caritatis; et *sicut* Deus est perfectus perfectione naturae, *ita* nos debemus esse perfecti perfectione gratiae, utrique scilicet suo modo[4].

Insuper, «*sicut* in rebus naturalibus est aliud natura ipsa quam inclinatio naturae et eius motus vel operatio, *ita* et in gratuitis est aliud gratia a caritate et a ceteris

---

[1] S. THOMAS, *In III Sent.*, d. 1, 1. 1c., ed. Moos, O.P., n. 15.
[2] *In III Sent.*, d. 2, 1, 2, qla. 1 ad 2, n. 42.
[3] *In II Sent.*, d. 13, 2, 2, qla. 2 ad 1, n. 106.
[4] *Concilium Lateranense* IV, DENZ., n. 432. Quam etiam *analogiam* recolit Pius X. in Motu proprio *Doctoris Angelici*, die 29 iunii 1914. AAS. 1914, p. 337.

virtutibus. Et quod *haec comparatio* [=analogia] sit *recte accepta*, patet per Dionysium in II cap. Caelestis Hierarchiae, ubi dicit quod non potest aliquis habere spiritualem *operationem* nisi prius *esse* spirituale accipiat; *sicut* nec *operationem* alicuius naturae, nisi prius habeat *esse* in natura illa»[1]. «*Sicut* igitur lumen naturale rationis est aliquid praeter virtutes acquisitas, quae dicuntur in ordine ad ipsum lumen naturale; *ita* etiam ipsum lumen gratiae, quod est participâtio divinae naturae, est aliquid praeter virtutes infusas, quae a lumine illo derivantur et ad illud lumen ordinantur... *Sicut* enim virtutes acquisitae perficiunt hominem ad ambulandum congruenter lumini naturali rationis, *ita* virtutes infusae perficiunt hominem ad ambulandum congruenter lumini gratiae»[2].

Et «quia gratia perficit naturam secundum modum naturae, *sicut* et omnis perfectio recipitur in perfectibili secundum modum eius»[3] —«oportet enim perfectiones perfectibilibus *proportionatas* esse»—; inde sequitur quod «*sicut* ab essentia animae fluunt potentiae ab ipsa essentialiter differentes, sicut accidens a subiecto, et tamen omnes uniuntur in essentia animae ut in radice; *ita* etiam a gratia est perfectio essentiae [animae]..., et ab ea fluunt virtutes quae sunt perfectiones potentiarum, ab ipsa gratia essentialiter differentes, in gratia tamen coniunctae sicut in sua origine, *per modum quo* diversi radii ab eodem corpore lucente procedunt»[4].

«Unde relinquitur quod gratia *sicut* est prius virtute, *ita* habeat subiectum prius potentiis animae, ita scilicet quod sit in essentia animae. *Sicut* enim per potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam per virtutem fidei, et secundum potentiam voluntatis amorem divinum per virtutem caritatis; *ita* etiam per naturam animae participat, secundum quandam similitudinem, na-

---

[1] S. THOMAS, *De Verit.*, 27, 2c. in fine.
[2] I-II, 110, 3c.
[3] I, 62, 5c.
[4] *In II Sent.*, d. 26, 4c. in fine.

turam divinam, per quandam regenerationem sive recreationem»[1].

Idemque videre est in compluribus aliis exemplis, quae nullo negotio multiplicari possent. Liceat nobis pro coronide hoc unum afferre: «inter corporalia et spiritualia non attenditur similitudo per participationem eiusdem qualitatis, sed *per proportionalitatem,* quae est *similitudo proportionum*; ut *sicut* se habet aqua ad delendas maculas corporales, *ita* gratia ad abluendas spirituales: et secundum hunc modum similitudinis transferuntur etiam corporalia ad spiritualia»[2].

98. Si autem modo colligamus et comparemus inter se omnes istas significationes *reales,* vel potius *realia significata* verbi ἀναλογία in tam multiplici varietate disciplinarum, apparebit analogiam sive proportionem *realiter et essentialiter* importare: a) *quandoque* quidem aequalitatem *vel* similitudinem rationum et proportionum, ut in Mathematicis puris et applicatis, nimirum proportionem arithmeticam *vel* geometricam; b) *nonnunquam* vero *similitudinem tantum* proportionum et rationum, ut in ceteris; et quidem hoc in casu: 1) *aliquando* similitudinem *accidentalem et quasi exteriorem tantum,* ut in scientiis experimentalibus, quae directe circa accidentia vel phenomena versantur; 2) *quandoque* similitudinem *essentialem et intrinsecam,* ut in scientiis philosophicis et theologicis, quae rerum essentias ab interiori rimantur: semper tamen et ubique et in omnibus analogia nominat realem similitudinem rerum analogarum et proportionalium, vi cuius, suo quoque ordine suoque modo, *ita* se habet hoc ad hoc *sicut* illud ad illud. Quo in sensu S. Thomas profunde scribit: «similia dicuntur quae habent eamdem formam et characterem. Sed est duplex similitudo. Una quae facit similes perfecte, quando scilicet duo participant eamdem formam unius rationis. Quaedam vero [est] similitudo dissimilium, quando

---

1 I-II, 110, 4c.

2 *In IV Sent.*, d. 1, 1., 1, qla. 5 ad 3.

videlicet forma invenitur in aliquo vere [et plene] et in aliquo per remotam participationem; et sic istud est simile illi, non quia habeat eamdem formam, sed quia *accedit* ad hoc secundum debilem participationem. Et sic quae de Deo et de homine dicuntur similia, de homine dicuntur per remota, quasi dicat: Deus *est*, et tu [*es*]; sed tuum esse est participatum, suum vero essentiale: et similiter de aliis; et ideo haec similitudo est dissimilium. Et quae dicit, manifestat [Psaltes] per effectum. *Fortis* enim videtur aliquis, quando liberat aliquem debilem a potente; hoc enim est magnae fortitudinis: *et haec facit Deus* in mundo isto», multo fortius et perfectius, cum sit omnipotens, cui nihil resistere valet[1]. Haec ergo aliqualis et imperfecta similitudo est analoga sive proportionalis, sicut est simitudo rationum et proportionum geometricarum.

99. Quae cum ita sint, abstrahendo a particularibus modis proportionum in tam diversis disciplinis et proportionibus, et assurgendo ad formalem et universalem rationem proportionis realis ut sic, apparet *analogiam in universum reali essentialique significatione importare proportionem similem vel similitudinem proportionalem inter similia vel proportionata,* qua fit ut unum se habeat ad aliud *sicut* aliud ad aliud et quodcumque ad quodcumque quomodocumque.

Et haec est *ipsa universalis notio analogiae secundum rem,* quam uno verbo tradidit Aristoteles, dicens: κατ' ἀναλογίαν δὲ ὅσα ἔχει ὡς ἄλλο προς ἄλλο[2]. Et alio in loco: τὴν δὲ ὁμοιοτητα σκεπτέον ἐπί τε τῶν ἐν ἑτέροις γένεσιν, ὡς ἕτερον πρὸς ἕτερον τι, οὕτως ἄλλο πρὸς ἄλλο, οἷον ὡς ἐπιστήμη πρὸς ἐπιστητόν, οὕτως αἴσθησις πρὸς αἰσθητον καὶ ὡς ἕτερον ἐν ἑτέρῳ τινι, οὕτως ἄλλο ἐν ἄλλῳ, οἷον ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νοῦς ἐν ψυχῇ, καὶ ὡς γαλήνη ἐν θαλάσσῃ, νενεμία ἐν ἀέρι.[3]

---

[1] *In Psalmum* 34, n. 7. Opera, ed. Vives, t. 18, p. 429. Cf. etiam I, 4, 3.
[2] Aristoteles, *IV Metaph.*, cap. 6, n. 15, II, 520, 34. Cf. *VIII Metaph.*, cap. 6, n. 4, II, 568, 13-15.
[3] *I Topicorum*, cap. 15, nn. 1-2, I, 184, 31-36.

Huius viae inductivae in venanda reali notione pacis, quae *analoga* est, exemplum splendidum dedit S. Augustinus hisce verbis celeberrimis:

«pax itaque corporis, est ordinata temperatura partium;
pax animae irrationalis, ordinata requies appetitionum;
pax animae rationalis, ordinata cognitionis actionisque consensio;
pax corporis et animae, ordinata vita et salus animantis;
pax hominis mortalis et Dei, ordinata in fide sub aeterna lege obedientia;
pax hominum, ordinata concordia;
pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium;
pax civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia civium;
pax caelestis civitatis, ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo et invicem in Deo:
pax omnium rerum, tranquillitas ordinis» [1], qui suo modo singulis convenit, iuxta illud eiusdem Augustini: «*ordo* est *parium dispariumque* rerum *sua cuique loca* tribuens dispositio» [2].

§ II

SECUNDA INVESTIGATIO PER INDUCTIONEM LARGE DICTAM

100. Ut Caietanus sapienter animadvertit, «omnia fere analoga proprie, *prius* fuerunt univoca; et *deinde*, extensione, analoga, [scilicet] communia proportionaliter illis quibus sunt univoca et aliis vel alii, facta sunt. *Sapientiae* enim nomen *primo* impositum est humanae sapientiae, et univocum omnium hominum sapientiis

---

1 S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, lib. 19, cap. 13, n. 1. ML. 41, 640.
2 *Op. et loc. cit.*

erat; *deinde*, ad divinae naturae cognitionem ascendentes, proportionalemque similitudinem inter nos ut sapientes et Deum contemplantes, sapientiae nomen extenderunt ad id in Deo significandum cui nostra sapientia proportionalis est: sicque univocum nobis, analogum factum est nobis et Deo. Et similiter de aliis accidit»[1]. Quae ad Metaphysicam applicans, subiungit: «metaphysicales processus utuntur una ratione simpliciter [=univoca] in principio inquisitionis, sed in termino utuntur ratione una non simpliciter, sed secundum analogiam»[2]; quia talis est processus rationis nostrae ex sensibilibus ad insensibilia conscendens, ut terminus *a quo* sit physicus vel mathematicus, scilicet univocus, sed terminus *ad quem* sit metaphysicus, videlicet analogus et transcendens.

Quod autem dicitur de aliis nominibus, comprobatur etiam de hoc ipso nomine ἀναλογία. Primo enim, quasi univoce, dictum est de proportionibus mathematicis seu praedicamentalibus; dein vero analogice sive proportionaliter extensum est ad significandas proportiones metaphysicas vel transcendentales quascumque, vi abstractionis formalis qua essentialis significatio rationis et proportionis mathematicae denudatur et purificatur a materiali connotatione quantitatis praedicamentalis, sicque nata est directe ac formaliter significare ipsas rationes et proportiones pure incorporeas et spirituales.

Necesse est ergo in primis definire proportionem sive proportionalitatem in sensu stricto praedicamentali seu mathematico vel univoco[3], ut inde notificare valeamus proportionem sive proportionalitatem in sensu lato tran-

---

1 Caietanus, *De nominum analogia*, cap. 11, n. 115, ed. cit., pp. 87-88.

2 In I, 13. 5, n. 10.

3 «Vicissim analogum, idest *commutatim proportionari univoce* in multis invenitur, puta *in numeris et lineis*, in quibus habent quodammodo aliam causam et quodammodo eamdem. *Aliam* quidem secundum *speciem*, in quantum scilicet alii sunt numeri et aliae lineae: sed est *genere eadem*, in quantum scilicet tam lineae quam numeri conveniunt in hoc quod habent tale augmentum ex quo in eis commutata proportio demonstratur» (*In II Post.*, lect. 19, n. 3).

scendentali seu metaphysico vel analogo: quae notificatio erit ipsa definitio vel descriptio analogiae metaphysice sumptae.

A. *Notio proportionis in sensu univoco sive mathematico.*

101. Proprium est Mathematicae considerare quantitatem corporalem sive dimensivam ut reduplicative quantitas est, non ut specificative est primum accidens substantiae corporeae, quod ad Metaphysicam pertinet; neque ut est mobilis motu augmenti et decrementi aut etiam locali, quod Physicae est; neque ut est sensibilis per se secundo, nempe sensibile commune [1], quod ad Psychologiam spectat: abstrahit enim Mathematica a corpore sive materia sive quantitate sensibili, et solum considerat quantitatem imaginabilem et intelligibilem [2]. Et sic proprium obiectum Geometriae est quantitas molis continua quae magnitudo dicitur; Arithmeticae vero est quantitas molis discreta, quae multitudo appellatur: utrobique tamen ut abstrahit a corpore mobili et sensibili, nempe a ratione mobilitatis quae quantitati molis convenire potest per relationem ad agentia naturalia qui-

---

[1] «Communia sensibilia sunt ista quinque: motus, quies, numerus, figura et magnitudo» (S. THOMAS, *In II de Anima,* lect. 13, n. 386). «Et dicuntur *sensibilia communia* quae *non* cognoscuntur *ab uno sensu tantum* sicut sensibilia *propria, sed a multis sensibus,* sicut magnitudo, figura, quies, motus et numerus. Qualitates enim, quae sunt propria obiecta sensuum, sunt formae *in continuo,* et ideo oportet quod *ipsum continuum* in quantum est *subiectum* talibus qualitatibus moveat sensum, non per accidens sed *sicut per se subiectum et commune omnium sensibilium qualitatum. Omnia* autem haec quae dicuntur *sensibilia communia* pertinent aliquo modo *ad continuum*: vel secundum mensuram eius, ut magnitudo; vel secundum divisionem, ut numerus; vel secundum terminationem, ut figura; vel secundum distantiam, et propinquitatem, ut motus» (*De sensu et sensato,* lect. 2, n. 29). Quod autem dicantur sensibilia *communia,* «non est sic intelligendum quasi *omnia* ista [sensibilia] sint *omnibus* [sensibus] communia: sed *quaedam* horum, scilicet numerus, motus et quies, sunt communia *omnibus* sensibus; tactus vero et visus percipiunt *omnia quinque*» (*In II de Anima,* lect. 13, n. 386. Cf. etiam *in III de Anima,* lect. 1, nn. 577-578).

[2] S. THOMAS, *In librum Boetii de Trinitate,* 5, 3; 6, 2.

bus moveri et transmutari potest, et a ratione sensibilitatis quae quantitati convenire valet secundum qualitates sensibiles et per ordinem ad sensus quos movere et immutare potest, et unice considerat *divisibilitatem* totius in partes et *mensurabilitatem* totius per partes vel unius partis per aliam.

Est enim de ratione quantitatis *ordo partium in toto*[1], qui mensurationem vel mensurabilitatem importat formaliter sive in recto (=ordo) et divisionem vel distinctionem in obliquo et quasi materialiter (=partes); se habent enim partes ad totum ut materia ad formam, cum totum componatur *ex* partibus et *in* partes resolvatur[2]. Qua de causa, quantitas continua dicitur etiam *dimensiva*, idest *mensurabilis*, eiusque scientia nominata est a *mensurando* quasi a formali actu eius, nimirum *Geometria*: similiter quantitas discreta, quae multitudo vel *numerus* appellatur, eiusque scientia vocata est a *numerando*, scilicet *Ari*thmetica: numerare autem est *mensurare primo* et per se, cum importet essentialiter *coaptationem* partis mensurantis ad partem mensurandam, quae est ipsa mensuratio[3].

102. Et inde est quod *mensuramus* quantitatem continuam per discretam, *numerando* partes mensuratas per partem mensurantem repetitam, v. gr., decem palmos,

---

[1] Quantitati dimensivae «*per se* convenit *situs*; cadit enim *in definitione eius*, quia quantitas dimensiva est quantitas *habens situm*» (S. THOMAS, *in IV Sent.*, d. 44, 2, 2, pla. 2c.). Quantitas dimensiva «in sua ratione situm *quasi differentiam constitutivam* habet, quod nihil est aliud quam *ordo partium*» (*In librum Boetii de Trinitate*, 5, 3 ad 3). «*De ratione* quantitatis est *ordo partium*» (I, 14, 12 ad 1). «*Positio*, quae est *ordo partium in toto* in eius [quantitatis dimensivae] *ratione* includitur; est enim quantitas *positionem habens*» (*IV Contra Gent.*, cap. 65), ut definit Aristoteles (*Categoriae*, cap. 4, n. 1, I, 6, 43).

[2] «Partes rei sunt in quas *materialiter* totum dividitur; habent enim se partes ad totum sicut materia ad formam» (III, 90, 1c. Cf. *II Post.*, lect. 9, n. 5).

[3] Dicitur enim ἀριθμός ex radice ἀρ= coaptare, compaginare, commensurare: *coaptamus* enim digitum, palmum, cubitum, pedem, quantitati continuae ad eam *mensurandam*; et iterando successive coaptationem vel mensurationem, *numeramus* unum, duos, tres, palmos.

quinque pedes, tres ulnas: *ter* eamdem ulnam iterando, quinquies eumdem pedem, decies eumdem palmum. Se habet ergo quantitas continua ad discretam ut mensurabilis ad mensurantem, ideoque ut materia ad formam vel ut potentia ad actum in ratione *mensurabilitatis* quam proprie et formaliter Mathematica considerat. Quo in sensu S. Thomas vere ac profunde scripsit: «numerus *formaliter* loquendo est prior quam quantitas continua; sed *materialiter* quantitas continua est prior, cum numerus ex divisione continui relinquatur» [1]. Et alio in loco: «*omnis mensuratio,* quae est in quantitatibus *continuis, aliquo modo derivatur a numero*» [2]. In ipsa autem quantitate *discreta,* ratio mensurae *primo* convenit *unitati,* cum numerus definiatur: «multitudo *mensurata* per unum» [3]; et sic in hoc genere quantitatis opponuntur *relative* unitas et multitudo sive numerus, «in quantum unum est mensura et numerus est mensurabilis» [4]. A primo ergo ad ultimum *unitas discreta* est cui primo et per se convenit ratio mensurae in genere quantitatis dimensivae; et ex ea derivatur ad numerum per eam mensuratum, et consequenter ad unitatem et numerum *numeratum* quantitatis continuae. Unde iterum S. Thomas: «*mensura,* inquit, nihil aliud est quam id quo quantitas rei *cognoscitur;* quantitas vero rei cognoscitur *per unum aut numerum: per unum* quidem, sicut cum dicimus *unum* stadium vel *unum* pedem; *per numerum* autem, sicut dicimus *tria* stadia vel *tres* pedes. Ulterius autem *omnis numerus cognoscitur per unum,* eo quod unitas aliquoties sumpta quemlibet numerum reddit. Unde relinquitur quod omnis quantitas [ut mensurabilis] cognoscatur per unum» [5] quod est principium numeri et est

---

1 S. THOMAS, *In librum Boetii de Trinitate,* 4, 2 ad 5.
2 *In V Metaph.,* lect. 17, n. 1.007. «Numeri autem *secundum rationem* sunt *priores continuis quantitatibus,* sicut *magis simplices* et *magis abstracti*» (*In V Physic.,* lect. 5, n. 9).
3 *In I Sent.,* d. 24, 1, 3 ad 3. «Numerus nihil est aliud quam pluritas et multitudo *mensurabilis uno*» (*In X Metaph.,* lect. 8, n. 2.090).
4 *In X Metaph.,* lect. 2, n. 2.093.
5 *In X Metaph.,* lect. 2, n. 1.398.

ipsum unum: αὐτὸ ἕν [1]; «nam unum in *aliis* speciebus quantitatis *non est ipsum unum, sed aliquid cui accidit unum*, sicut dicimus unam *manum* aut unam *magnitudinem*. Unde sequitur quod *ipsum unum*, quod est *prima mensura*, sit principium numeri secundum quod est numerus» [2].

103. Inde etiam intelligitur *proprietas* quantitatis quae omni, soli, semper et conversim ei convenit, scilice esse *fundamentum aequalitatis et inaequalitatis* [3], quae sunt essentialiter *relationes* consequentes quantitatem u *mensurabilem*. Si enim quantitas mensurata perfecte e ex toto quadrat quantitati mensuranti, est ei *aequalis*; sin autem non ex toto quadrat, sed excedit eam vel al ea exceditur, est ei *inaequalis*, idest maior vel mino *Et ad huiusmodi relationes aequalitatis et inaequalitati reducuntur omnes rationes et proportiones quantitatis di cretae (=numerorum) et quantitatis continuae (=ma nitudinum)*.

Est enim *ratio simplex relatio mutua aequalitatis v inaequalitatis duarum quantitatum homogenearum*, n mirum linearum vel superficierum vel corporum vel n merorum, *prout una est maior vel minor alia aut perfecte coaequalis et commensurata*; v. gr., duo angu

---

1 ARISTOTELES, *IX Metaph.*, cap. 1, n. 7, II, 574, 35.

2 S. THOMAS, *In X Metaph.*, lect. 2, n. 1.939. Cf. etiam *In V Ethi* lect. 5, n. 939. Aliis verbis: numerus *numerans*, qui et numerus formal absolutus, abstractus, *purus*, dicitur, mensurat numerum *numeratu* qui appellatur etiam numerus *materialis*, concretus, *applicatus*; sic unitas numeri numerantis mensurat non solum ipsum numerum nun rantem, verum etiam unitatem numerati et consequenter numen ipsum numeratum Huius distinctionis numeri in numerantem numeratum meminit S. Thomas, scribens: «numerus dicitur *duplicit* Uno modo, id quod numeratur actu vel quod est numerabile, ut p cum dicimus: decem homines aut decem equos; qui dicitur nume *numeratus*, quia est numerus *applicatus* rebus numeratis. Alio mo dicitur numerus *quo numeramus* [=numerans], idest ipse nume *absolute* acceptus, ut duo, tria, quatuor» (*In IV Physicorum*, lect. n. 11). Et alibi: «numerus est *duplex*, scilicet numerus *simplex absolutus*, ut duo et tria et quatuor; et numerus qui est in re *numeratis*, ut duo homines et duo equi» (I, 30, 1 ad 4. Cf. *ibid.*, 2 ad

3 ARISTOTELES, *Categoriae*, cap. 4, n. 17, I, 9, 12-13. ἴδιον δὲ μάλ τοῦ ποσοῦ τὸ ἴσον τε καὶ ἄνισον λέγεσθαι.

recti sunt aequales; duo anguli, quorum unus est rectus et alius obliquus, sunt inaequales, quia videlicet angulus acutus est minor recto, dum obtusus est maior. Similiter duo senarii sunt aequales; dum e contra senarius et binarius, senarius et octonarius, sunt inaequales: est enim senarius maior binario et minor octonario.

Ideo S. Thomas, post Euclidem, definit *rationem simplicem*, quam ipse appellat proportionem, causa supra indicata[1]: «ut in V Euclidis dicitur, proportio est *certitudo mensurationis duarum quantitatum eiusdem generis*»[2] «proportio enim est *commensuratio quantitatum eiusdem generis*, ut dicitur in V Euclidis»[3]; «proportio... significat habitudinem quantitatis ad quantitatem *secundum aliquem determinatum excessum vel adaequationem*»[4]; proportio est «*certa habitudo* unius quantitatis ad alteram, secundum quod duplum, triplum et aequale sunt species proportionis»[5].

104. Quo fit ut ad naturam *simplicis rationis* quatuor cumulative requirantur.

1.° *quantitas dimensiva*, eo quod «*commensuratio, proportio* et huiusmodi» sunt *passiones*, idest *proprietates* quantitatis[6]. Unde iterum S. Thomas: «quia vero proportio est quaedam habitudo *quantitatum* ad invicem, *ubicumque dicitur quantum aliquo modo, ibi potest dici proportio*»[7]. Denique: «numerus non excedit *nihil* secundum aliquam proportionem, sed solum attenditur proportio aliqua numeri ad numerum vel ad unitatem, sicut quatuor excedunt tria in uno, et adhuc in pluri excedunt duo, et adhuc in pluri unum. Unde dicitur maior proportio [inaequalitatis] quatuor ad unum quam ad duo

---

1 *Supra*, nn. 27 et 31.
2 S. THOMAS, *In II Sent.*, d. 24, 3, 6 ad 3.
3 *In II Sent.*, d. 42, 1, 5 ad 1.
4 *In IV Sent.*, d. 49, 2, 1 ad 6.
5 I, 12, 1 ad 4.
6 S. THOMAS, *In V Metaph.*, lect. 17, n. 1.021. «Mensuratio enim proprie debetur quantitati» (*In IV Physic.*, lect. 20, n. 10).
7 *In librum Aristotelis de sensu et sensato*, lect. 7, n. 98.

et tria: sed quatuor non excedunt *nihil* secundum aliquam proportionem; et hoc ideo quia necesse est quod omne excedens dividatur in id quod exceditur et in excedentiam, idest in id quo excedit: sicut quatuor dividitur in tria, et in unum, in quo excedit tria. Si ergo quatuor excedunt *nihil*, sequeretur quod quatuor dividantur in aliquot et *nihil*: quod est inconveniens». Sicut ergo «vacuum non exceditur a pleno secundum aliquam proportionem», neque non-ens ab ente, ita nihil quantitatis non exceditur a numero neque ab uno secundum aliquam proportionem [1].

2.° duplex quantitas, quia commensuratio non est unius quantitatis ad se, sed duarum» [2]; et ideo «in qualibet proportione oportet esse ad minus *duos* terminos, nihil enim sibi ipsi proportionatur sed alteri» [3].

3.° *homogeneitas utriusque quantitatis*: ἀεὶ δὲ συγγενὲς το μέτρον [4]. Quod ita perspicue S. Thomas expendit: «metrum, idest mensura, semper debet esse *cognatum*, scilicet *eiusdem naturae* vel mensurae cum mensurato. Sicut mensura magnitudinum debet esse magnitudo; et *non sufficit* quod conveniat *in natura communi*, sicut omnes magnitudines conveniunt, *sed oportet* esse convenientiam mensurae ad mensuratum *in natura speciali* secundum unumquodque, sic quod longitudinis sit longitudo mensura, latitudinis latitudo, vox vocis, et gravitas gravitatis, et unitatum unitas» [5]. Et alibi: «in quolibet genere oportet esse unum primum quod est simplicissimum in genere illo et *mensura* omnium quae sunt illius generis. Et quia *mensura est homogenea mensurato*, secundum diversitatem generum oportet esse huiusmodi prima indivisibilia diversa. Unde hoc non est idem in omnibus; sed in gravitate ponderum accipitur ut unum indivisibile uncia sive mna, idest quoddam minimum

1 *In IV Physicorum*, lect. 12, n. 4.
2 *In I Sent.*, d. 19, 1, 1 ad 4.
3 *In IV Sent.*, d. 16, 3, 1, qla. 1c.
4 Aristoteles, *IX Metaph.*, cap. 1, n. 13, II, 575, 22.
5 *In X Metaph.*, lect. 2, n. 1.954.

pondus —quod tamen non est simplex omnino, quia quodlibet pondus est divisibile in minora pondera, sed accipitur ut simplex per suppositionem—; in melodiis autem accipitur ut unum principium tonus, qui consistit in sexquioctava proportione; vel diesis, quae est differentia toni et semitoni» [1]. Ideo ergo «non oportet omnium finitorum accipere proportionem aliquam, sicut lineae et numeri nulla est proportio; quia, ut in V Euclidis dicitur, proportio est certitudo mensurationis duarum quantitatum *eiusdem generis* [2], et «numquodque mensuratur per *aliquid sui generis*» [3].

4.° *certitudo et determinatio mensurae*; quia mensura «maxime proprie dicitur de quantitate», nihilque est aliud nisi «id *quo* quantitas rei *cognoscitur*» [4]. Id autem quo aliquid cognoscitur debet esse *certum* et *determinatum* et magis notum quam id quod cognoscitur. Quam ob rem S. Thomas egregie scribit: «omnis mensura debet esse *finita* [=determinata, fixa, certa]; alias non posset certificare quantitatem, quod est proprium mensurae» [5]. Et iterum: «unumquodque mensuratur per id quod est *maxime notum sui generis*» [6]. Et inde est quod ratio mensurae primo convenit *unitati*, «quia scilicet hoc est *certa* mensura a qua non potest aliquid auferri vel addi; et ideo unum est mensura *certissima*, quia unum quod est principium numeri est omnino indivisibile nullamque additionem aut subtractionem suscipiens manet unum. Sed mensurae aliorum generum quantitatis *imitantur hoc unum* quod est indivisibile [et maxime notum] accipiens aliquid minimum pro mensura secundum quod possibile est» [7].

---

1 *In I Post.*, lect. 36, n. 11. Cf. *in II de Caelo et Mundo*, lect. 6, n. 4.
2 *In II Sent.*, d. 24, 3, 6 ad 3.
3 *In IV Physicorum*, lect. 20, n. 2.
4 *In X Metaph.*, lect. 2, nn. 1.938, 1.956.
5 *In V Physic.*, lect. 5, n. 5.
6 *In IV Physic.*, lect. 18, n. 6.
7 *In X Metaph.*, lect. 2, n. 1.945. Cf. *ibid.*, nn. 1.946-1.953.

105. Ex qua conditione sequuntur haec duo effata celeberrima: *Primum*, finiti ad infinitum et infiniti ad finitum nulla est ratio: τὸ γὰρ ἄπειρον πρὸς τὸ πεπερασμένον ἐν οὐθενὶ λόγῳ ἐστὶν [1]; λογος δ'οὐθεὶς ἐστι τοῦ ἀπείρου πρὸς τὸ πεπερασμένον [2]. Et hoc ideo, «quia nullum infinitum mensuratur a finito» [3]. Sed ἄπειρον... ἐστιν οὗ κατὰ ποσὸν λαμβάνουσιν αἰεί τι λαβεῖν ἐστιν ἔξω [4]

Nam «*ratio mensurationis* consistit in hoc quod fiat *certitudo* de quantitate alicuius *determinata*» [5]: iam vero «quamcumque partem quantitatis eius [infiniti] acceperis, cuiuscumque mensurae, semper erit aliquid accipere de ipso» [6]; «quia infinitum improportionaliter excedit finitum» [7]. Jure igitur S. Thomas concludit: «finiti ad infinitum non potest esse proportio, quia excessus infiniti supra finitum *non est determinatus*» [8].

Secundum: finiti ad finitum et infiniti ad infinitum est vera ratio; quia finitum est commensuratum, idest aequale finito; et similiter infinitum infinito [9]. Quod intelligendum est de infinito *negative*, non privative dicto quod potius est indefinitum [10]: et sic intellectus divinus, qui est *infinitus* negative et categorematice, perfecte adaequat intelligibilitatem infinitam categorematicam divinae essentiae, eam plene comprehendendo [11]. Si enim intelligatur infinitum privative, cum non habeat quantitatem determinatam nec determinabilem *in actu*, nullam potest rationem habere ad finitum neque ad infinitum eiusdem generis; quo in sensu intelligendus est Aristoteles cum dicit: τὸ δ'ἄπειρον πρὸς τὸ ἄπειρον οὐδένα λογον ἔχει [12].

---

1 ARISTOTELES, *I de Caelo et Mundo*, cap. 7, n. 9 ,II, 377, 5-6.
2 ARISTOTELES, *Op. et loc. cit.*, cap. 6, n. 9, II, 375, 30-31.
3 S. THOMAS, *In VI Physic.*, lect. 9, n. 3.
4 ARISTOTELES, *III Physic.*, cap. 6, n. 8, II, 282, 44-46.
5 S. THOMAS, *De Verit.*, 2, 9 ad 10.
6 *De Verit.*, 2, 9 ad 8.
7 *In III Physic.*, lect. 8, n. 6.
8 *In IV Sent.*, d. 49, 2, 1 ad 6.
9 *De Verit.*, 23, 7 ad 9; I, 14, 3 ad 2.
10 Cf. *De Pot.*, 1, 2c.
11 *In I Sent.*, d. 43, 1, 1 ad 4; I, 14, 3 ad 2.
12 ARISTOTELES, *VIII Physic.*, cap. 1, n. 15, II, 344, 11-12. Cf. S. THOMAS ad h. l., lect. 3, n. 3.

At in quantitate molis, «finiti ad finitum potest esse proportio»[1]; nam de hoc genere quantitatis loquitur S. Thomas cum dicit: «idem est proportio quod *certa mensuratio* duarum quantitatum; et *talis* proportio non potest esse nisi *duorum finitorum*, quorum unum alterum excedit secundum aliquid *certum et determinatum*»[2].

Divisiones vero quod spectat *simplicis rationis*, adeundi sunt mathematici, quorum est de eis ex professo tractare. Ad rem nostram quod attinet, satis est brevem ac limpidam divisionem excribere quam tradidit S. Thomas. «Proportio numeralis dividitur primo in duas, scilicet *aequalitatis* et *inaequalitatis*.

106. *Inaequalitatis* autem sunt duae species, scilicet excedens et excessum et magis et minus.

Inaequale autem *excedens in quinque species dividitur*.

Numerus enim maior quandoque respectu minoris est multiplex, quando scilicet *aliquoties* continet ipsum, sicut sex continet duo ter. Et si quidem contineat ipsum *bis*, dicitur *duplum*, sicut duo ad unum vel quatuor ad duo; si *ter*, *triplum*; si *quater*, *quadruplum*: et sic inde.

Quandoque vero numerus maior continet *totum* numerum minorem *semel et insuper unam aliquam partem eius*, et tunc dicitur *superparticularis*. Et si quidem contineat *totum et medium*, vocatur *sexquialterum*, sicut tria ad duo; si autem *tertiam*, *sexquitertius*, sicut quatuor ad tria; si *quartem*, *sexquiquartus*: et sic inde.

Quandoque numerus maior continet minorem *totum semel et insuper non solum unam partem sed plures*, et sic dicitur *superpartiens*. Et si quidem contineat *duas* partes, dicitur *superbipartiens*, sicut quinque se habent ad tria; si vero *tres*, dicitur *supertripartiens*, sicut septem se habent ad quatuor; si autem *quatuor*, sic est *superquadripartiens*, et sic se habent novem ad quinque: et sic inde.

---

[1] *In VIII Physic.*, lect. 3, n. 3.
[2] *In III Sent.*, d. 1, 1, 1 ad 3, ed. cit., n. 19.

Quandoque vero numerus maior continet *totum* minorem *pluries et insuper aliquam partem eius*, et tunc dicitur *multiplex superparticularis*. Et si quidem contineat ipsum *bis et mediam partem eius*, dicitur *duplum sexquialterum*, sicut quinque ad duo; si autem *ter et mediam partem eius*, vocatur *triplum sexquialterum*, sicut se habent septem ad duo; si autem *quater et dimidiam partem eius*, dicitur *quadruplum sexquialterum*, sicut novem ad duo. Possent etiam ex parte superparticularis huiusmodi proportionis species sumi, ut dicatur duplex sexquitertius quando maior numerus habet minorem bis et tertiam partem eius, sicut se habent septem ad tria; vel duplex sexquiquartus, sicut novem ad quatuor: et sic de aliis.

Quandoque etiam numerus maior habet minorem *totum pluries* et *etiam plures partes eius*, et tunc dicitur *multiplex superpartiens*. Et similiter proportio potest dividi secundum species multiplicitatis et secundum species superpartientis, si dicatur multiplex superbipartiens quando habet maior numerus totum minorem bis et duas partes eius, sicut octo ad tria; vel etiam triplum superbipartiens, sicut undecim ad tria; vel etiam duplum superbipartiens, sicut undecim ad quatuor: habet enim totum bis et tres partes eis.

Et totidem species sunt ex parte inaequalitatis eius qui *exceditur*. Nam numerus minor dicitur submultiplex, subparticularis, subpartiens, submultiplex subparticularis, submultiplex subpartiens, et sic de aliis»[1].

Alibi autem *principia coordinationis* harum rationum indicat hisce verbis: «diversitas proportionum potest sumi multipliciter. Aut secundum *genus* proportionis, sicut duplum et sexquialterum, quorum primum est multiplex, secundum superparticulare: alia est enim *genere* proportio quatuor ad duo, quoniam dupla; et trium ad duo, quoniam sexquialtera. Aut secundum diversas *spe-*

[1] *In V Metaph.*, lect. 17, nn. 1.008-1.014.

cies eiusdem generis, sicut duplum et triplum quorum unum est genus proportionis, scilicet multiplex. Aut secundum diversos *numeros in eadem specie proportionis* [quasi secundum diversa individua eiusdem speciei], ut quatuor ad duo et sex ad tria», quae continentur sub eadem specie *dupli*[1].

107. Quae cum ita sint, divisio simplicis rationis in numeris seu quantitate discreta potest sequenti tabella exhiberi:

RATIO

- I) aequalitatis: numerus
  - a) duplus.
  - b) triplus.
  - c) quadruplus.
  - d) quintuplus: et ita porro.
- II) inaequalitatis: numerus
  - A) maior seu excedens...
    - a) simplex.....
      - α superparticularis..
        - 1) sexquialter.
        - 2) sexquitertius.
        - 3) sexquiquartus: et sic inde.
      - β superpartiens........
        - 1) superbipartiens.
        - 2) supertripartiens: et sic inde.
    - b) multiplex..
      - α subparticularis.....
        - 1) duplus sexquialter.
        - 2) triplus sexquialter: et sic inde.
      - β superpartiens........
        - 1) duplus superbipartiens.
        - 2) triplus superbipartiens: et sic inde.
  - B) minor seu excessus...
    - a) simplex.....
      - α superparticularis..
        - 1) subparticularis sexquialter.
        - 2) suparticularis sexquitertius: et sic inde.
      - β subpartiens.........
        - 1) subbipartiens.
        - 2) subtripartiens et sic inde.
    - b) multiplex..
      - α subparticularis.....
        - 1) subduplus sexquialter.
        - 2) subtriplus sexquialter: et sic inde.
      - β subpartiens.........
        - 1) subbipartiens.
        - 2) subtripartiens: et sic inde.

Ratio est genus supremum, quod sub se continet aequalitatem et inaequalitatem veluti genera subalterna.

Genus *aequalitatis* est simul infimum continens sub se duplum, triplum, quadruplum et sic inde, quasi totidem species atomas, sub quarum unaquaque sunt individua.

Genus *inaequalitatis* est mere *subalternum* et non infimum, cum contineat sub se maiorem et minorem rationem veluti genera rursus dividenda: nam sub *maiori* continentur simplex et multiplex ut genera *intermedia*, sub quibus stant superparticularis et superpartiens quasi genera *infima*; ac sub his continentur species atomae, sub quibus tandem locantur individua: idemque proportionaliter contingit sub *minori*, ut in tabella adnexa videre est.

108. *Ratio* vero *comparata*, quae ἀναλογία, idest *proportio*, dicitur, est *mutua relatio aequalitatis vel inaequalitatis absolutae vel relativae, hoc est, arithmeticae vel geometricae, quatuor vel plurium quantitatum homogenearum inter se collatarum*: v. gr., comparando rationem binarii ad quaternarium et rationem senarii ad duodenarium, apparent eaedem sive aequales, nempe ratio *dupli*; nam sicut quaternarius est duplus binarii, ita duodenarius est duplus senarii: vel ratio *dimidii*, quia sicut binarius est dimidius quaternari, ita senarius est dimidius duodenarii.

Ex qua definitione consequitur quatuor esse cumulative requisita ad proportionem mathematicam:

1.°, quod sit inter *quantitates*, sicut et ipsa *simplex ratio* ad quam sequitur; quia talis est relatio quales sunt termini et fundamentum eius.

2.°, quod quantitates ad invicem comparatae et proportionatae sint *homogeneae*, nempe quatuor vel plures quantitates discretae sive numeri; aut quatuor vel plures quantitates continuae, et quidem tunc; aut plures lineae sive longitudines, aut plures latitudines, aut plura solida sive corpora; licet *nomina et rationes commensu-*

rationis quantitatis continuae deriventur a nominibus et rationibus commensurationis quantitatis discretae, sicut ratio numerationis sive mensurationis numeri numerati derivatur a numero numerante, secundum illud S. Thomae: «ratio divisionis et quantitatis et mensurae... prius invenitur in quantitate discreta quam in quantitate continua»[1], et consequenter» *omnis mensuratio* quae est in quantitatibus continuis aliquo modo *derivatur* a numero; et ideo relationes (=rationes et proportiones), quae sunt secundum quantitatem continuam, *etiam attribuuntur numero*» sicut prius mensuranti[2]: unde et in geometricis loquimur de dimensionibus duplicibus, triplicibus, dimidiis et aliis huiusmodi.

3.°, quod sint *ad minus quatuor termini seu quantitates comparatae et commensuratae.* Unde S. Thomas scribit: «proportionalitas (=proportio presse dicta) est collatio duarum proportionum (=rationum). Quae, si sit *disiuncta,* habet *quatuor* terminos [re et ratione distinctos], ut hîc: sicut se habent quatuor ad duo, ita sex ad tria: si vero sit *coniuncta,* habet *tres* terminos [re distinctos et unum *ratione* tantum distinctum], *quia uno utitur ut duobus,* ut hic: sicut se habent octo ad *quatuor,* ita *quatuor* ad duo. Patet autem quod in proportione duo termini se habent ut antecedentia, duo vero ut consequentia, ut hîc: sicut se habent quatuor ad duo ita se habent sex ad tria, sex et quatuor sunt antecedentia, tria vero et duo sunt consequentia»[3].

4.°, quod illi termini *non solum sint commensurabiles relative,* hoc est, bini et bini, secundum proportionem, *sed etiam absolute,* idest secundum suas rationes, nimirum unus terminus primae rationis cum alio termino secundae, quia omnes quantitates homogeneae sunt commensurabiles; et inde est quod proportiones mathematicae non solum sunt directae vel ordinatae, sed etiam

---

1 *In I Sent.*, d. 24, 1, 3 ad 3.
2 *In V Metaph.*, lect. 17, n. 1.007.
3 *In I Post.*, lect. 12, n. 8.

inversae vel commutatae. At hoc est materiale et praesuppositum: sat est enim dicere, attenta propria et specifica ratione proportionis, terminos illos esse relative commensuratos, hoc est, ut collatos vel combinatos vel proportionatos inter se; nec enim proportio mensurat directe terminos simplices, sed eorum proportiones.

Et inde sequitur quod finitorum ad infinita et infinitorum ad finita nulla est proportio sicut neque ratio; ubi enim non potest dari ratio simplex, ratio comparata, quae est ipsa proportio, excludenda est. E contra finitorum ad finita et infinitorum ad infinita dari potest proportio, eo modo quo et simplex ratio; sicut enim se habet finitum ad finitum, ita se habet infinitum ad infinitum, v. gr., sicut finitum est aequale finito ita infinitum infinito[1].

109. *Proportio autem multipliciter dividitur,* ut mathematici data opera exponunt. In praesentiarum satis nobis sit principaliores tantum recolere.

Primo ergo dividitur proportio in simplicem et compositam. *Simplex* est quae fit inter duas rationes et quatuor terminos tantum, v. gr., sicut se habent quatuor ad duo ita se habent sex ad tria. *Composita* vero sive *protracta* vel *dilatata* est quae habetur inter tres vel plures rationes et inter sex vel plures terminos; ex. gr., «sicut est proportio inter duo et quatuor et tria et sex, similem habens qualitatem dupli; ita est proportio inter duo et tria et quatuor et sex, similem habens qualitatem sexquialteri»[2]. Quo fit, ut sicut proportio *simplex* est collatio duarum *rationum,* ita proportio *composita* est collatio duarum vel plurimum *proportionum*: unoque verbo appellari solet *proportionalitas,* quasi *proportio proportionum.*

---

[1] *De Verit.,* 23, 7 ad 9.
[2] S. ALBERTUS MAGNUS, *In V Ethic.,* tract. II, cap. 5, ed. cit., t. 7, p. 345.

Patet autem quod huiusmodi *proportionalitas* protrahi potest, vel inter plures proportiones *eiusdem seriei* continuatae, vel inter plures proportiones duarum aut plurium serierum *differentium* dummodo sint ad invicem aliquo modo proportionatae.

Sive autem proportio simplex sive proportionalitas *subdividuntur* in arithmeticam et geometricam. *Arithmetica* fit secundum aequalitatem *absolutam* rationum vel proportionum collatarum; *geometrica* vero secundum *relativam* tantum seu *mere proportionalem* aequalitatem rationum vel proportionum comparatarum. In proportione *arithmetica*, ait S. Thomas, ratio sive medium proportionale «attenditur secundum aequalitatem quantitatis» [1], quae est aequalitas absoluta; exempli causa, sicut se habent sex ad quatuor ita se habent octo ad sex, quia sicut sex excedunt quatuor in duabus unitatibus ita octo excedunt sex; e contra, in proportione *geometrica* medium sive ratio proportionalis attenditur, «non secundum quantitatem sed secundum *proportionem*», ut «si dicamus quod sicut se habent sex ad quatuor ita se habent tria ad duo, quia utrobique est sexquialtera proportio, in qua maius habet totum minus et mediam partem eius, non autem est aequalis excessus secundum *quantitatem*; quia sex excedunt quatuor in *duobus*, tria vero excedunt duo in *uno*» [2]. Cuius ratio est, quia in proportione arith-

---

[1] S. Thomas, *In V Ethic. Nicom.*, lect. 6, n. 950. Cf. etiam *in II Ethic. Nicom.*, lect. 6 n. 312.

[2] II-II, 61, 2c. Cf. etiam *in II Sent.*, d. 27, 3c; *in III Sent.*, d. 33, 1, 3 qla. 2c., nn. 100-101. Quod quidem alibi limpide proponit hisce verbis: «est aequalitas secundum quantitatem *absolutam*, et aequalitas secundum quantitatem *comparatam* quae dicitur *proportionis* aequalitas. Sicut patet in digitis manus qui non sunt aequales secundum quantitatem *absolutam*, cum unus alteri superpositus excedat ipsum; sunt tamen aequales secundum *proportionem*: quia *sicut* quantitas unius digiti sufficit ad suum officium, *ita* et quantitas laterius digiti; unde et digiti *proportionaliter* augentur» (*III Sent.*, d. 36, 4c., n. 55). Et iterum: est operis virtuosi quantitas «duplex, scilicet *absoluta* et *proportionalis*. Vidua enim quae misit duo aera minuta in gazophylacium, minus opus fecit quantitate *absoluta* quam illi qui magna munera posuerunt, sed quantitate *proportionali* vidua plus fecit secundum sententiam Domini, quia magis eius facultatem superabat» (I, 95, 4c

metica sumitur ratio sive mensuratio secundum partes *aliquotas*, dum in geometrica accipitur secundum partes *aliquantas*.

110. Rursus utraque proportio subdividitur in *coniunctam et disiunctam* sive in *continuam et discretam*. Ad rem S. Thomas: «omnis proportionalitas [=proportio] ad minus consistit in quatuor. Est enim duplex proportionalitas: una quidem disiuncta et alia continua. *Disiuncta* quidem proportionalitas est aequalitas duarum proportionum *non convenientium in aliquo termino*. Cum ergo omnis proportio [=ratio] sit inter duo, manifestum est quod proportionalitas disiuncta in quatuor terminis consistit, ut si dicam: sicut se habent sex ad tria, ita se habent decem ad quinque; utrobique enim est dupla proportio. *Continua* autem proportionalitas est aequalitas duarum proportionum *convenientium in uno termino*, puta si dicam: sicut se habent octo ad *quatuor*, ita se habent *quatuor* ad duo; utrobique enim est dupla proportio. In hac igitur continua proportione sunt *quodammodo quatuor termini*, in quantum scilicet *utimur uno termino ut duobus*, unum terminum *bis* dicendo, scilicet in utraque proportione, ut si dicam: quae est proportio A ad B, idest octo ad quatuor, eadem est proportio B ad C, idest quatuor ad duo; utrobique enim est dupla. Sic ergo B dicitur *bis*. Unde quamvis B sit unum subiectum, quia tamen accipitur *ut duo*, erunt quatuor proportionata»[1].

111. Tandem sive una sive alia proportio subdividuntur in *ordinatam et inordinatam*. «Proportio *ordinata* est quae *sine permutatione partium* ordinata similitudine unius ad alterum, attenditur, sicut si dicam: sicut

---

Et similia dicit multis aliis locis, v. gr., *II Sent.*, d. 42, 2, 5 ad 6; *III Sent.*, d. 28, 3 ad 3, n. 33; d. 29, 1 ad 2, n. 17, ubi aequalitatem absolutam sive arithmeticam appellat aequalitatem *aequiparantiae*; *IV Sent.*, d. 32, 1, 3c; d. 46, 1, 1, qla. 1; *in librum Dionysii de divinis nominibus*, cap. 8, lect. 5, ed. Vives, t. 29, p. 538b in fine; cap. 9, lect. 4, p. 548a.

[1] *In V Ethic. Nicom.*, lect. 5, n. 940.

tria ad quinque, ita sex ad decem. *Permutata* autem proportio est quae est *in ordine proportionis partium permutione*, sicut si dicam: sicut similis proportio est primi ad secundum et tertii ad quartum, ita similis proportio est primi ad tertium et secundi ad quartum et totius constituti ex primo et secundo ad totum constitutum ex tertio et quarto»[1]. «*Permutata* ergo proportio est quando antecendetia invicem conferuntur et consequentia similiter, ut si dicam: sicut se habent quatuor ad duo, ita se habent sex ad tria; ergo sicut se habent quatuor ad sex, ita se habent duo ad tria»[2].

Itaque ex omnibus hucusque dictis constat quod, in sensu univoco vel mathematico seu praedicamentali, sicut λόγος est mutua relatio commensurationis *duarum* quantitatum praedicamentalium homogenearum continuarum vel discretarum secundum aequalitatem vel inaequalitatem, ita ἀναλογία est relatio mutua commensurationis *quatuor vel plurimum* quantitatum praedicamentalium homogenearum continuarum vel discretarum secundum aequalitatem vel inaequalitatem.

B. *Notio proportionis in sensu analogo sive metaphysico.*

112. Ex tradita notione proportionis univocae sive mathematicae facile est ascendere, per simplicem abstractionem formalem, ad notionem proportionis analogiae sive metaphysicae.

Duo enim essentialiter requirebantur ad *proportionem* mathematicam: unum *fundamentaliter* et quasi materialiter, scilicet *quantitas* dimensiva seu praedicamentalis

---

[1] S. ALBERTUS MAGNUS, *In V Ethic.*, tract. II, cap. 5, ed. cit., t. 7, p. 346b.

[2] S. THOMAS, *In I Post.*, lect. 12, n. 8. Cf. etiam *in V Ethic. Nicom.*, lect. 5, nn. 941-943. Vocatur etiam haec proportio *commutata* et *perturbata* ἐναλλάξ, τεταραγμένη. *Ordinata et inordinata* dicuntur a Gherardo Gremonensi vertenti commentaria Anaritii in Elementa Euclidis, lib. V, ed. cit., p. 168, 22-23; p. 169, 4-6.

ut mensurabilis; aliud *formaliter*, nempe *ipsa relatio mutua aequalitatis vel inaequalitatis* inter *quatuor vel plures* quantitates aut partes quantitatis fundata super talem mensurabilitatem vel potius mensurationem: nam relatio aequalitatis vel inaequalitatis inter *duas* tantum quantitates vel partes quantitatis dicitur proprie loquendo *ratio*[1].

Atqui haec duo vere et proprie, quantum ad id quod essentiale et formale est, salvantur suo modo in formis et essentiis et perfectionibus incorporeis vel a corporalibus abstrahentibus, quae proprie cadunt sub consideratione Metaphysicae.

113. *Quantitas quidem, quae fundamentum est aequalitatis et inaequalitatis, ideoque rationis et proportionis.* Est enim duplex quantitas praedicamentalis sive corporalis: alia continua, quae magnitudo dicitur; alia discreta, quae multitudo sive numerus appellatur. Quae quidem dupliciter notificari possunt: uno modo, definitione *formali*, secundum quod partes quantitatis coadunantur et componunt totum; alio modo, definitione *materiali*, prout totum quantitativum dividitur et resolvitur in partes suas[2]. Totum enim est relativum ad partes, ideoque nonnisi per ordinem ad partes definiri potest. Est autem duplex ordo totius et partium: unus *formalis*, qui est ordo partium ad totum et in toto, prout constituunt totum et uniuntur in toto; alius *materialis*, qui est ordo totius ad partes, prout in eas dividitur et resolvitur. Partes siquidem se habent ad totum ut materia ad formam, totum vero se habet ad partes ut forma ad materiam[3];

---

[1] S. THOMAS, *In I Sent.*, d. 26, 2, 1 ad 3.

[2] S. THOMAS, *In I de Caelo et Mundo*, lect. 14, n. 7. «Continuum enim, cum sit quoddam totum, per partes suas definiri debet: partes autem dupliciter comparantur ad totum, scilicet secundum compositionem prout ex partibus totum componitur, et secundum resolutionem prout totum dividitur in partes» (*In III Physic.*, lect. 1, n. 2).

[3] «Partes enim sunt quasi materia totius» (I, 65, 2c); «totum habet rationem formae respectu partium» (*In IV Physic.*, lect. 4, n. 3. Cf. etiam *in II Physic.*, lect. 5, nn. 8-9). «Partes rei sunt in quas materialiter totum

ideoque, cum relationes specificentur ex terminis, ordo compositionis et adunationis partium ad totum est formalis, dum e contra ordo disolutionis vel divisionis totius in partes est materialis [1].

Secundum hoc ergo quantitas continua definitur definitione *formali*: cuius partes copulantur ad unum communem terminum; *materiali* vero definitione: quod est divisibile in partes continuas. Discreta autem definitur *formali* definitione: cuius partes non compulantur ad nunum communem terminum; *materiali* vero: quod est divisibile in partes non continuas [2]. Tandem ipsa quantitas universaliter definitur definitione *formali*: ordo partium in toto; *materiali* autem: quod est divisibile in partes suas, quarum unaquaeque designabilis et individua sive distincta et separata ab aliis esse potest [3].

At est ulterius considerandum quod quantitas continua *per se* [4] potest esse duplex: physica et mathematica.

---

dividitur; habent enim se partes ad totum sicut materia ad formam: unde in II Physicorum partes ponuntur in genere causae materialis, totum autem in genere causae formalis» (III, 90, 1c.).

1 «Per divisionem autem totius acceditur ad materiam, nam partes se habent in ratione materiae; per additionem autem acceditur ad totum, quod se habet in ratione formae» (I, 7, 3 ad 3). «Quando igitur ex toto perfecto fit resolutio partium, est motus quasi a forma ad materiam; sicut e converso, quando partes componuntur, est motus a materia ad formam» (*In V Metaph.*, lect. 21, n. 1.087).

2 S. THOMAS, *In IV Physic.*, lect. 4, n. 3; *in I de Caelo et Mundo*, lect. 14, n. 7; *in V Metaph.*, lect. 15, n. 978.

3 S. THOMAS, *IV Contra Gent.*, cap. 65; *in V Metaph.*, lect. 15, n. 977. Definitionem *materialem* Aristotelis, ποσὸν λέγεται το διαιρετὸν εἰς ἐνυπάρχοντα, ὧν ἑκάτερον ἢ ἕκαστον ἕν τι καὶ τόδε τι πέφυκεν εἶναι (*IV Metaph.*, cap. 13, n. 1, II, 525. 23-24), ita explicat S. Thomas: «*quantum* dicitur *quod est divisibile in ea quae insunt*: quod quidem dicitur ad differentiam divisionis *mixtorum*, nam corpus mixtum resolvitur in elementa quae non sunt actu in mixto sed virtute tantum: unde non est ibi tantum divisio quantitatis, sed oportet quod sit aliqua *alteratio* per quam mixtum resolvitur in elementa. Et iterum addit: *quorum utrumque aut singulum est natum esse unum aliquid*, hoc est *aliquid demonstratum*. Et hoc dicit ad removendam divisionem in partes *essentiales* quae sunt materia et forma; nam neutrum eorum aptum natum est esse unum aliquid per se» (*In V Metaph.*, lect. 15, n. 977).

4 Non enim loquimur de quantitate *per accidens*, ut sunt locus, motus et tempus: insuper, quantitas discreta *per se* non est nisi mathematica, non physica.

Physica quidem, prout consideratur ut accidens primum substantiae corporeae radicaliter respondens materiae, ideoque mobilis et sensibilis sicut ipsum corpus sive substantia physica. *Mathematica* vero, prout abstrahit a substantia mobili in qua est, ideoque a ratione mobilitatis et sensibilitatis, et solum eam considerans per se ut imaginabilem et intelligibilem, idest mensurabilem per intellectum [1].

114. Iam vero id quod formale est in quantitate *physica* est esse *mensura substantiae* cuius est et in qua est [2], eo quod virtus et perfectio substantiae corporeae

---

[1] «Scientia, quae est de natura [=Physica], fere plurima, idest in maiori parte, videtur esse existens circa corpora et magnitudines, idest lineas et superficies. De quibus tamen aliter considerat naturalis [=Physicus], quam geometra [=mathematicus]. Naturalis quidem considerat de corporibus in quantum sunt mobilia, de superficiebus autem et lineis in quantum sunt termini corporum mobilium: geometra autem considerat de eis prout sunt quaedam quanta mensurabilia. Et quia ad scientiam pertinet non solum considerare *subiecta*, sed etiam *passiones*, ut dicitur in I Posteriorum, ideo subiungit [Aristoteles] quod naturalis scientia exsistit circa praedictorum passiones et motus: ut per passiones intelligantur alterationes et alii motus consequentes secundum quos alteratur aliquid in substantia rei; subdit autem et motus quasi procedens a speciali ad commune... Et quia in qualibet scientia oportet considerare *principia*, subiungit quod naturalis scientia est circa quaecumque principia praedictae substantiae, scilicet, corporeae mobilis. Per quod datur intelligi quod ad naturalem pertinet considerare de corpore in quantum est in genere substantiae, sic enim est subiectum motus; ad geometram autem in quantum est in genere quantitatis, sic enim mensuratur» (S. THOMAS, *in de Caelo et Mundo*, lect. 1, n. 2. Cf etiam *in I Physic.*, lect., 9, n. 9; *in III Physic.*, lect. 7, n. 8). Et alibi: «corpus, quod est magnitudo completa [=secundum tres dimensiones, idest longitudinem, latitudinem, et profunditatem sive altitudinem] dupliciter sumitur, scilicet mathematice, secundum quod consideratur in eo *sola quantitas* [et non substantia]; et naturaliter, secundum quod consideratur in eo [non sola quantitas sed etiam] materia et forma», quae sunt principia substantiae corporeae (I, 7, 3c).

[2] Unde et saepe S. Thomas definit quantitatem: *mensura substantiae*. «Dicitur enim *quantitas* ex hoc quod est *mensura substantiae*, et qualiter ex hoc quod est quaedam dispositio substantiae» (*In IX Metaphysicorum*, lect. 1, n. 1.768); «dicitur *quantitas* ex eo quod est *mensura substantiae*, et qualitas secundum quod est dispositio substantiae» (*De ente et essentia*, cap. 6 [alias 7], ed. M. D. Roland-Gosselin, O.P., p. 64, 30-32, Paris 1926; ed. L. Baur, p. 58, 20-22, Munster 1926). «Quantitas

qua talis primo et maxime exseritur et manifestatur in quantitate sibi correspondente quasi in primo et proprio accidente eius, sicut vis et perfectio substantiae spiritualis primo et maxime explicatur et ostenditur in primo et proprio eius accidente quod est intellectus. Cum enim propria accidentia commensurentur substantiis quarum sunt ut proprietates essentiae, prima et maxima commensuratio correspondet primo et fundamentali accidenti, quod *maxime proprium* est, utpote in quod substantia summum vis et energiae exercet per naturalem expansionem cui correspondet naturalis accidentis resultantia[1]. Unde et cetera accidentia corporalia referuntur ad substantiam corpoream mediante quantitate dimensiva quae, utpote primum accidens eius, est ceterorum accidentium subiectum immediatum *quo*; et hac ratione appellatur *quasi-substantia* et *vice-substantia*[2].

Quod si hoc verum est de quantitate dimensiva physica *connaturali cuiuslibet* substantiae corporeae, id a fortiori et evidentius apparet in quantitate dimensiva *connaturali* corporis *viventis* sive animati quae vim seu virtutem augmentativam eius ideoque et nutritivam ei subservientem perfecte commensurat, eaque mediante per-

---

enim habet *propriam rationem* in comparatione ad subiectum; est enim quantitas *mensura substantiae*: qualitas dispositio substantiae» (*In I Sent.*, d. 8, 4, 3c). Et alibi profundius scribit: «in *quolibet* novem generum accidentis est *duo* considerare, quorum *unum* est esse quod competit unicuique ipsorum *secundum quod est accidens,* et *hoc communiter in omnibus est inesse subiecto*; accidentis enim esse est inesse: aliud quod potest considerari in unoquoque est *propria ratio uniuscuiusque* illorum generum: et in aliis quidem generibus a relatione, utpote quantitate et qualitate, etiam *propria ratio* generis accipitur secundum comparationem ad subiectum, nam *quantitas* dicitur *mensura substantiae,* qualitas vero dispositio substantiae» (I, 28, 2c).

[1] Et inde effata illa: «nullum accidens connaturale excedit suum subiectum» (*Quaestio disp. de Anima,* 12 ad 5): «in quibus invenitur natura aequaliter, invenitur etiam aequaliter illud quod [naturaliter] consequitur naturam illam» (*II Sent.*, d. 25, 4 ad 2. Cf. etiam II-II, 5, 4 ad 3); «omnis enim proprietas quae consequitur naturam aliquam, quanto natura illa nobilius invenitur in aliquo, tanto etiam proprietas illa perfectius participatur ab eo» (*II Sent.*, d. 25, 4c).

[2] I-II, 7, 1 ad 3; 50, 2 ad 2; 56, 1 ad 3; III, 77, 2, et alibi passim.

corporis physici —quae revera est abstractio formalis— habetur notio quantitatis virtualis ut sic, quae est quantitas metaphysica sive analoga vel transcendentalis.

116. Sed hac de re placet audire S. Thomam egregie disserentem. «Corpus autem *naturale* dicitur quod consideratur secundum aliquam *determinatam speciem et virtutem*, et hoc non potest dividi in infinitum, quia *quaelibet species determinatam quantitatem requirit et in plus et in minus*; sicut enim dicitur in II de Anima, omnium natura constantium positus est terminus et ratio augmenti; et ideo est invenire minimam aquam et minimam carnem, ut dicitur in I Physicorum, quae, si dividatur, non erit ulterius aqua et caro»[1].

Et alio in loco: «natura autem *speciei* habet aliquam quantitatem nec ab ea deficit absque errore, quae tamen quantitas habet aliquos gradus *latitudinis*, et non est accipienda secundum unam mensuram determinatam. Unumquodque autem *individuum* in specie humana assequitur, *infra terminos illius latitudinis*, aliquem gradum quantitatis quae competit naturae individui, et ad hanc perducitur in termino augmenti si non fuit aliquis error in opere naturae»[2].

Rursus: «*omne corpus naturale* aliquam *formam substantialem* habet *determinatam*. Cum igitur ad formam substantialem consequantur accidentia, necesse est quod ad *determinatam* formam consequantur *determinata* accidentia, inter quae est *quantitas*. *Unde omne corpus naturale habet determinatam quantitatem et in maius et in minus*»[3].

Iterum: «*impossibile* est quod animal vel planta vel aliquid huiusmodi habeat se *indeterminate* ad quamcumque magnitudinem vel parvitatem; est enim aliqua quantitas ita magna ultra quam nullum animal extendi-

---

[1] *In I Sent.*, d. 30, 2, 2c. Cf. etiam d. 14, 1 ad 4.
[2] *In IV Sent.*, d. 44, 1, 3, qla. 2c.
[3] I, 7, 3c.

tur, et alia ita parva infra quam nullum animal invenitur: et similiter dicendum est de planta»[1].

Insuper: «diversis speciebus aptantur diversae quantitates. Et hoc patet de quantitatibus dimensivis; quia est aliqua quantitas *determinata* homini ultra quam non invenitur quantitas hominis maior, sed invenitur quantitas arboris quae, quamvis finita sit, nullo modo ad eam pertingere potest homo quantumcumque crescat»[2].

Praeterea: «Augmentum, sicut et alia ad quantitatem pertinentia, a quantitatibus corporalibus ad res spirituales et intellectuales transfertur propter connaturalitatem intellectus nostri ad res corporales quae sub imaginatione cadunt. Dicitur autem in quantitatibus corporeis aliquid *magnum* secundum quod ad debitam *perfectionem* quantitatis perducitur: unde aliqua quantitas reputatur magna in homine quae non reputatur magna in elephante. Unde et in formis dicimus aliquid *magnum* ex hoc quod est *perfectum*. Et quia bonum habet rationem perfecti, propter hoc in his quae non mole magna sunt *idem est esse maius quod melius*, ut Augustinus dicit in VI de Trinitate, cap. 8»[3].

Ad haec: «differunt species motus *secundum diversa genera entium*, ut augmentum, quod est motus in quantitate, a generatione quae est motus in substantia; differunt etiam species motus *secundum perfectum et imperfectum in eodem genere*; nam generatio est motus in substantia ad formam, corruptio vero ad privationem; et in quantitate augmentum ad quantitatem perfectam, diminutio ad imperfectam»[4].

Item: «necesse est enim omne alimentum decoqui, quod quidem fit per ignem [=calorem]; unde ignis aliquo modo operatur ad alimentum et per consequens ad augmentum: non quidem sicut agens principale, hoc enim

---

1 *In I Physic.*, lect. 9, n. 8.
2 *In III Sent.*, d. 13, 1, 2 ad 3, n. 55.
3 I-II, 52, 1c.
4 *In III Physic.*, lect. 1, n. 8.

est animae. sed sicut agens secundarium et instrumentale... Quod sic probat [Aristoteles]: illud est principale in qualibet actione a quo imponitur terminus et ratio ei quod fit; sicut patet in artificialibus, quod terminus vel ratio arcae vel domui non imponitur ab instrumentis, sed ab ipsa arte; nam instrumenta se habent indifferenter ut cooperentur ad hanc formam vel quantitatem, vel aliam: serra enim, quantum est de se, apta est ad secandum lignum secundum quod competit et ostio et scamno et domui, et in quacumque quantitate; sed quod sic secetur lignum quod sit aptum ad talem formam et ad talem quantitatem, est ex virtute artis.

Manifestum est autem quod *in omnibus quae sunt secundum naturam, est certus terminus et determinata ratio magnitudinis et augmenti*: sicut enim cuilibet speciei debentur aliqua accidentia propria, ita et propria quantitas, *licet cum quadam latitudine*, propter diversitatem materiae et alias causas individuales; non enim omnes homines sunt eiusdem quantitatis, sed tamen est aliqua quantitas tam magna ultra quam species humana non porrigitur, et alia tam parva ultra quam homo non invenitur. *Illud igitur quod est causa determinationis magnitudinis et augmenti, est principalis causa augmenti.*

Hoc autem non est ignis [=calor]. Manifestum est enim quod ignis augmentum non est usque ad determinatam quantitatem, sed in infinitum extenditur si in infinitum materia combustibilis inveniatur. Manifestum est igitur quod *ignis non est principale agens in augmento et alimento, sed magis anima.*

Et hoc rationabiliter accidit; quia *determinatio quantitatis in rebus naturalibus est ex forma, quae est principium speciei, magis quam ex materia.* Anima autem comparatur ad elementa quae sunt in corpore viventi sicut forma ad materiam. *Magis igitur terminus et ratio magnitudinis et augmenti est ab anima quam ab igne*»[1].

---

1 *In II de Anima*, lect. 8, nn. 331-332.

Immo et *quantitas terminalis motus augmenti proportionalis est quantitati initiali corporis cum primo animatur.* «Anima requirit *debitam* quantitatem in materia cui infunditur; sed ista quantitas *quamdam latitudinem* habet, quia et in maiori et in minori quantitate salvatur. *Quantatis autem corporis, quam habet cum primo sibi infunditur anima, proportionatur quantitati perfectae ad quam per augmentum pervenit,* ita scilicet quod maiorum hominum maiorem quantitatem corpora habent in prima animatione» [1].

Quod autem in motu augmenti *non solum acquiratur et fiat maior dimensio verum etiam maior corporis vigor et vis,* ita perspicue docet idem S. Doctor: «est augmentum, quo aliquid proficit in maiorem *perfectionem,* et secundum quantitatem, *et secundum virtutem*» [2]. «Per augmentum [homo]... perducitur ad quantitatem *et virtutem perfectam*» [3]; «per augmentum ad debitam quantitatem *et robur* pervenit» [4]; «per augmentum... aliquis perducitur ad perfectam quantitatem *et virtutem*» [5]; «nutrimentum, et praecedit augmentum sicut causa eius, et subsequitur augmentum sicut conservans hominem in perfecta quantitate *et virtute*» [6].

Quae duo, scilicet extensio molis et intensitas virtutis sive roboris, sicut naturaliter *simul* causantur per potentiam augmentativam ita etiam naturaliter mutuo sibi proportionantur et commensurantur per se loquendo. «Omnis virtus naturalis, multiplicata materia, *roboratur* secundum debitam proportionem; quia *in maiori* quantitate *maior est virtus*» [7]: «quia omnis virtus naturalis dividitur ad divisionem subiecti, ut *in minore* magnitu-

---

1 III, 33, 2 ad 2.
2 *In II de Anima,* lect. 9, n. 347.
3 *De articulis fidei et Ecclesiae Sacramentis,* tract. II, ed. Vives, t. 27, p. 177b.
4 *IV Contra Gent.,* cap. 58.
5 III, 65, 1c.
6 III, 65, 3 ad 3.
7 *In II Sent.,* d. 20, 2, 1, arg. 1 sed Contra.

dine sit *minor virtus*»[1]. Et universaliter pronuntiat: «necesse est *virtutem* quae est in magnitudine proportionari magnitudini in qua est», et ideo «in magnitudine finita non potest esse *potentia* infinita..., nec in magnitudine infinita [si dabilis esset] potest esse *potentia* finita»[2]. Consequenter «in magnitudine *eiusdem generis* oportet quod *maior* magnitudo habeat *maiorem potentiam*, sicut maior aër habet maiorem potentiam quam minor»[3]; ac similiter «in *minori* corpore *minor sit virtus*»[4].

Quam ob rem alibi profunde scribit: «quod aliquid dicatur *perfectum* per comparationem ad *virtutem* propriam, *provenit quia virtus est quaedam perfectio* rei. Unumquodque enim tunc est *perfectum* quando nulla pars magnitudinis naturalis, quae competit ei secundum speciem propriae *virtutis*, deficit ei. *Sicut* autem quaelibet res naturalis habet *determinatam* mensuram *naturalis* magnitudinis secundum quantitatem *continuam*, ut dicitur in II de Anima, ita etiam quaelibet res habet *determinatam* quantitatem suae *virtutis naturalis*. Equus enim habet quantitatem dimensivam *determinatam* secundum naturam *cum aliqua latitudine*; est enim aliqua quantitas ultra quam nullus equus protenditur in magnitudine, et similiter est aliqua quantitas quam non transcendit in parvitate. Ita etiam ex utraque parte *determinatur* aliquibus terminis quantitas *virtutis* equi; nam aliqua est virtus equi qua maior in nullo equo invenitur, et similiter est aliqua tam parva qua nulla est minor.

Sicuti igitur primus modus perfecti accipiebatur ex hoc quod nihil rei deerat de quantitate *dimensiva* sibi naturaliter determinata, *ita* hic secundus modus accipitur ex hoc quod nihil deest alicui de quantitate *virtutis* debitae secundam naturam. Uterque autem modus atten-

---

1 *In II Sent.*, d. 30, 2, 2c.

2 *In VIII Physic.*, lect. 21, n. 6. Cf. *ibid.*, nn. 16 et 19; *in I de Caelo et Mundo*, lect. 6, n. 3; lect. 15, n. 4; *in II de Caelo de Mundo*, lect. 19, n. 5.

3 *In VIII Physic.*, lect. 21, n. 19.

4 *In I de Caelo et Mundo*, lect. 14, n. 3.

ditur secundum interiorem perfectionem»[1], et quidem secundum ultimum et maximum eius.

Ut enim dicit alio in loco, «si contingat aliquam rem posse in aliquid *magnum*, puta quod aliquis homo ambulet per centum stadia aut possit levare aliquod *magnum* pondus, semper determinamus sive denominamus eius potentiam *per respectum ad plurimum in quod potest*; sicut dicimus potentiam huius hominis esse quod potest levare pondus centum talentorum, aut quod potest ire per spatium centum stadiorum, quamvis possit omnes partes infra istam quantitatem contentas, siquidem potest in id quod superabundat. Nec tamen denominatur ab illis partibus, puta quod determinetur eius potentia quia potest ferre quinquaginta talenta aut ire quinquaginta stadia, sed per id quod est *maximum*, ita scilicet quod potentia uniuscuiusque determinetur per respectum ad finem, idest per *ultimum* et per *maximum* ad quod potest et per virtutem suae excellentiae; *sicut etiam* et *magnitudo* cuiuslibet rei determinatur per id quod est *maximum*, sicut, quantitatem tricubiti notificantes, non dicimus quod sit bicubitum. Et similiter rationem hominis assignanus per *rationale* et non per sensibile, quia semper id quod est *ultimum* et *maximum* est *completivum* et *dans speciem rei*. Sic igitur patet quod ille qui potest in ea quae excellunt, necesse est quod possit etiam in ea quae sunt infra; puta, si aliquis potest portare centum talenta, poterit etiam portare duo; et, si potest ire per centum stadia, potest ire per duo: sed tamen virtus rei non attribuitur nisi *excellentiae*, idest, secundum id attenditur virtus rei quod est *excellentissimum omnium eorum in quae potest*. Et hoc est quod dicitur in alia translatione: virtus est ultimum potentiae, quia scilicet virtus rei determinatur secundum *ultimum* in quod potest»[2].

Quae cum ita sint, facile intelliguntur haec verba praeclarissima S. Thomae: «est autem duplex quantitas,

---

[1] *In V Metaph.*, lect. 18, nn. 1.036-1.038.
[2] *In I de Caelo et Mundo*, lect. 25, n. 4.

scilicet *dimensiva* quae secundum *extensionem* consideratur, et *virtualis* quae attenditur secundum *intensionem*; virtus enim rei est ipsius *perfectio*, secundum illud Philosophi in VII Physicorum: unumquodque *perfectum* est quando attingit propriae *virtuti*, et sic quantitas virtualis uniuscuiusque formae attenditur secundum modum suae perfectionis. Utraque autem quantitas per multa diversificatur: nam sub quantitate dimensiva continetur longitudo, latitudo et profundum, et numerus in potentia; quantitas autem *virtualis* in tot distinguitur quot sunt *naturae vel formae*, quarum perfectionis *modus* totam *mensuram* quantitatis facit» [1].

117. *Simile quid accidit respectu quantitatis mathematicae.* Sicut enim quantitas continua mathematica habetur per abstractionem formalem formae a materia quantitatis continuae physicae —est enim quantitas mathematica abstracta abstractione formali a quantitate physica et non abstractione totali, quia corpus physicum non est species vel individuum sub genere vel specie corporis mathematici, et hac de causa talis abstractio specificat scientiam mathematicam eamque distinguit a scientia physica [2]—, ita quantitas virtutis sive metaphysica vel transcendentalis habetur per abstractionem formalem eius ab ipsa quantitate mathematica. Id enim quod Geometria considerat in quantitate *continua* non est id quod materiale est in quantitate physica et respondet materiae primae sicut radici; sed, vel *figuras* eius, puta triangu-

---

1 *De Verit.*, 29, 3c.

2 Nam scientiae distinguuntur specie secundum diviersum modum sive gradum abstractionis formalis: huius enim abstractionis sunt tres gradus, scilicet a materia individuali at non a materia sensibili, a materia sensibili et non a materia intelligibili, tandem ab omni materia. Qua de re videri possunt Caietanus, *in de Ente et Essentia*, q. 1, n. 5 (ed. H. Laurent, O.P., pp. 6-7); Ioannes a S. Thoma, *Logica*, II P., q. 27, a. 1 (ed. B. Reiser, O.S.B., t. I, pp. 822-830); I. M. Ramírez, *De ipsa philosophia in universum*, apud «La Ciencia Tomista», 26 (1922), pp. 341-348; 29 (1924), pp. 48-57 [et in hac editione, *Opera omnia*, I, pp. 68-77, 169-180].

lum aut quadrilaterum aut pentagonum, vel molem totam et partes eius ut *mensurabiles.*

Iam vero tam *figura* quam *mensura* habent rationem *formae*; quia figura est «*forma* quanti in quantum huiusmodi»[1]; et mensura est *ratio* quaedam, quae formae est vel ad formam vel secundum formam et actum fit, nam *mensura mensurat in genere causae formalis.*

Id quod maxime accidit in quantitate *discreta,* quae tota est in mensuratione multitudinis sive numeri per unitatem; unde et numerus definitur: «multitudo *mensurata* per unum»[2]; et per ultimam unitatem habet speciem: «est enim *per se unum* numerus, in quantum *ultima unitas* dat numero *speciem et unitatem, sicut* etiam in rebus compositis ex materia et forma *per formam* est aliquid unum [per se] et *unitatem et speciem* sortitur[3]. Qua de causa, vere et profunde dictum est quod Mathematica non considerat nisi causam *formalem* proprii obiecti qua talis, quod est quantitas dimensiva, et quod non demonstrat nisi per causam *formalem*[4]: mensura

---

[1] I, 7, 3c versus finem. «Terminus quantitatis est sicut *forma* ipsius; cuius signum est quod *figura,* quae consistit in terminatione quantitatis, est quaedam *forma circa quantitatem*» (I, 7, 1 ad 2).

Quin etiam *figura* connaturalis ipsius corporis physici, presertim animati, cum sit essentialiter *qualitas, forma* quaedam accidentalis est omnino respondens formae substantiali eius sicut primae radici. Unde S. Thomas: «*figura corporis est ex anima*» (*De Spiritualibus creaturis,* 4 ad 9); et ideo «*figura* est *quasi certum signum* ostendens unitatem et differentiam *speciei*» (*In II Sent.,* d. 16, 1, 1c): « *signum* autem *speciei* in rebus corporeis *maxime* videtur esse *figura*; videmus enim quod diversorum animalium secundum speciem sunt diversae figurae; (I, 35, 1c). Et alio in loco: «inter *omnes* qualitates, *figurae maxime* consequuntur et demonstrant *speciem* rerum. Quod *maxime in plantis et animalibus* patet, *in quibus nullo cerciori indicio diversitas specierum diiudicari potest quam diversitate figurarum*: et hoc ideo, quia sicut quantitas propinquissime se habet ad substantiam inter alia accidentia, ita *figura,* quae *qualitas circa quantitatem, propinquissime se habet ad formam substntialem*» (*In VIII Physic.,* lect. 5, n. 5).

[2] *In I Sent.,* d. 24, 1, 3 ad 3; I, 7, 4c; 11, 2c.

[3] *In VIII Metaph.,* lect. 3, n. 1.725.

[4] S. THOMAS, *In librum Boetii de Trinitate,* 6, 1c: «in scientiis enim *mathematicis* proceditur *per ea tantum quae sunt de essentia rei,* cum demonstrent *solum per causam formalem*; et ideo non demonstratur

enim mensurat formaliter, idest per seipsam ut est. Homo siquidem mensurans applicat efficienter mensuram mensurato, v. gr., ulnam ligno, eam ligno superponendo et coaptando; at ipsa ulna vel mensura mensurat lignum formaliter.

Id ergo quod formale est in quantitate mathematica non est materialitas quantitatis vel dimensionis, sed formalitas *mensurabilitatis,* quae essentialiter fit secundum genus causae *formalis. Causa autem formalis est ipsa forma, quae quantitas quaedam virtualis sive perfectionis est.* Abstrahendo igitur hanc perfectionis quantitatem ab omni connotatione materiae, etiam imaginabili et intelligibili, per abstractionem formalem *puram* —nam abstractio formae ab *omni* materia est abstractio *formalis pura*— habetur quantitas virtualis *pura* formae separabilis vel separatae ab omni materia et corporeitate, *quae est ipsa quantitas transcendentalis et metaphysica.*

118. Denique tam magnitudo quam multitudo sunt essentialiter quoddam *totum*: totum autem idem est ac perfectum. «Definitur enim unumquodque totum esse *cui nihil deest,* sicut dicimus hominem totum aut arcam totam *quibus nihil deest eorum quae debent habere*» [1]. Et haec eadem est definitio *perfecti*: cui nihil deest eorum quae debet habere [2]; «*perfectum* secundum *naturam* dicitur *cui non deest aliquid eorum quae nata sunt haberi a natura illa,* sicut intellectum hominis dicimus perfectum, non quod nihil ei intelligibilium desit sed quia nihil ei deest eorum per quae homo natus est inteigere» [3]. Unde concludit S. Thomas: «totum et perfectum *idem est*» [4]. *Formale* igitur magnitudinis et multitudinis est *ratio per-*

---

in eis aliquid de una re per aliam rem, sed *per propriam definitionem illius rei*». Cf. etiam *ibid.*, q. 5, a. 5 ad 7.

[1] *In III Physic.*, lect. 11, n. 4. Cf. *in V Physic.*, lect. 7, n. 5; *in I de Caelo et Mundo,* lect. 2, n. 8.

[2] II-II, 184, 2c.

[3] *De Caritate,* 10c.

[4] *In III Sent.*, d. 27, 3, 4c, n. 233. Cf. etiam *in V Metaph.*, lect. 18, nn. 1.033-1034; lect. 19, n. 1.044; *in X Metaph.*, lect. 5, nn. 2.027-2.028.

fecti et completi, quae plene ac proprie salvatur in quantitate virtutis sive *perfectionis*; immo et multo magis et purius quam in toto et perfecto corporali et quantitativo. Quo in sensu S. Thomas profunde dixit: «magnitudo, secundum rationem *generis* sui, quod est quantitas [dimensiva continua] est conditio *materiae,* et secundum hoc non praedicatur de Deo [et de aliis incorporalibus et immaterialibus]; sed secundum rationem *differentiae* suae, quae, consistit in ratione *completionis,* prout dicimus aliquem ex parvo fieri magnum quando attingit *completam* quantitatem» [1]: «*magnitudo* enim Dei nihil est aliud quam *perfectio* naturae ipsius» [2].

119. Consequenter, sicut est duplex unitas, scilicet una mathematica et praedicamentalis quae est principium numeri, et alia metaphysica seu transcendentalis quae convertitur cum ente; ita etiam datur duplex multitudo et duplex magnitudo, nempe una mathematica sive praedicamentalis et alia metaphysica seu transcendentalis: et «multitudo sic accepta *hoc modo* se habet ad multa de quibus praedicatur, *sicut* unum quod convertitur cum ente ad ens» [3]; et similiter magnitudo transcendentalis ita se habet ad quantitatem transcendentalem sicut magnitudo praedicamentalis ad praedicamentalem. Eodemque iure datur «duplex *divisio*: una *materialis,* quae fit secundum divisionem continui» seu quantitatis dimensivae, quae corporalium tantum est; alia «*formalis,* quae fit per oppositas vel diversas *formas*» correspondentes quantitati transcendentali, et ad hanc divisionem sequitur multitudo quae non est in aliquo genere, sed est de transcendentibus, secundum quod ens dividitur per unum et multa» [4]. Et similiter est duplex contactus: unus molis

---

1 *In I Sent.*, d. 19, 3, 1 ad 1. Cf. etiam *De Pot.*, 9, 7 ad 7.
2 I. 42, 4c.
3 I, 30, 3c; 11, 1-2.
4 I, 30, 3c; *De Pot.*, 9, 7c; 3, 16 ad 3; *in I Sent.*, d. 24, 1, 3 ad 3.

seu quantitatis dimensivae, et alius virtutis sive quantitatis transcendentalis[1].

Sicut ergo unum transcendentale non circumscribitur ad unum genus ut unum praedicamentale quod circumscribitur ad praedicamentum quantitatis *reductive ut principium numeri,* sed circuit omne ens et vagatur per omnia entia; ita etiam multitudo sive numerus transcendentalis, et magnitudo, et divisio seu distinctio, et contactus, et mensuratio essentialis intrinseca, quae ad unum transcendentale consequuntur. Et sicut unitas transcendentalis non dicitur metaphorice sed proprie de rebus spiritualibus et divinis, ita etiam cetera in ea fundata vel ei qua tali correspondentia. Tam ergo proprie dicitur de incorporalibus et divinis quantitas virtutis sicut quantitas molis dicitur de corporalibus.

120. Neque tamen translatio sive ampliatio nominis ab unitate vel pluralitate corporali seu praedicamentali ad unitatem vel pluralitatem vel quantitatem spiritualem seu transcendentalem est per veram metaphoram, sed per puram abstractionem formalem; ac dein, per analogiam proportionalitatis propriae, quantitas virtualis, sic formaliter abstracta, extenditur ad diversas quantitates virtuales creatas, ac finaliter ad ipsam divinam perfectionem. Non enim iudicandum est de formali significatione reali et metaphysica alicuius nominis secundum id a quo nomen imponitur, sed secundum id ad quod principaliter et formaliter significandum est impositum, iuxta illud S. Thomae: «iudicium de nomine non debet sumi secundum hoc a quo imponitur, sed secundum id ad quod significandum instituitur»[2]; «et ideo quandocumque aliquid secundum suum genus dicit imperfectionem et secundum differentiam, perfectionem, illud invenitur in Deo quantum ad rationem differentiae et non quantum ad

---

[1] Cf. *In I Sent.*, d. 37, 3, 1c; *Quodlib.* 11, 1c; *III Contra Gent.*, cap 68, arg. 2; I, 8, 2 ad 1; 52, 1c; 75, 1 ad 3.
[2] *In I Sent.*, d. 23, 2c. Cf. I, 13, 2 ad 2.

rationem generis: sicut scientia non est in Deo quantum ad rationem habitus vel qualitatis, quia sic habet rationem accidentis, sed solum secundum id quod complet rationem scientiae, scilicet cognoscitivum certitudinaliter aliquorum»[1]. Et hoc modo *lux* dicitur proprie et non pure metaphorice de luce spirituali et intelligibili, in quantum lux formaliter et principaliter significat «omne illud quod facit manifestationem secundum quamcumque cognitionem»[2]; et similiter nomen *visionis*[3], et nomen verbi[4], et nomen generationis[5], et nomen processionis[6], et alia sexcenta.

In quantum ergo nomen quantitatis physicae et mathematicae important formaliter et principaliter totalitem et perfectionem intensivam, quae est ipsa quantitas virtualis, licet materialiter et secundario nominent extensionem partium extra partes, proprie et non mere metaphorice dicitur quantitas de perfectione pure intensiva sive de quantitate perfectionis incorporalium et spiritualium, dempta et abstracta imperfectione corporeitatis et extensionis, quae quantitati convenit, non ut est quantitas sed ut est quantitas corporalis. Et hoc est quod Metaphysica directe et formaliter considerat, utpote abstrahens abstractione formali pura ab omni materia et corporeitate. *Imponit* igitur Metaphysicus nomen quantitatis et unius et divisionis et multitudinis et magnitudinis rebus spiritualibus et intelligibilibus *ex* quantitate et unitate et divisione et multitudine et magnitudine sensibili (=physica) et imaginabili (=mathematica) «propter connaturalitatem intellectus nostri ad res corporales, quae sub [sensu et] imaginatione cadunt»[7] ideoque primo cog-

---

[1] *In I Sent.*, d. 4, 1, 1c.

[2] I, 67, 1c. Cf. *in Evangelium secundum Ioannem*, cap. 1, lect. 3, ed. Marietti, p. 25b. Videatur etiam D. BÁÑEZ, O.P., in I, 67, 1, ed. Venetiis 1591, col. 163-166.

[3] *In III Sent.*, d. 24, 2, qla. 1, nn. 46-50.

[4] *De Verit.*, 4, 1; I, 4, 1.

[5] *In I Sent.*, d. 4, 1, 1c.

[6] *In I Sent.*, d. 13, 1c.

[7] I-II, 52, 1c.

noscimus; materialitatem tamen et limitationem praedicamentalem quantitatis corporeae transcendens per abstractionem formalem qua proprium obiectum attingit, nomina haec apud ipsum important formaliter et proprie quantitatem perfectionis formarum, essentiarum et actuum, quae est ipsa quantitas metaphysica et transcendentalis. Unde iterum S. Thomas: «*virtualis* quantitas non est *ex genere* suo quantitas, quia non dividitur divisione essentiae suae...; sed *ex genere suo* est vel *forma* accidentalis in genere qualitatis vel *forma substantialis*»[1].

Itaque fundamentum relationis aequalitatis, vel inaequalitatis, et consequenter rationis et proportionis, vere et proprie multoque perfectius salvatur in formis et essentiis et perfectionibus incorporeis, quae sunt ipsa quantitas virtualis, quam in ipsa quantitate corporea physica et mathematica, quantum ad id quod vere essentiale et formale est in quantitate.

121. *Similiter et relatio ipsa rationis et proportionis fundata super quantitate*, iuxta illud S. Thomae: «nomina, quae significant *passiones* quantitatis [praedicamentalis] *per se, transferuntur etiam ad alia quam ad quantitates* [praedicamentales]; dicitur enim *albedo magna et parva*, et alia huiusmodi»[2]. Constat autem quod «*passiones* numerorum... sunt commensuratio, *proportio* et huiusmodi»[3]. Consequenter, «quia *proportio* est quaedam *habitudo quantitatum* ad invicem; *ubicumque dicitur quantum aliquo modo, ibi potest dici proportio*»[4]. Nimirum sicut relationes rationis et proportionis resultant ex quantitate praedicamentali ut mensurata vel mensurabili; ita relationes rationis et proportionis resultare debent ex quantitate virtuali ut mensurata vel mensurabili, idest ut cognita vel cognoscibili; nam mensurare est cognoscere, ut patet ex dictis.

---

1 *In I Sent.*, d. 17, 2, 1c.
2 *In V Metaph.*, lect. 15, n. 982.
3 *In V Metaph.*, lect. 17, n. 1.021.
4 *In librum de Sensu et Sensato*, lect. 7, n. 98.

Et quidem non in sensu metaphorico, sed in sensu vero et proprio: tum quia talis est relatio quale est eius fundamentum, et constat ex modo dictis quantitatem transcendentalem esse vere et proprie quantitatem quoad id quod essentiale et formale est in quantitate; tum etiam quia relatio qua talis non ligatur quantitati corporali, sed corporalia transcendit, et ideo in sensu proprio dicitur de spiritualibus creatis et de ipso Deo [1].

Haec tamen relatio non est univoce et uniformiter intelligenda cum relatione quantitatis praedicamentalis, sed analogice sive proportionaliter; quia talis est relatio quale est eius fundamentum: quantitas autem molis (=praedicamentalis) et quantitas virtutis (=transcendentalis) non conveniunt univoce, sed analogice.

122. Iam vero quod in quantitatibus est *commensuratio* sive coaequalitas, in formis est *conformitas*: quae, si sint *accidentales*, idest qualitates, dicitur proprie *similitudo*[2]. Utrobique tamen utimur promiscue nomine aequalitatis et similitudinis, inaequalitatis et dissimilitudinis, sicut utimur nomine quantitatis prout hoc nomen commune est analogice ad quantitatem molis et ad quantitatem virtutis; nam aequalia sunt similia in quantitate, et perfecte similia sunt aequalia in qualitate [3]. Consequenter, sicut ratio mathematica est relatio aequalitatis vel inaequalitatis duarum quantitatum dimensivarum, ita ratio metaphysica et transcendentalis est relatio aequalitatis duarum quantitatum virtualium, idest formarum vel actuum vel perfectionum; et sicut proportio sive

---

[1] *In I Sent.*, d. 8, 4, 3c. circa finem.

[2] «*Conformitas* est convenientia in forma una, et sic idem est quod similitudo, quam causat unitas qualitatis» (*In I Sent.*, d. 48, 1c); «*similitudo* attenditur secundum convenientiam vel communicationem in *forma*» (I, 4, 3c). Se habent enim similitudo et dissimilitudo ad qualitatem sicut aequalitas et inaequalitas ad quantitatem: nam sicut unitas quantitatis fundat relationem aequalitatis et diversitas relationem inaequalitatis, ita unitas qualitatis fundat relationem similitudinis et diversitas relationem dissimilitudinis.

[3] Cf. *in I Sent.*, d. 19, 1, 1 ad 1-4; I, 4, 3; I, 42, 1.

analogia mathematica est relatio aequalitatis vel inaequalitatis quatuor vel plurimum quantitatum dimensivarum, ita proportio sive analogia metaphysica est relatio aequalitatis quatuor vel plurium quantitatum virtualium: et sicut ratio et proportio mathematica important *cognitionem* quantitatis praedicamentalis per mensurationem corporalem dimensivam, ita ratio et proportio metaphysica involvunt *cognitionem* quantitatis transcendentalis per mensurationem spiritualem intensivam.

123. At est ulterius considerandum quod, cum quantitas dimensiva sit unum speciale praedicamentum sive *genus* entis, tam ratio quam proportio mathematicae habentur essentialiter inter quantitates *homogeneas* tantum; quantitas vero perfectionis seu virtutis, eo ipso quod transcendit quantitatem praedicamentalem et vagatur aut vagari potest *per omnia* entia, fundat relationes rationis et proportionis eiusdem amplitudinis: et ideo ratio et proportio sive analogia metaphysicae, non solum habentur inter quantitates virtuales *eiusdem generis*, v. gr., inter diversos sensus et diversa sensibilia, ut si dicamus: ita se habet auditus ad sonos sicut se habet visus ad colores; verum etiam inter quantitates virtuales *diversi generis*, dummodo conveniant in aliquo *ordine*, ex. gr., inter sensum et intellectum, ut si dicamus: ita se habet intellectus ad intelligibile sicut sensus ad sensibile; vel inter substantiam et accidens, ut cum dicimus: ita se habet accidens ad suum esse sicut substantia ad suum.

Quam ob rem S. Thomas, ex illa Gennadii auctoritate in libro *De ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 15 (ML. 42, 1.216): «neque duas in homine animas dicimus, ...unam animalem quae corpus vivificet, ...aliam spiritualem quae rationem ministret», iure argumentatur: «*sicut* homo est in genere animalis, *ita* est in genere animati corporis et corporis et substantiae. Sed per unam et eamdem formam, quae est anima, est homo et animal, ut ex praedicta auctoritate patet. Ergo *eadem ratione* per unam et

rioribus [sub eodem genere supremo, quod est substantia]; et sic non praeexsistit ante animam aliqua forma in materia»[1].

Quae cum ita sint, iure meritoque Aristoteles scripsit: τάξις δὲ πᾶσα λόγος, omnis ordo est ratio[2]. Et alibi: ἐν ἑκάστῃ γὰρ τοῦ ὄντος κατηγορίᾳ ἐστὶ τὸ ἀνάλογον[3], analogia circuit omnes categorias entis.

124. Et inde est quod in mathematicis *semper* dari potest proportio *continua,* quia *semper* est inter quantitates *homogeneas* perfecte commensuratas; non autem in metaphysicis et theologicis; quia quantitates virtuales, inter quas fit proportio, aut sunt *diversi generis,* aut non sunt perfecte homogeneae et commensuratae. Ut enim egregie scribit S. Thomas, «illa *continuari* possunt quorum *ultima* contingit esse *unum,* quod est de *ratione continui.* Sed quaedam sunt quae nulla ultima habent, ut *formae* et indivisibilia omnia; et ideo eorum non potest esse continuatio... Ex quo patet quod *ea quae sunt diversorum generum vel specierum non possunt continuari ad invicem*»[4]. Et propter hoc proportio geometrica, quae medium constituit *iustitiae distributivae,* «*non potest esse continua,* quia ex una parte sunt *res* et ex alia parte sunt *personae* [quae genere et specie differunt]; *et ita non potest accipi aliquid quasi terminus communis,* quod sit persona *cui* datur et res *quae* datur»[5].

Ideo sophisticum est istud argumentum; sicut se habet natura ad gratiam ita se habet gratia ad gloriam. Atqui gloria datur secundum mensuram gratiae. Ergo et gratia datur secundum mensuram naturae.

Falsa est enim *Maior*; quia non est eadem ratio naturae ad gratiam et gratiae ad gloriam: gratia enim et

---

1 *Quaest. disp. De spiritualibus creaturis,* a. 3, arg. 1, sed contra.
2 ARISTOTELES, *VIII Physicorum,* cap. 1, l. 15, II, 344, 12-13. Quod S. Thomas vertebat et interpretabatur: «omnis autem ordo *proportio* quaedam est» (Ad h. l., lect. 3, n. 3).
3 *XIII Metaph.,* cap. 6, n. 8, II, 637, 52.
4 S. THOMAS, *In V Physic.,* lect. 7, n. 2.
5 *In V Ethic. Nicom.,* lect. 5, n. 945.

gloria perfecte commensurantur, quia sunt eiusdem generis et ordinis; dum e contra natura et gratia non sunt commensurabiles, quia sunt diversi generis et ordinis. Unde S. Thomas nervose respondet: «gratia et gloria ad *idem genus* referuntur, quia gratia nihil est aliud quam quaedam inchoatio gloriae in nobis; sed caritas [=gratia] et natura *non pertinent ad idem genus, et ideo non est similis ratio*»[1]: et tamen similitudo rationum comparatarum est de ratione analogiae.

125. Sequitur etiam ex eadem radice quod in mathematicis *semper* dari potest proportio *commutata*; at in metaphysicis et theologicis *non semper*, sed solum quando fit inter quantitates virtuales eiusdem generis perfecte commensuratas, ut sunt proprius actus et propria potentia, vel propria causa et proprius effectus; non autem si fiat inter quantitates virtuales diversi generis aut non perfecte commensuratas, etiamsi eiusdem generis sint, ut sunt fere omnes proportiones sive analogiae metaphysicae et theologicae.

Ut enim profunde scribit S. Thomas, «esse proportionale *commutabiliter* convenit numeris et lineis et firmis, idest corporibus, et temporibus»[2], nempe quantitatibus dimensivis seu praedicamentalibus per se, et suo etiam modo quantitatibus praedicamentalibus per accidens, ut sunt motus et tempus.

Et alio in loco: «*proportio* autem *commutata non tenet in omnibus*, sed in numeris et magnitudinibus, ut dicitur in I Posteriorum»[3].

Rursus: «*spirituale* non potest esse instrumentum rei *corporalis* sicut e converso; et ideo *non tenet in proposito proportio commutata*»[4].

Tandem: «cum gratia sit perfectio naturae, non sic se habet gratia ad naturam sicut e converso. *Commutata*

---

1 II-II, 24, 3 ad 2.
2 *In I Post.*, lect. 12, n. 8.
3 *In III Sent.*, d. 34, 2, 3 qla. 1 ad 1, n. 248.
4 *De Verit.*, 27, 7 ad 4.

autem *proportio non in omnibus tenet, sed in mensuris continuis vel discretis*» [1].

126. Quod si inter quantitates virtuales eiusdem generis vel ordinis sit perfecta commensuratio, tunc nihil impedit quominus inter eas dari valeat proportio commutata. «In proportione enim *commutata* requiruntur quatuor termini, ita quod inter duos et duos sit habitudo aliqua *essentialis* [et intrinseca], vel sicut effectus [proprius] ad causam [propriam], vel sicut proprietatis ad subiectum, vel e converso; et *sicut* fit comparatio causae ad effectum vel subiecti ad passionem propriam, *ita* fiat effectus unius causae ad aliam vel passionis unius subiecti ad aliud et converso: v. gr., sicut se habet risibile ad hominem ita hinnibile ad equum, et *permutatur* proportio: sicut risibile ad equum ita hinnibile ad hominem» [2].

Eodem modo recte dicimus: sicut se habet sensus ad sensibile ita se habet intellectus ad intelligibile; et permutando proportionem: sicut se habet sensibile ad intelligibile ita se habet sensus ad intellectum. Agitur enim de proportione inter duas rationes perfecte commensuratas sensus ad proprium sensibile et intellectus ad proprium intelligibile, quia inter propriam potentiam et proprium obiectum est perfecta et essentialis commensuratio.

Similiter, ut acute disserit Ferrariensis, «sicut actus *potentiae* est *agere*, cum potentia sit agens *quo*, agens autem *sit* agens per ipsum *agere*; ita *essentiae* actus est *esse*, cum omne quod *est* ens *sit* ens per ipsum *esse*. Ex quo sic arguitur: sicut se habet potentia ad agere, ita essentia ad esse; ergo sicut potentia ad essentiam, ita agere ad esse; ergo, si potentia est idem quod essentia, agere erit idem quod esse.

---

1 *De Verit.*, 29, 8 ad 7.
2 MATTHAEUS DE AQUASPARTA, O.F.M., *Quaestiones disputatae de Gratia*, q. 6 ad 13, ed. V. Doucet, O.F.M., p. 166. Quaracchi 1935.

Et si diceratur quod *commutata* proportio *tenet tantum in numeris et magnitudinibus*, ut dicitur III Sent., d. 24, 2, 3, qla. 1 ad 1, et de Verit., q. 9, a. 8 ad 7, *respondetur* quod utique verum est commutatam proportionem regulariter tenere tantum in quantitatibus, quia *in aliis formaliter non tenet*; in aliquibus tamen aliis tenet *gratia materiae*. Et sic tenet in proposito. Oportet enim, si agere est actus potentiae sicut esse est actus essentiae, quod, si potentia idem est quod essentia, quod ipsum agere sit etiam actus essentiae. Actus autem essentiae est esse. Ipsum igitur agere erit ipsum esse.

Ubi advertendum est quod eamdem comparationem dicitur habere agere ad potentiam quam habet esse ad essentiam; quia sicut esse est actus *formalis* ex quo ens habet ut sit ens, ita agere est actus *formalis* ex quo agens habet quod sit agens. Est tamen *differentia* in hoc, quod esse est *intrinsecum* enti; agere autem quod est transiens *non est intrinsecum* agenti, sed est actus ab agente actualiter dependens» [1].

Aliis verbis: salvatur hic proportio *commutata*, quia *agere* est *proprius* actus potentiae agentis ut agens est, sicut *esse* est *proprius* actus essentiae ut ens est; et ita propria potentia ad proprium agere et propria essentia ad proprium esse comparantur ut propria potentia ad proprium actum: facultas quidem operativa ad proprium agere, in esse dynamico sive operativo; essentia vero ad proprium esse, in esse entitativo; utrobique tamen habetur perfecta commensuratio propriae potentiae ad proprium actum secundum modum et ordinem suum: hinc operativum, inde entitativum. Non enim proportio commutata datur inter quantitates dimensivas ex eo praecise quia dimensivae seu corporales sunt, sed ex eo quod sunt *homogeneae et perfecte commensurabiles per quandam adaequationem*: ubicumque ergo datur homogeneitas inter quantitates comparatas vel saltem perfecta commen-

---

1 FERRARIENSIS, *In II Contra Gentiles*, cap. 9, n. III, ed. leon., t. 13, p. 285b.

suratio et coaptatio, ibi datur vel dari potest proportio *commutata*, licet illae quantitates sint virtuales tantum et spirituales. Ideo S. Thomas profunde dixit: «*commutatim* proportionari non convenit quantitati in quantum est quantitas, sed in quantum est comparata alteri quantitati *secundum proportionalitatem* quamdam» perfectam per modum *exactae commensurationis* [1]. Et magis ad rem in alio loco: «sicut se habet essentia ad esse ita posse ad agere. Ergo *permutatim*, sicut se habent esse et agere ad invicem ita se habent potentia et essentia. Sed in solo Deo idem est esse et agere. Ergo in solo Deo idem est protentia et essentia. Anima ergo non est suae potentiae» [2].

127. Plerumque tamen inter quantitates virtuales comparatas non datur perfecta commensuratio per adaequationem absolutam, sed imperfecta tantum et relativa et proportionalis commensuratio apprimae respondet significationi verbi ἀναλογία, ut patet ex supra dictis. Unde et accuratissima significatio huius nominis plene et perfecte salvatur in proportionibus stricte metaphysicis et theologicis inter quantitates virtuales *diversi quidem generis, sed eiusdem ordinis.*

128. Quae cum ita sint, apparet quanta dexteritate et perspicacitate S. Thomas transivit per simplicem abstractionem formalem metaphysicam a proportione sive analogia univoca et mathematica ad proportionem sive analogiam metaphysicam et transcendentalem, dum scribit: «*proportio* dicitur *dupliciter. Uno modo* idem est proportio quod *certitudo mensurationis duarum quantitatum* [*praedicamentalium*]; et talis proportio non potest esse nisi *duorum finitorum*, quorum unum alterum excedit secundum aliquid *certum et determinatum. Alio modo* dicitur proportio *habitudo ordinis* [inter plures quantitates virtuales seu transcendentales]; sicut dici-

[1] *In I Post.*, lect. 12, n. 8.
[2] *Quaestio disp. De anima*, a. 12, arg. 1 sed contra.

mus esse proportionem inter materiam et formam, quia materia se habet in *ordine* ut perficiatur per formam: et hoc secundum *proportionalitatem* quamdam, quia sicut forma potest *dare* esse ita materia potest *recipere* idem esse. Et hoc modo etiam movens et motum debent esse proportionalia, et agens et patiens, ut scilicet sicut agens potest *imprimere* aliquem effectum ita patiens possit *recipere* eumdem.

Nec oportet ut commensuretur [=perfecte adaequetur] potentia *passiva* recipientis ad potentiam *activam* agentis: *nec secundum numerum,* sicut unus artifex per artem suam potest inducere *plures* formas ut formam arcae et formam serrae, sed lignum non potest recipere nisi unam illarum; *nec etiam secundum intentionem,* quia artifex per artem suam *potest producere pulchram* sculpturam, quam tamen lignum nodosum *non potest pulchram recipere.*

Et ideo non est inconveniens ut *hic modus proportionis inter Deum et creaturam* salvetur, quamvis in infinitum distent: et ideo possibilis est *unio* utriusque»[1].

Et alibi: «proportio secundum *primam* nominis institutionem significat *habitudinem quantitatis ad quantitatem* secundum aliquem *determinatum* excessum vel adaequationem, sed *ulterius* est traslatum ad significandum *omnem habitudinem cuiuscumque ad aliud*: et per hunc modum dicimus quod materia debet esse proportionata ad formam. Et hoc modo nihil prohibet intellectum nostrum, quamvis sit *finitus,* dici proportionatum ad videndum essentiam *infinitam*: non tamen ad comprehendendum eam, et hoc propter suam immensitatem»[2].

«Proportio, ait alio in loco, *proprie* loquendo nihil est *aliud* quam *habitudo quantitatis ad quantitatem,* sicut quod *aequalis* sit una alteri vel tripla; et *exinde* translatum est nomen proportionis ut *habitudo cuiuslibet rei ad rem alteram* proportio nominetur, sicut dicitur ma-

---

[1] *In III Sent.*, d. 1, 1 ad 3, n. 19.
[2] *In IV Sent.*, d. 49, 2, 1 ad 6.

teria esse proportionata formae in quantum se habet ad formam ut materia eius, *non considerata aliqua habitudine quantitatis* [dimensivae]: et similiter intellectus creatus est proportionatus ad videndam divinam essentiam, in quantum se habet ad ipsam *quodammodo* ut ad formam intelligibilem; quamvis secundum quantitatem virtutis [quae utrique suo modo convenit] nulla possit esse proportio [per adaequatam commensurationem], *propter distantiam infinitam*»[1]. «Quamvis autem propter hoc quod a Deo in infinitum distet non possit esse ipsius ad Deum proportio secundum quod proportio *proprie* in quantitatibus [dimensivis] invenitur comprehendens duarum quantitatum ad invicem comparatarum *certam mensuram*, secundum tamen quod nomen proportionis *translatum est ad quamlibet habitudinem significandam unius rei ad rem aliam*, utpote cum dicimus esse proportionum similitudinem sicut se habet princeps ad civitatem ita gubernator ad navim, nihil prohibet dicere aliquam proportionem hominis ad Deum, *cum in aliqua habitudine se habeat ad ipsum*, utpote ab eo effectus vel ei subiectus»[2].

Rursus: «spiritualis ad corporale non est quidem proportio, *proprie* proportione accepta, secundum *determinatam habitudinem quantitatis ad quantitatem*, vel dimensivae ad dimensivam *vel* virtualis ad virtualem, sicut duo corpora ad invicem sunt proportionata secundum *dimensionem et virtutem*; virtus enim spiritualis *non est eiusdem generis* cum virtute corporali. *Large* tamen accepta proportione *pro qualibet habitudine*, sic est aliqua proportio spiritualis ad corporale, per quam spirituale *naturaliter* agere potest in corporale, quamvis non e converso, nisi divina virtute»[3].

Item: «proportio nihil aliud est quam *habitudo duorum ad invicem convenientum in aliquo, secundum quod*

---

[1] *De Verit.*, 8, 1 ad 6.
[2] *De Verit.*, 23, 7 ad 9.
[3] *De Verit.*, 26, 1 ad 7.

conveniunt aut differunt. Possunt autem intelligi aliqua esse convenientia *dupliciter*. *Uno modo* ex hoc quod conveniunt *in eodem genere quantitatis vel qualitatis*, sicut habitudo superficiei ad superficiem aut numeri ad numerum, in quantum unum excedit aliud vel aequatur rei; vel etiam caloris ad calorem: et sic nullo modo potest esse aliqua proportio inter Deum et creaturam, *cum non conveniant in aliquo genere*. *Alio modo* possunt intelligi convenientia, ita quod conveniant *in aliquo ordine*; et sic attenditur proportio inter materiam et formam, faciens et factum: et talis proportio requiritur inter cognoscentem et cognoscibile, cum cognoscibile sit quasi actus potentiae cognoscentis; et sic est proportio creaturae ad Deum ut causati ad causam et cognoscentis ad cognoscibile. Sed secundum infinitum excessum Creatoris super creaturam non est proportio creaturae ad Creatorem ut recipiat influentiam eius secundum *totam* virtutem eius, neque ut ipsum *perfecte* [=adaequate, comprehensive, totaliter] cognoscat sicut ipse seipsum perfecte cognoscit»[1].

Praeterea: «si proportio secundum *commensurationem* accipiatur, non potest esse angeli ad corpus proportio, cum eorum magnitudines non sint *unius generis* nec *rationis eiusdem*; nihil tamen prohibet quin sit *aliqua habitudo* angeli ad corpus ut motoris ad motum et figurati ad figuram, quae proportio dici potest»[2]. «Si proportio intelligatur aliquis *determinatus* excessus, nulla est Dei ad creaturam proportio; si autem per proportionem intelligatur *habitudo sola*, sic patet quod est inter Deum et creaturam: in creatura quidem realiter, non autem in Creatore»[3].

Insuper: «proportio dupliciter dicitur. Uno modo *proprie*, secundum quod importat quemdam *determinatum* excessum, et sic proportio requiritur inter intellectum et

---

1 *In librum Boetii de Trinitate*, 1, 2 ad 3.
2 *De Pot.*, 6, 7 ad 6.

intelligibile ad hoc quod sit cognitio *cum comprehensione*, qualiter divina essentia nunquam videbitur ab intellectu creato. Alio modo dicitur *communiter pro qualibet habitudine*, et sic infinitum potest habere proportionem ad finitum si sit perfectio eius vel *aliquam* huiusmodi *habitudinem* habeat ad ipsum; et talis proportio sufficit ad hoc quod intellectus noster *videat* divinam essentiam *attingendo*. non comprehendendo»[1].

Ad haec: «proportio autem intellectus creati est quidem ad Deum intelligendum, non secundum *commensurationem* aliquam proportione exsistente, sed secundum quod proportio significat *quamcumque habitudinem unius ad alterum*, ut materiae ad formam, vel causae ad effectum. Sic autem nihil prohibet esse proportionem creaturae ad Deum secundum *habitudinem* intelligentis ad intellectum, sicut et secundum *habitudinem* effectus ad causam»[2].

Denique: «proportio dicitur *dupliciter*. Uno modo, *certa habitudo unius quantitatis ad alteram*, secundum quod duplum, triplum et aequale sunt species proportionis. Alio modo, *quaelibet habitudo unius ad alterum* proportio dicitur; et sic potest esse proportio creaturae ad Deum, in quantum se habet ad ipsum ut effectus ad causam aut potentia ad actum: et secundum hoc intellectus creatus proportionatus esse potest ad cognoscendum Deum»[3].

Et haec quidem quantum ad *simplicem rationem*, quam S. Thomas, sicut ceteri antiqui scholastici, appellat *proportionem*, ob causam supra indicatam[4].

129. Idem proportionaliter fecit respectu *rationis comparatae*, quam ipse nominat *proportionalitatem*, at revera est proportio stricto et proprio sensu. Docuerat

---

[1] *Quodlibetum X*, 8, 1 ad 1.
[2] *III Contra Gent.*, cap. 54 in fine.
[3] I, 12, 1 ad 4.
[4] *Supra*, nn. 28-29.

Aristoteles: ἔστιν ἄρα τὸ δίκαιον ἀναλογόν τι. Τό γὰρ ἀνάλογον οὐ μόνον ἐστὶ μοναδικοῦ ἀριθμοῦ ἴδιον, ἀλλ'ὅλως ἀριθμοῦ [1] Quae verba sic exponit S. Thomas: «non inconvenienter iustum dicitur esse secundum proportionalitatem; quia proportionalitas non solum invenitur in numero unitatum qui est numerus simpliciter et hic vocatur numerus monadicus [=numerus mathematicus seu praedicamentalis], sed *universaliter invenitur proportionalitas in quibuscumque invenitur numerus*, [scilicet tam in numeris numeratis praedicamentalibus quibuscumque quam in numeris transcendentalibus]. Et hoc ideo, quia proportionalitas nihil est aliud quam aequalitas proportionis, cum scilicet aequalem proportionem habet hoc ad hoc et illud ad illud. Proportio autem nihil est aliud quam habitudo unius quantitatis ad aliam: quantitas autem habet rationem mensurae; quae *primo* quidem invenitur in unitate numerali [praedicamentali], et *exinde derivatur* ad *omne* genus quantitatis, [etiam virtualis seu transcendentalis], ut patet X Metaphysicorum. Et ideo numerus *primo* quidem invenitur in numero unitatum; et *exinde* derivatur ad omne aliud quantitatis genus quod secundum rationem numeri mensuratur»[2].

In proportionibus mathematicis semper requiritur *determinata* distantia sive *determinata* habitudo unius rationis ad aliam, sicut et inter quantitates praedicamentales comparatas in unaquaque ratione; at in proportionibus metaphysicis et transcendentalibus *nulla determinata habitudo* requiritur, sed mera similitudo rationum convenientium hinc et inde in aliquo ordine[3]. «Dicimus enim quatuor esse proportionata duobus, quia sunt eorum dupla; sex vero esse quatuor proportionabilia, quia sicut se habent sex ad tria ita quatuor ad duo. *Similiter* finitum et infinitum quamvis non possint esse proportionata, possunt tamen esse proportionabilia, quia sicut infi-

---

1 *V Ethic. Nicom.*, cap. 3, n. 8, II, 55, 39-41.
2 *In V Ethic. Nicom.*, lect. 5, nn. 938-939.
3 *De Verit.*, 2, 11c et ad 2.

nitum est aequale infinito ita finitum finito; et per hunc modum est similitudo inter creaturam et Deum, quia sicut se habet [Deus] ad ea quae ei competunt ita creatura ad sua propia»[1]. «Talis enim similitudo similiter invenitur in multum vel parum distantibus; non enim est maior similitudo proportionalitatis inter duo et unum et sex et tria quam inter duo et unum et centum et quinquaginta: et ideo finita distantia creaturae ad Deum similitudinem praedictam non tollit»[2].

130. Quae omnia, claritudinis gratia, uno veluti conspectu exhiberi possunt sequenti tabella:

A. RATIO MATHEMATICA *(praedicamentalis)*		RATIO METAPHYSICA *(transcendentalis)*
1 *Certitudo mensurationis* duarum quantitatum praedicamentalium finitarum eiusdem generis.	1 III Sent., d. 1, 1 ad 3	1 *Habitudo ordinis* duarum quantitatum transcendentalium.
2 *Habitudo quantitatis* praedicamentalis *ad quantitatem* praedicamentalem secundum aliquem *determinatum* excessum vel adaequationem.	2 IV Sent., d. 49, 2. 1 ad 6	2 *Omnis habitudo cuiuscumque ad aliud* cum vel sine determinato excessu vel adaequatione.
3 *Habitudo quantitatis ad quantitatem* sicut quod aequalis sint una alteri vel tripla.	3 De Verit. 8, 1 ad 6	3 *Habitudo cuiuslibet rei ad rem alteram non considerata aliqua habitudini quantitatis* praedicamentalis.

1 *De Verit.*, 23, 7 ad 9.
2 *De Verit.*, 2, 11 ad 4.

4	4	4
Certa mensura duarum quantitatum ad invicem comparatarum.	De Verit. 23, 7 ad 9	*Quaelibet habitudo unius rei ad rem aliam.*
5	5	5
Determinata habitudo quantitatis unius corporis *ad quantitatem* alterius corporis: vel dimensivae ad dimensivam, *vel* virtualis ad virtualem.	De Verit. 26, 1 ad 7	*Quaelibet habitudo* unius rei ad aliam rem: *vel* spiritualis ad spiritualem, *vel* spiritualis ad corporalem, vel creaturae ad Creatorem; *item.* naturalis ad naturalem *vel* supernaturalis ad naturalem, vel naturalis ad supernaturalem.
6	6	6
Habitudo duorum ad invicem convenientium *in eodem genere* quantitatis *vel* qualitatis, scilicet quantitatis dimensivae vel virtualis, secundum quod conveniunt vel differunt.	In librum Boethii de Trinitate, 1, 2 ad 3	*Habitudo duorum convenientium in aliquo ordine,* secundum quod conveniunt vel differunt. *Habitudo duorum convenientium in aliquo,* quodcumque illud sit, *secundum quod conveniunt vel differunt.*
7	7	7
Commensuratio duarum quantitatum eiusdem generis eiusdemque rationis.	De Potentia, 6, 7 ad 6	*Aliqua habitudo* duarum rerum, etiam diversi generis diversaeque rationis, dummodo sint aliquo modo eius-

8 *Determinatus excessus* unius quantitatis ad aliam: *vel* dimensivae ad dimensivam, *vel* virtualis ad virtualem.	8 De Potentia, 7, 10 ad 9	8 *Habitudo sola* unius rei ad aliam, sine ullo determinato excessu vel distantia inter eas.
9 *Determinatus excessus* unius quantitatis ad aliam.	9 Quodlib. 10, 8, 1 ad 1	9 *Quaelibet habitudo* cuiuslibet rei ad quamlibet rem.
10 *Commensuratio* duarum quantitatum.	10 III Contra Gent., c. 54	10 *Quaecumque habitudo unius ad alterum.*
11 *Certa habitudo unius quantitatis ad alteram,* secundum aequalitatem vel inaequalitatem.	11 Summa Theol., I, 12, 1 ad 4	11 *Quaelibet habitudo unius ad alterum.*
B. PROPORTIO MATHEMATICA (*praedicamentalis*)		PROPORTIO METAPHYSICA (*transcendentalis*)
1 Aequalitas vel similitudo duarum aut plurium rationum eiusdem *generis.*	1 Cf. in V Ethic., lect. 5, nn. 938-939	1 Aequalitas vel similitudo duarum aut plurium rationum eiusdem *ordinis.*
2 *Certa et determinata* habitudo duarum aut plurium rationum eiusdem *generis.*	2 Cf. De Verit. 2, 11 c et ad 2 et 4; 23, 7 ad 9	2 *Quaelibet habitudo* duarum aut plurium rationum convenientium in aliquo *ordine.*

131. Omnia ergo hucusque dicta simul colligentes, *proportio mathematica* definire potest: *certa et determinata habitudo aequalitatis vel similitudinis plurium rationum mathematicarum, idest quatuor aut plurium quantitatum praedicamentalium eiusdem generis ad invicem comparatarum*, vi cuius ita se habet haec ad hanc sicut illa ad illam.

Proportio vero metaphysica potest hanc suscipere definitionem: *quaelibet habitudo aequalitatis vel similitudinis plurium rationum metaphysicarum, idest quatuor vel plurium quantitatum transcendentalium eiusdem vel diversi generis, dummodo sint aliquo modo eiusdem ordinis, ad invicem comparatarum*, vi cuius ita habet hoc ad hoc sicut illud ad illud et quodcumque ad quodcumque quomodocumque.

Quibus ex amussim correspondent haec verba Caietani: «quamvis autem *proportio* vocetur *certa habitudo* unius *quantitatis* ad aliam, secundum quod dicimus quatuor duplam proportionem habere ad duo; et proportionalitas dicatur *similitudo duarum proportionum*, secundum quod dicimus ita se habere octo ad quatuor quemadmodum sex ad tria, utrobique enim dupla proportio est; — *transtulerunt* tamen philosophi proportionis nomen ad *omnem habitudinem conformitatis, commensurationis, capacitatis*..., et consequente *proportionalitatem* extenderunt ad *omnem similitudinem habitudinum*. Et sic in proposito vocabulis istis utimur»[1].

132. Hanc profundam doctrinam, quae medullam tangit totius Philosophiae Aristotelis et S. Thomae, eminenti modo penetravit divinum ingenium S. Augustini. Hipponensi enim debetur distinctio quantitatis in quantitatem *molis* et in quantitatem *virtutis*[2], ab eoque mu-

---

[1] *De Nominum Analogia*, cap. 3, n. 24, ed. cit., pp. 24-25.

[2] Evodio enim quaerenti: «dic nunc *quanta* sit anima», respondet S. Augustinus: «quomodo quaeris *quanta* sit? Non enim intelligo utrum eius *quasi spatium latitudinis vel longitudinis, vel roboris*, vel horum simul omnium requiras; an *quantum valeat* nosse velis. Solemus enim

tuo acceperunt theologi [1]. Extensionem autem huius nominis ad spiritualia et divina secundum rationem quantitatis virtualis et perfectionis splendide prosequitur hisce verbis: «*neque* enim *mensura* et *numerus* et *pondus* in lapidibus *tantummodo* et lignis atque huiusmodi molibus et quantiscumque *corporalibus* vel terrestribus vel caelestibus animadverti et cogitari potest. Est *etiam mensura* aliquid agendi, ne fiat irrevocabilis et immoderata progressio; et est *numerus* et affectionum animi et virtutum, quo ab stultitiae deformitate ad sapientiae formam decusque colligitur; et est pondus voluntatis et amoris, ubi apparet quanti quidque in appetendo, fugiendo, praeponendo, postponendo pendatur: sed haec animorum atque mentium, et mensura *alia* mensura cohibetur, et numerus *alio* numero formatur, et pondus *alio* pondere rapitur. *Mensura autem sine mensura* est cui aequatur quod de illa est, nec aliunde ipsa est; *Numerus sine numero* est quo formantur omnia nec formatur ipse; *Pondus sine pondere* est quo referuntur ut quiescant, quorum quies purum gaudium est, nec illud iam refertur ad aliud.

Sed *nomina* mensurae et numeri et ponderis quisquis nonnisi *visibiliter, serviliter* novit. *Transcendat* itaque omne quod ita novit; aut si nondum potest, nec ipsis nominibus haereat, de quibus cogitare nisi sordide non potest. Tanto enim cuique ista *in superioribus cara* sunt, quanto ipse minus est *in inferioribus caro.*

Quod si non vult aliquis ea vocabula, quae in rebus infimis et abiectissimis didicit, *transferre* ad illa sublimia quibus intuendis mentem serenare conatur, non est urgen-

---

quaerere *quantus* fuerit Hercules, idest in quot pedes *statura* eius porrecta fuerit: et *item quantus vir fuerit*, idest *quantae potentiae virtutis*» (*De quantitate animae*, cap. 3, n. 4, ML. 32, 1.037).

Et alibi clarius: «neque enim *mole*, sed *virtute* magnus est Deus» (*Epist.* 137 *ad Volusianum*, cap. 2, n. 8. ML. 33, 519).

[1] ALEXANDER HALENSIS, O.F.M., *Summa theol.*, lib. I, P. I, n. 332, ed. Quaracchi 1924, I, p. 488a, et S. ALBERTUS MAGNUS, O.P., *Summa theol.*, I P., tract. 11, q. 47, memb. 1 ad 1, ed. Borgnet, t. 31, p. 495b, ad S. Augustinum expresse provocant in libro *De quantitate animae.*

dus ut faciat. Dum enim hoc *intelligatur* quod intelligendum est, non magnopere curandum est quid *vocetur*. Scire oportet tamen *cuiusmodi similitudo est inferiorum ad superiora: non enim aliter recte hinc illuc ratio tendit et nititur*»[1].

133. Revera, huiusmodi *translatio* significationis formalis huius nominis a corporalibus ad spiritualia et *ascensio* ab his sensibilibus ad intelligibilia et divina fit per abstractionem puram formalem et analogam, ut S. Thomas fecit, cum scribit: «*sic* igitur se habet res *incorporea* ad hoc quod sit in aliquo per *virtutem* suam [=per contactum virtutis], *sicut* se habet res *corporea* ad hoc quod sit in aliquo per quantitatem dimensivam [=per contactum molis]»[2]. Et similiter, ita se habet res incorporea ad quantitatem virtutis ei propriam *sicut* se habet res corporea ad quantitatem molis ei propriam et connaturalem; ac denique, sicut se habet quantitas dimensiva *ut mensurabilis* ad rationes et proportiones physicas vel mathematicas quas fundat, ita se habet quantitas virtutis *ut cognoscibilis* et *conformabilis* ad rationes et proportiones metaphysicas et theologicas quas fundat. Utrobique tamen id quod *formalissimum* est in rationibus et proportionibus est *relatio*. Unde S. Bonaventura medullam ipsam rei praesentis tetigit cum dixit: «huiusmodi nomina dicuntur secundum *relationem, formaliter loquendo*»[3].

Art. 2 - Investigatio definitionis analogiae per viam deductivam.

134. Ex modo dictis apparet *analogiam* praeseferre *universalitatem* quamdam ideoque nomen analogum esse nomen *commune* seu *universale*: nam proportio sive

---

[1] S. AUGUSTINUS, *De Genesi ad litteram*, lib. 4, cap. 4, nn. 8-9. ML. 34, 310.
[2] S. THOMAS, *III Contra Gent.*, cap. 68, arg. 2.
[3] S. BONAVENTURA, *In I Sent.*, d. 31, a. unic., q. 2c, ed. Quaracchi, t. I, p. 536a.

comparatio quam significat, est essentialiter inter *plura*. Et quia «via ad inveniendam definitionem convenientissima est *per divisiones*»[1], sive differentias, quae idcirco appellatur *descensiva vel deductiva* quasi a genere ad speciem vel a *communi ad proprium*, ideo, ad obtinendam exactam certamque definitionem analogiae, necesse est distinguere vel dividere modos quibus nomen aliquod potest dici universale seu commune.

Triplex modus quo nomen analogum est medium inter univocum et aequivocum

135. Atqui «tribus modis contingit aliquid aliquibus commune esse: vel univoce, vel aequivoce, vel analogice»[2]. Aut enim commune nomen dicitur de inferioribus sub eo contentis uno prorsus modo, μοναχῶς, idest secundum rationem vel significationem omnino eamdem, sicut nomen *animal* de cane et equo et bove dictum, in quantum animalia sunt, significat omnino idem, nempe substantiam animatam sensitivam; et tunc est nomen univocum, συνώνυμον. Aut non uno modo sed pluribus, πολλαχῶς, hoc est, secundum rationem vel significationem non eamdem omnino sed diversam, ut nomen *sanum* cum dicitur de animali sano et de cibo sano et de colore sano et de medicina sana et de äere sano, etiam prout *sana* sunt, non significat omnino idem sed rationes plures et valde diversas, nimirum *subiectum* sanitatis (animal) vel *causam* sanitatis (medicina sana) vel *conservativum* sanitatis (cibus sanus, äer sanus) vel *signum* sanitatis (color sanus, pulsus sanus); et tunc habetur nomen *aequivocum*, ὁμώνυμον[3]. Quo quidem in casu, vel significat rationem om-

---

[1] S. THOMAS, *in III Physic.*, lect. 1, n. 5; in *II Post.*, lect. 14, n. 1; lect. 15, n. 1; *in II de Anima*, lect. 1, nn. 212, 214-220.

[2] *In I Sent.*, d. 35, 4c.

[3] Sumitur enim nomen per respectum ad res nominatas secundum conceptum formalem et obiectivum (definitionem), qui *essentiam* concernit et communis est, non *esse* vel suppositum, quod incommunicabile et individuum est, iuxta illud S. Thomae: «*univocatio* autem *et aequivocatio* non *respicit* suppositum, sed *essentiam vel naturam quam significat definitio*» (*Quodlib.* 3, 2, 2 ad 1. Cf. etiam *in I Sent.*, d. 35, 4c; *De Verit.*, 2, 11c).

nino diversam in suis inferioribus significatis, idest *penitus disparatam* abque ulla mutua dependentia vel similitudine, ut nomen *populus* cum dicitur de hominum multitudine et de alno quae est species arboris salicineae, vel, ut ait Aristoteles, ei nomen Callias diceretur et homo et lignum [1]; et sic est nomen *pure aequivocum*, quod etiam appellatur *a casu et fortuna*, ὁμώνυμον ἀπὸ τύχης [2], quia *casu* accidit et *fortuna* ut idem materialiter nomen diversis rebus significandis imponatur absque ulla relatione dependentiae vel similitudinis —qua de causa, hoc nomen *casualiter* verbotenus tantum est universale—: vel significat rationem *non omnino diversam et disparatam, sed medio quodam modo*, hoc est, partim eamdem et partim diversam, quia significat plures et diversas rationes similes ideoque aliquo modo convenientes, sicut nomen *pes*, cum dicitur de pede animalis et de pede scamni et de pede versus, ubi duae sunt significationes proportionales; nam, cum dicitur de pede animalis et de pede scamni, intelligitur basis et sustentaculum proportionale utriusque; cum vero dicitur de pede hominis et de pede versus, intelligitur mensura quaedam quantitatis corporalis continuae (pes hominis) et proportionalis mensura syllabarum et temporum in poesi (pes versus) [3]; —et tunc est nomen *non pure aequivocum*, sed aequivocum *a consilio*, ὁμώνυμον ἀπὸ διανοίας, quia consilio et ratione evenit ut idem nomen de diversis dicatur diversimode propter aliquam dependentiam vel relationem vel similitudinem, ut patet in exemplo allato, quasi *medium* inter pure aequi-

---

[1] *I Metaph.*, cap. 9, n. 5 (II, 484, 46-49); *XI Metaph.*, cap. 4, n. 11 (II, 616, 19-22): μηδεμίαν κοινωνίαν επιβλέψας αὐτῶν.

[2] *I Ethic. Nicom.*, cap. 6, n. 12, II, 5, 14-15.

[3] «*Pes* dictus est quo *quasi metrorum* gressus incedat. Aliter dictus est *pes* quod hoc quasi *pedali regula* ad versum utimur mensurandum: *metimur* enim heroicum, et dicimus: sex pedum est; *metimur* saphicum, et dicimus: quinque; et ceteros. Igitur necesse est *pedem* unumquemque in se habere *certum* cum temporibus *numerum* syllabarum, ut est spondeus: habet enim duas syllabas et tempora quatuor; item proceleumaticus quatuor syllabas et tempora quatuor» (SERGIUS, *Explanationes Artis Donati*, De pedibus. Grammatici latini, ed. H. Keil, t. IV, p. 480, 5-11. Lipsiae 1864).

vocum et pure univocum, et est praecise nomen *analogum*, nimirum nomen commune «quod *proportionaliter* se habet ad multa» [1].

Est ergo *analogia*, quae forma est analogi ut analogum est, essentialiter *media* inter puram univocationem et aequivocationem puram, utpote nominans essentialiter plura: non secundum rationem totaliter eamdem et aequalem, ut univocum; neque secundum rationes totaliter diversas et disparatas, ut pure aequivocum; sed secundum rationes proportionales et ordinatas, hoc est, similes et affines pro suo quoque modo secundum propriam rationem uniuscuiusque.

136. Hanc nominis communis trilogiam S. Thomas saepe tradidit, cuius verba exscribere iuvat ordine chronologico disposita [2].

De fallaciis, cap. 4 (c. 1245): «est autem *aequivocatio unius et eiusdem nominis diversa significatio*... Species autem sive *modi* aequivocationis sunt tres. *Prima* species est quando una dictio *principaliter plura* significat (=aequivocatio pura); ut hoc nomen *canis principaliter* significat latrabile animal et marinam belluam et caeleste sidus... *Secunda* species est quando unum nomen *principaliter unum* significat *et aliud metaphorice sive transumptive*; sicut hoc verbum *ridet principaliter* significat actum hominis proprium, *metaphorice autem sive transumptive* significat prati floritionem... *Et ad hanc speciem reducitur multiplicitas nominum analogorum quae dicuntur secundum prius et posterius;* sicut *sanum* dicitur aliquando de animali, urina et diaeta... Tertia

---

[1] S. THOMAS, *in I Post.*, lect. 27, n. 6.

[2] De chronologia operum S. Thomae specialiter egerunt P. MANDONNET, O.P., *Des ecrits authentiques de Saint Thomas d'Aquin* (Friburg 1910), et M. GRABMANN, *Die ecten Schriften des hl. Thomas von Aquin* (in Collect. *Beitrag zur Geschichte Philosophie des. Mittelalters*, Bd. XXII) et *Die Werke des hl. Thomas von Aquin* (Munster 1931); qui tamen in pluribus tum quoad authentiam tum quoad chronologiam discrepant inter se. Synthetice rem proponunt P. GLORIEUX, *Repertoire des Maitres en Theologie de Paris au XIIIe siècle*, t. I, pp. 85-104, Paris 1933, et A. WALZ, O.P., *Chronotaxis vitae et operum S. Thomae de Aquino* (Romae 1939). Intra parenthesim indicamus chronologiam hinc inde propositam, quae plerumque mere probabilis est.

species est quae provenit ex diversa *consignificatione*, quae quidem attenditur circa accidentia *partium* orationis, sicut secundum tempus, numerum, personam et similia»[1].

In *Scripto super Sententiis Petri Lombardi* (1254-1256). «Quaecumque conveniunt in uno genere univoce vel analogice *participant aliquid idem*: *vel secundum prius et posterius*, sicut substantia et accidens rationem *entis* [=analogice]; *vel aequaliter*, sicut equus et bos rationem animalis [=univoce]»[2].

«Sapientia non dicitur [pure] aequivoce de Deo et creatura; alias sapientia creata *non duceret in cognitionem* sapientiae increatae: et similiter est de potentia et bonitate et de aliis huiusmodi. Sed ea, quae praedicantur de pluribus *secundum rationes omnino diversas*, [pure] aequivoce praedicantur Ergo *aliquo modo* ratio sapientiae, secundum quod de Deo et creaturis dicitur, est *una;* non quidem per univocationem sed *per analogiam*: et similiter est de aliis»[3].

«Quidditas generis vel speciei, [quae *univoca* sunt], non communicatur secundum unum esse omnibus [univocatis], sed solum *secundum unam rationem* communem»[4]. «Propter *diversum modum praedicandi* non dicitur substantia de Deo et creaturis univoce, sed *analogice*»[5]. «*Paternitas* non est eiusdem rationis secundum univocationem in Deo et in creaturis, quamvis sit *eadem* ratio *secundum analagiam, quae quidem aliquid habet de identitate rationis et aliquid de diversitate*»[6]. «Quidquid dicitur de aliquibus *per prius et posterius* magis proprie convenit ei de quo per prius dicitur; sicut ens per prius convenit substantiae quam accidenti. Sed quaedam sunt quae per prius dicuntur de Deo quam de creaturis, sicut *paternitas*, sicut habetur Ephes. 3, 15: ex quo omnis *paternitas* in caelis et in terra nominatur; et eadem ratione bonitas»[7].

«Quidquid praedicatur de aliquibus *secundum unum nomen et*

---

[1] Ed. M. DE MARÍA, S.I., t. II, pp. 198-200. «Sicut autem aequivocatio provenit ex eo quod *dictio* penitus eadem plura significat, sic amphibologia ex eo quod *oratio* penitus eadem plura significat» (*ibid.*, cap. 5, p. 200, cf. cap. 3, p. 198).

[2] *I Sent.*, prol. a. 2, obi. 2.

[3] *I Sent.*, d. 2, 3, arg. 2 sed contra.

[4] *I Sent.*, d. 8, 4, 2c.

[5] *Ibid.*, ad I.

[6] *I Sent.*, d. 21, 1, 1, qla. 2c.

[7] *I Sent.*, d 22, 2, arg. 1, sed contra.

unam rationem, univoce eis convenit»[1]. «Quaecumque non conveniunt in uno genere generalissimo, non potest de eis aliquid univoce dici»[2]. «*Persona* dicitur de Deo et creaturis *non univoce nec aequivoce, sed secundum analogiam*: et quantum ad rem significatam *per prius* est in Deo quam in creaturis, sed quantum ad modum significandi est e converso; sicut est etiam de omnibus aliis nominibus quae de Deo et creaturis *analogice* dicuntur»[3]. «Quorumdam *rationes* nihil prohibet non univocas esse; unde sicut *nomen* personae non univoce dicitur de Deo et creaturis sed analogice, ita etiam et definitio»[4]. «*Ratio personae* importat *distinctionem* in communi; unde abstrahitur a quolibet modo distinctionis, et ideo potest esse *una ratio analogice* in his quae *diversimode distinguuntur*»[5].

«*In aequivocis quae per fortunam sunt et casum*, ut canis, *non attenditur similitudo aliqua*; sed in aequivocis [a consilio], quae dicuntur per respectum ad unum principium, attenditur *aliqua similitudo analogiae vel proportionis*: et talis est multiplicitas huius nominis *principium*; unde etiam Philosophus, *V Metaph.*, docet reducere omnia huiusmodi ad unum primum principium»[6]

«*Tribus modis* contingit aliquid aliquibus *commune* esse: *vel* univoce, *vel* aequivoce, *vel* analogice.

Univoce quidem non potest aliquid de Deo et creatura dici. Huius ratio est quia, cum in re *duo* sint considerare, scilicet *naturam* vel quidditatem rei et *esse* suum, *oportet quod in omnibus univocis sit communitas secundum rationem naturae et non secundum esse;* unde habitus humanitatis non est secundum idem *esse* in duobus hominibus: et ideo quandocumque forma significata per nomen est ipsum *esse*, non potest univoce convenire; propter quod etiam ens non univoce praedicatur...

Et ideo quidam dicunt quod quidquid de Deo et creatura dicitur, per *puram aequivocationem* dicitur. Sed hoc non potest esse, quia *in his quae sunt pure aequivoca per casum et fortunam, ex uno non cognoscitur alterum*, ut quando idem nomen

---

1 *I Sent.*, d. 25, obi. 2.
2 *Ibid.*, arg. 1, sed contra.
3 *Ibid.*, c.
4 *Ibid.*, ad 2.
5 *Ibid.*, ad 5.
6 *I Sent.*, d. 31, 2, 1 ad 2.

duobus hominibus convenit. Cum igitur per scientiam nostram deveniatur in cognitionem divinae scientiae, non potest esse quod sit *omnino aequivocum*.

Et ideo dicendum est quod scientia *analogice* dicitur de Deo et creatura, et similiter omnia huiusmodi»[1].

«Quaecumque sunt in aliquo genere uno [univoco] communicant *uniformiter* principia illius generis»[2]. «Omne genus *univoce et aequaliter* praedicatur de suis speciebus»[3]. «Genus praedicatur *aequaliter* de speciebus *quantum ad intentionem*, sed non semper quantum ad esse, sicut in figura et numero, ut in *III Metaph.*, dicitur: sed hoc in speciebus non contingit, ut ibidem dicitur»[4]. «*Aequaliter* natura generis in speciebus participatur»[5].

137. *De principiis Naturae* (1255 vel 1256). «*Tripliciter* aliquid praedicatur de pluribus, scilicet univoce, aequivoce et analogice. *Univoce* quidem praedicatur aliquid *secundum idem nomen et secundum eamdem rationem, idest definitionem*, sicut *animal* praedicatur de homine et asino; *utrumque* enim *dicitur animal* et *utrumque est substantia animata sensibilis, quae est definitio animalis. Aequivoce* praedicatur quod praedicatur de aliquibus *secundum idem nomen et secundum diversam rationem*, sicut *canis* dicitur de latrabili et de sidere caelesti qui *conveniunt in nomine et non indefinitione neque significatione;* id enim quod *significatur* per nomen est *definitio*, sicut dicitur IV Metaphysicorum. *Analogice* dicitur praedicari quod praedicatur de pluribus *quorum rationes et definitiones sunt diversae, sed attribuuntur uni alicui eidem*, sicut *sanum* dicitur de corpore animalis et de urina et potione, sed *non ex toto idem significat in omnibus tribus*; dicitur enim de urina ut de *signo* sanitatis, de corpore ut de *subiecto*, de potione ut de *causa*: *sed tamen omnes istae rationes attribuuntur uni fini, scilicet sanitati*»[6].

138. *De ente et essentia*, cap. 4 (c. 1254-1256). «Ipsa enim natura humana in intellectu [=univoca] habet esse abstractum ab omnibus individuantibus; et ideo habet *rationem uniformem*

---

1 *I Sent.*, d. 35, 4c.
2 *II Sent.*, d. 3, 1, 1 obi. 2.
3 *II Sent.*, d. 3, 1, 5 obi. 3.
4 *Ibid.*, ad 3.
5 *II Sent.*, d. 42, 1, 3c.
6 Ed. DE MARIA, t. I, p. 388.

ad omnia individua quae sunt extra animam, prout *aequaliter est similitudo omnium et ducens in omnium cognitionem in quantum sunt homines*... quia est *una similitudo omnium*»[1].

139. *De natura generis*, cap. 5 (probabiliter circa idem tempus). «Dicitur universale [=univocum] natura illa sub intentione universalitatis sibi attributa; et sic, propter *uniformitatem rationis* inventam in intentione quae fit *propter remotionem a materialibus conditionibus et omni diversitate*, est *unum in multis*: sic enim homines sunt unus homo et unum animal»[2]. «Attribuitur isti naturae, ratione *uniformitatis* quam habet *ad omnia*, ratio universalis, quod est *unum in multis*; unde sic non multiplicatur haec natura in suis inferioribus, immo *plures* homines sunt *unus* homo et *unum* animal, participando genus et speciem»[3]. «Cum igitur genus de specie praedicetur et ratione *uniformitatis* communiter se habeat ad omnia contenta sub eo, necesse erit ipsum praedicari *univoce*, quod est praedicari secundum [idem] nomen et secundum [eamdem]rationem. Non enim est alia ratio animalis quando praedicatur de homine et alia quando praedicatur de equo, immo *una et eadem est ratio per quam de utroque praedicatur, sicut et nomen idem est*»[4].

140. *Quaestiones disputatae de Veritate* (1256-1259). «In omnibus enim *univocis communis est ratio nominis utrique eorum de quibus nomen univoce praedicatur*; et sic, quantum ad illius nominis *rationem*, univoca in aliquo *aequalia* sunt, quamvis secundum *esse* unum altero possit esse prius et posterius; sicut in *ratione* numeri omnes numeri sunt *aequales*, quamvis secundum nomen *rei* unus altero prior sit... *Ex* [*omnino*] *aequivocis* non differt quodcumque nomen imponatur, ex quo *nulla rei convenientia attenditur*. Unde dicendum est quod *nec omnino univoce nec pure aequivoce* nomen scientiae de scientia Dei et nostra praedicatur, *sed secundum analogiam*, quod nihil est aliud dictu quam *secundum proportionem*», hoc est, «secundum considerationem *alicuius convenientiae inter eas*»[5]. «*Idem nomen* impositum ad significandum *duas* species substantiae *secundum propriam*

---

[1] Ed. M. D. ROLAND-GOSSELIN, O.P., p. 28, 2-6, 13 (Paris 1926); ed. L. BAUR, p. 34, 1-6, 13 (Münster 1926).
[2] Ed. DE MARIA, t. I, p. 293.
[3] *Ibid.*, cap. 7, p. 296.
[4] *Ibid.*, cap. 9, p. 300. Cf. cap. 10, p. 302.
[5] *De Verit.*, 2, 11c et ad 6.

utriusque rationem, pure aequivoce de his dicitur; sicut hoc nomen canis de caelesti, latrabili et marino»[1]. «Si *idem nomen* imponatur *diversis secundum speciem, aequivoce* eis convenit, sicut *canis* latrabili et marino»[2].

141. *Summa Contra Gentiles.* Liber I (1258 vel 1259). «Si aliquis effectus ad speciem causae pertingat, praedicationem nominis *univoce* non consequetur nisi secundum *eumdem essendi modum eamdem specie formam* suscipiat»[3].

«Omne quod de pluribus *univoce* praedicatur, vel est genus, vel species, vel differentia, vel accidens, aut proprium», idest *unum e quinque praedicabilibus* sive universalibus presse dictis[4].

«Quod *univoce* de pluribus praedicatur, utroque illorum, *ad minus secundum intellectum, simiplicius est*»[5].

«Omne quod de pluribus praedicatur *univoce*, secundum participationem *cuilibet* eorum [*aequaliter*] convenit de quo praedicatur»[6]. Nam «quod praedicatur de aliquibus *secundum prius et posterius, certum est univoce non praedicari*»[7].

E contra, «in his quae sunt a *casu aequivoca nullus ordo aut respectus attenditur unius ad alterum, sed omnino per accidens est quod unum nomen diversis rebus attribuitur*; non enim nomen impositum uni significat ipsum habere ordinem ad aliud»[8].

«Ubi est *pura aequivocatio, nulla similitudo in rebus attenditur, sed solum unitas nominis*»[9]; et ideo «quando unum nomen de pluribus secundum *puram aequivocationem* praedicatur, *ex uno eorum non possumus duci in cognitionem alterius*, nam cognitio *rerum non* dependet *ex vocibus sed ex nominum ratione*»[10]: consequenter, «aequivocatio nominis *processum argumentationis impedit*»[11].

---

1 *De Verit.*, 2, 11 obi. 7.
2 *De Verit.*, 4, 5 obi. 9.
3 *I Contra Gent.*, cap. 32, arg. 2.
4 *Ibid.*, arg. 3.
5 *Ibid.*, arg. 4.
6 *Ibid.*, arg. 5.
7 *Ibid.*, arg. 6.
8 *I Contra Gent.*, cap. 33, arg. 1.
9 *Ibid.*, arg. 2.
10 *Ibid.*, arg. 3.
11 *Ibid.*, arg. 4.

«Sic igitur ex dictis relinquitur quod ea quae de Deo et rebus aliis dicuntur, praedicantur neque univoce neque aequivoce sed *analogice, hoc est, secundum ordinem vel respectum ad aliquid unum*»[1].

Liber IV (1266). Alia tamen est *significatio* nominis et alia nominis *suppositio* in univocis. Nam «*aequivocatio* inducitur *ex diversa forma significata per nomen, non autem ex diversitate suppositionis*: non enim hoc nomen homo aequivoce sumitur ex eo quod quandoque *supponit* pro Platone, quandoque pro Sorte. Hoc igitur nomen *homo*, et de Christo et de aliis hominibus dictum, *semper eamdem formam significat, scilicet naturam humanam: unde univoce praedicatur de eis*, sed *suppositio* tantum *variatur* in hoc quod quidem secundum quod pro *Christo* sumitur *supponit hypostasim increatam*, secundum vero quod pro *aliis* sumitur *supponit hypostasim creatam*»[2].

142. *In libros Aristotelis de Anima* (1266). «Si oculus esset animal, oporteret quod visus esset anima eius, quia visus est substantialis forma oculi et oculus est materia visus sicut corpus organicum materia animae. Deficiente autem visu, non remanet oculus nisi *aequivoce*, sicut oculus lapideus aut depictus *aequivoce* dicitur oculus. Et hoc ideo est, quia *aequivoca sunt quorum nomen solum commune est et ratio substantiae diversa*; et ideo, sublata forma a qua est ratio substantiae oculi, non remanet nisi nomen oculi *aequivoce* dictum. Quod ergo invenitur in parte viventis corporis, oportet accipere in toto vivente corpore, scilicet quod sicut visus est forma substantialis oculi et eo remoto non remanet oculus nisi *aequivoce*, ita anima est forma substantialis viventis corporis et ea remota non remanet corpus vivum nisi *aequivoce*»[3].

143. *Quaestiones disputatae de Potentia* (c. 1265-1268 vel 1269). «Ea quae *non* sunt *unius rationis sub una distributione non cadunt*; non enim cum dicitur *omnis* canis, distributio sumitur pro latrabili et caelesti», qui dicuntur canes *pure aequivoce*. «Sed *Generatio* Filii et *productio* aliorum, quae omnipotentiae subiacent, non sunt *unius rationis*»[4]. Cui obiectioni respondet: «Gene-

---

1 *I Contra Gent.*, cap. 34.
2 *IV Contra Gent.*, cap. 49 ad 11.
3 *In II de Anima*, lect. 2, n. 239.
4 *De Pot.*, 2, 5 obi. 6.

ratio Filii et productio creaturarum non sunt *unius rationis* secundum univocationem, sed *secundum analogiam tantum*. Dicit enim Basilius quod *accipere* Filius habet *commune* cum omni creatura, et ratione huius dicitur *primogenitus omnis* creaturae, Colos. 1, 15; et hac ratione potest eius generatio productionibus creaturae communicari *sub una distributione*»[1].

Postmodum vero, sibi obicienti: «minor unitas est eorum quae in aliquo *univocantur* quam eorum quae habent idem esse; sed potentia generandi et potentia creandi in nullo *univocantur*, sicut nec generatio et creatio nec Filius et creatura; ergo potentia generandi et potentia creandi non sunt idem secundum esse», respondet: «potentia generandi et potentia creandi, quantum ad ipsam, ut ita loquar, potentiae substantiam, non solum univocantur sed sunt unum; sed *quod analogice dicantur, hoc est ex ordine actus*»[2]. Et iterum: «praedictae potentiae non ordinantur secundum prius et posterius nisi prout distinguuntur; unde *ordo earum non attenditur nisi per respectum ad actus*; et ex hoc patet quod potentia generandi est prior potentia creandi, sicut generatio creatione. Quantum vero ad hoc quod ad essentiam comparantur, sunt idem, et non est in eis ordo»[3].

Et clarius: «ubi *nulla* est *similitudo*, ibi non potest aliter communiter praedicari nisi *aequivoce*»[4]. «In *pure aequivocis*, quae Philosophus nominat *a casu aequivoca, non dicitur aliquid de uno per respectum ad alterum*», quia eis «non est *convenientia* nisi *in nomine tantum*»[5]. «*Licet diversitas generis tollat univocationem, non tamen tollit analogiam.* Quod sic patet: sanum enim, secundum quod dicitur de urina, est in *genere signi*; secundum vero quod dicitur de medicina, est *in genere causae*»[6]. «Et ideo aliter dicendum est quod de Deo et creatura nihil praedicatur *univoce*; non tamen ea quae communiter praedicantur, *pure aequivoce* praedicantur, sed *analogice*»[7]. «Quamvis inter Deum et creaturam non possit esse similitudo generis vel speciei [=univocationis], potest tamen esse similitudo quaedam *analogiae*,

---

[1] *De Pot.*, 2, 5 ad 6.
[2] *De Pot.*, 2, 6, obi. 3 et resp.
[3] *De Pot.*, 2, 6 ad 4.
[4] *De Pot.*, 7, 7 arg. 3 sed contra.
[5] *De Pot.*, 7, 7c.
[6] *Ibid.*, ad 2 sed contra.
[7] *Ibid.*, corp.

sicut inter potentiam et actum et substantiam et accidens»[1]. «Nullum nomen significat res diversorum generum nisi aequivoce; *acutum* enim aequivoce dicitur de saporibus et magnitudinibus»[2].

144. *Quaestio disputata de Spiritualibus Creaturis* (c. 1266-1268). «Spiritus magis convenit cum spiritu quam corpore *convenientiae naturae;* sed *convenientia proportionis,* quae requiritur inter formam et materiam, magis convenit spiritus cum corpore quam spiritus cum spiritu: cum duo spiritus sint duo actus, corpus autem comparatur ad animam sicut potentia ad actum»[3]. «Caro mea cum carne tua magis convenit secundum rationem speciei [=univoce]; sed *secundum analogiam ad totum,* e converso; nam caro mea et os meum possunt *ordinari* ad unum totum constituendum, non autem caro mea et caro tua»[4].

In decem libros Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum (c. 1266-1269). «Aliquid dici de multis *secundum diversas rationes* contingit dupliciter. *Uno modo, secundum rationes omnino diversas non habentes respectum ad unum; et ista dicuntur aequivoca a casu,* quia scilicet *casu* accidit quod unum nomen unus homo imposuit uni rei et alius alii rei, ut praecipue patet in diversis hominibus uno nomine nominatis[5]. *Alio modo* unum nomen di-

---

[1] *De Pot.*, 3, 4 ad 9.
[2] *De Pot.*, 9, 4 obi. 6.
[3] *De Spiritualibus Creaturis,* 2 ad 10, ed. L. W. KELLER, S.I., p. 31, 19-24. Romae 1938.
[4] *Ibid.*, 4 ad 14, p. 60, 8-12.
[5] Hoc uberius explicat alibi S. Doctor, cum dicit: «Sicut enim Callias est aliquis homo qui concipitur cum materia individuali, ita circulus, cuius sunt partes istae incissiones, est aliquis circulus particularis, qui concipitur cun individuali materia. Hoc tamen differt, quia *singulares* homines habent nomen proprium. Unde nomen *speciei* non aequivocatur ad *individua*; sed nomen circuli aequivoce dicitur de circulo qui simpliciter, idest universaliter, dicitur, et de singulis particularibus circulis: et hoc ideo, quia singulis particularibus circulis non sunt nomina posita, sed nomina posita sunt singularium hominum.
Attendendum est autem quod nomen *speciei* non aequivoce praedicatur de *individuo,* secundum quod praedicat de eo *communem naturam speciei*: praedicaretur autem aequivoce de eo, si praedicaretur in quantum significaret hoc individuum in quantum huiusmodi. Si enim dicam: Socrates est homo, non aequivocatur nomen hominis. Sed. si hoc nomen *Homo* imponatur alicui singulari homini *ut proprium nomen,* aequivoce significabit speciem et hoc individuum. Et similiter de nomine *circuli,* quod aequivoce significat *speciem* et *hoc* individuum» (*In VII Metaph.*, lect. 9 ,nn. 1.480-1.481).

citur de multis *secundum rationes non totaliter sed in aliquo uno convenientes*... Sic ergo dicit quod bonum dicitur de multis, *non secundum rationes penitus differentes sicut accidit in his quae sunt a casu aequivoca, sed in quantum omnia bona depen- quae sunt a casu aequivoca, sed magis secundum analogiam, idest proportionem eandem, in quantum omnia bona dependent ab uno primo bonitatis principio vel in quantum ordinantur ad unum finem*»[1].

145. *In duodecim libros Metaphysicorum Aristotelis* (c. 1268-1272). «Aliquid praedicatur de diversis multipliciter. *Quandoque* quidem *secundum rationem omnino eamdem*; et tunc dicitur de eis *univoce* praedicari, sicut animal de equo et bove. *Quandoque* vero *secundum rationes omnino diversas*; et tunc dicitur de eis *aequivoce* praedicari, sicut canis de sidere et animali. *Quandoque* vero *secundum rationes quae partim sunt diversae et partim non diversae*: diversae quidem, secundum quod *diversas habitudines* important; *unae autem secundum quod ad unum aliquid et idem istae diversae habitudines referuntur*: et illud dicitur *analogice* praedicari, idest *proportionaliter, prout unumquodque secundum suam habitudinem ad illud unum referuntur*»[2].

Et alio in loco: «non enim est rectum quod quod quid est et *definitio* dicatur de *substantia et accidentibus neque aequivoce neque simpliciter et eodem modo, idest univoce; sed sicut medicabile dicitur de diversis particularibus per respectum ad unum et idem, non tamen significat unum et idem de omnibus de quibus dicitur: nec etiam dicitur aequivoce.* Dicitur enim corpus medicabile, quia est subiectum medicinae; et opus medicabile, quia exercetur a Medicina, ut purgatio; et vas medicinale, quia utitur Medicina, ut clylstere: et sic patet quod *non dicitur omnino aequivoce* medicinale de his tribus, *cum in aequivocis non habeatur respectus ad aliquod unum; nec iterum univoce dicitur secundum unam rationem*, non enim est *eadem ratio* secundum quam dicitur medicinale id quo utitur medicina et quod facit medicina: sed dicitur *analogice per respectum ad unum*, scilicet ad Medicinam. Et similiter quod quid est et definitio non dicitur *nec aequivoce nec univoce* de substantia et accidente, *sed per respectum ad unum*: dicitur enim de accidente *in respectu ad substantiam*»[3].

---

[1] *In I Ethic. Nicom.*, lect. 7, nn. 95-96.
[2] *In IV Metaph.*, lect. 1, n. 535.
[3] *In VII Metaph.*, lect. 4, n. 1.337.

«Manifestum est enim quod, *quae sic dicuntur, media sunt inter univoca et aequivoca.* In *univocis enim nomen unum praedicatur de diversis secundum rationem totaliter eamdem,* sicut animal de equo et bove dictum significat substantiam animatam sensibilem; *in aequivocis vero idem nomen praedicatur de diversis secundum rationem totaliter diversam,* sicut patet de hoc nomine *canis* prout dicitur de stella et de quadam specie animalis. In his vero quae praedicto modo dicuntur [=*analogicis*] *idem nomen de diversis praedicatur secundum rationem partim eamdem, partim diversam; diversam* quidem *quantum ad diversos modos relationis, eandem* vero *quantum ad id ad quod fit relatio;* esse enim significativum et esse effectivum *diversum* est, sed sanitas *una* est: et propter hoc huiusmodi dicuntur *analoga, quia proportionantur ad unum*» [1].

146. *In duos libros Perihermenias et duos libros Posteriorum Analyticorum Aristotelis* (1269-1272). In nominibus *aequivocis* «*eiusdem vocis non est eadem passio quae significatur apud omnes*» [2]. «Dictio *aequivoca non nihil significat sed multa;* et quandoque hoc, quandoque illud per ipsam accipitur» [3]. «Identitas nominis cum diversitate rei... facit aequivocationem» [4]. «Id autem quod *non univoce* praedicatur de multis, quia scilicet *non significat aliquid unum quod sit unum commune multis,* non potest notificari nisi per illa multa quae significat. Et inde est quod, quia *unum non dicitur aequivoce de simplici et composito* sed *per prius et posterius,* Aristoteles in praecedentibus semper ad notificandum unitatem enunciationis usus est utroque». E contra, *genus* dicitur «univoce... de suis speciebus» [5]. *Analogum* est quoddam commune «quod *proportionaliter se habet ad multa*» [6]. «Universale praedicatur de pluribus *secundum unam rationem et non aequivōce*», sed *univoce* [7]. «Universale [=univocum] dicitur *quando non solum nomen potest de pluribus praedicari, sed id quod significatur per nomen est natum in pluribus inveniri.* Hoc autem non contingit in praedictis nominibus [personalibus]; nam hoc nomen Socrates vel Plato significat naturam humanam

---

1 *In XI Metaph.*, lect. 3, n. 2.197.
2 *In I Perih.*, lect. 2, n. 11.
3 *In I Perih.*, lect. 5, n. 19.
4 *In I Perih.*, lect. 9, n. 8.
5 *In I Perih.*, lect. 8, n. 20.
6 *In I Post.*, lect. 37, n. 6.
7 *Ibid.*, n. 8.

secundum quod est in hac materia. Si vero hoc nomen imponatur alteri homini, significabit naturam humanam in *alia* materia, et sic eius erit *alia significatio*: unde non erit universale [=univocum], sed *aequivocum*» [1].

147. *Quaestiones disputatae de Malo* (1269-1272). «Id quod convenit pluribus *secundum unam naturam communem*, veritatem habet in his quae de pluribus *univoce* praedicantur. Bonum autem *non* praedicatur *univoce* de omnibus bonis sicut nec ens de omnibus entibus, cum utrumque circumeat omnia genera. Et hac ratione Aristoteles, in *I Ethic.*, ostendit quod *non est una communis idea* boni. Secundo, quia dato quod bonum diceretur univoce et etiam malum, tamen malum, cum sit privatio, *non dicitur de multis secundum unam intentionem*» [2].

Et alibi: «genus *aequaliter* participatur a suis speciebus», ut genus animalis aequaliter participatur ab equo et bove. At est simul animadvertendum quod «omnia animalia sunt *aequaliter* animalia, non tamen sunt *aequalia* animalia, sed unum animal est altero maius et perfectius» [3]. Nam «duplex est divisio. Una qua dividitur *genus univocum* in suas species quae *ex aequo* participant genus, sicut animal in bovem et equum. Alia est divisio communis *analogi* in ea de quibus dicitur *secundum prius et posterius*, sicut ens dividitur per substantiam et accidens et per potentiam et actum: et in talibus *ratio communis perfecte* salvatur *in uno, in aliis* autem *secundum quid et per posterius*: et talis est divisio peccati per veniale et mortale» [4].

Tandem: «eorum, quae sunt *diversorum generum quasi generalissimorum*, sunt diversa *principia* secundum rem, licet sint *eadem secundum analogiam*, ut dicitur in *X Metaph.* Sed ea quae continentur *sub uno genere generalissimo*, licet sint in diversis generibus subalternis, possunt habere *eadem principia secundum communitatem illius generis*», idest secundum univocitatem [5].

148. *Quodlibetum III* (c. 1269-1272). «*Aequivocum et univocum dicitur secundum definitivam rationem eamdem, vel non eamdem.*

---

[1] *In I Perih.*, lect. 10, n. 7.
[2] *De Malo*, 1, 2 ad 4.
[3] *De Malo*, 2, 9, obi. 16 et resp. Quae verba redolent S. Augustinum in *Epist.* 104 *ad Nectarium*, cap. 4, n. 13, ML 33, 393.
[4] *De Malo*, 7, 1 ad 1.
[5] *De Malo*, 8, 1 ad 13.

Ratio autem definitiva cuiuslibet speciei sumitur a forma specifica eius. Forma autem specifica hominis est anima rationalis. Unde, remota anima rationali, non potest remanere homo univoce sed aequivoce tantum. Oportet autem idem accipere in partibus quod est in toto: nam sicut anima se habet ad totum corpus, ita pars animae se habet ad partem corporis, ut visus ad oculum, ut dicitur in II de Anima. Unde seperata anima a corpore, sicut non dicitur homo nisi aequivoce, ita nec dicitur oculus nisi aequivoce: et hoc indifferenter, sive praesupponatur alia forma substantialis in corpore ante animam rationalem ut quidam volunt, sive non ut magis videtur consonum veritati. Quodcumque enim essentialium principiorum subtrahatur, iam non remanebit *eadem ratio* speciei: unde nec nomen *univoce* diceretur»[1].

149. *Quaestio disputata de Unione Verbi Incarnati* (c. 1269-1272). «*Univocatio et aequivocatio attenditur secundum quod ratio nominis est eadem vel non eadem.* Ratio autem nominis est quam significat definitio; et ideo aequivocatio et univocatio *secundum significationem* attenditur et *non secundum supposita.* Et ideo hoc nomen *homo* univoce dicitur de Christo et de Petro: *quia utrobique significat unam naturam, scilicet humanam,* compositam ex anima et corpore; sed in Christo *supponit* suppositum aeternum, quod non supponit in Petro»[2].

150. *Summa Theologiae* (1266-1273). «Secundum *aequivoca non attenditur aliqua similitudo*»[3]. «Quidquid praedicatur de aliquibus *secundum idem nomen et non secundum eamdem rationem,* praedicatur de eis *aequivoce*»[4]. «Propter distantiam quarumdam creaturarum, contingit quod *nihil univoce* de eis praedicari potest, sicut *de eis quae non conveniunt in aliquo genere*»[5]. «*Non secundum eamdem rationem* hoc nomen *sapiens* de Deo et de homine dicitur: et eadem ratio est de aliis; unde *nullum nomen univoce de Deo et creaturis praedicatur.* Sed *nec etiam pure aequivoce...*; quia secundum hoc ex creaturis *nihil posset cognosci de Deo nec demonstrari..* Dicendum est igitur quod huiusmodi nomina di-

---

1 *Quodlib.* 3, 2, 2c.
2 *De Unione Verbi Incarnati,* 2 ad 4.
3 I, 13, 5 obi. 2.
4 *Ibid.*, arg. 1 sed contra.
5 *Ibid.*, arg 2 sed contra.

cuntur de Deo et creaturis *secundum analogiam, idest proportionem.*

Et iste modus communitatis medius est inter puram aequivocationem et simplicem univocationem. Neque enim in iis quae analogice dicuntur est *una ratio* sicut *in univocis*, neque *totaliter diversa* sicut *in aequivocis*, sed *nomen quod sic multipliciter dicitur significat diversas proportiones ad unum*: sicut *sanum* de urina dictum significat signum sanitatis animalis, de medicina vero dictum significat causam *eiusdem sanitatis*»[1].

«*Univoca* dicuntur quorum est *ratio una*»[2]. «*Univocorum est omnino eadem ratio*; *aequivocorum est omnino ratio diversa*; *in analogicis* vero oportet quod *nomen secundum unam significationem acceptum ponatur in definitione eiusdem nominis secundum alias significationes accepti*, sicut *ens* de substantia dictum ponitur in definitione entis secundum quod de accidente dicitur, et *sanum* dictum de animali ponitur in definitione sani secundum quod dicitur de urina et medicina: *huius* enim *sani* quod est *in animali* urina est *significativa* et medicina *factiva*»[3].

Et alibi: «cum dicitur, *Deus finitus est sibi*, intelligendum est *secundum quamdam similitudinem proportionis*; quia *sic* se habet in non excedendo intellectum suum, *sicut* se habet aliquid finitum in non excedendo intellectum finitum»[4].

Rursus: «diversa ratio minus communium non facit aequivocationem in magis communi: Licet enim sit alia propria definitio equi et asini, tamen *univocantur* in nomine *animalis*, quia *communis definitio animalis convenit utrique*. Unde non sequitur, licet in significatione personae divinae contineatur relatio non autem in significatione angelicae personae vel humanae, quod

---

[1] *Ibid.*, corp.
[2] I, 13, 10 obi. 3.
[3] *Ibid.*, corp.
[4] I, 14, 2 ad 2. Idem aequivalenter dixerat alibi: «Deus... pro tanto dicitur *finitus* quia *hoc modo* a seipso cognoscitur *sicut* aliquid finitum ab intellectu finito; *sicut* enim intellectus finitus potest pervenire ad *finem* cognitionis in re finita, *ita* intellectus eius pervenit ad finem sui ipsius» (*De Verit.*, 2, 2 ad 7). Nam «secundum hoc dicitur aliquid *finiri* a sciente, quia ita scitur quod *intellectum scientis non excedit*, ut aliquid eius sit extra intellectum scientis: sic enim habet se ad intellectum scientis *per modum finiti*» (*De Verit.*, 2, 9 ad 1). Et alio in loco: «Deus dicitur finitus sibi, non quia cognoscat se esse finitum; sed quia *ita* comparatur ad se, *sicut* ad nos comparantur finita, in quantum *comprehendit* seipsum» (*De Pot.*, 9, 5 ad 11).

nomen personae aequivoce dicatur: licet nec etiam dicatur univoce, cum nihil univoce de Deo dici possit et de creaturis»[1].

Praeterea: «bonum *non* dividitur in ista tria [scilicet honestum, utile et delectabile] *sicut univocum aequaliter de his praedicatum, sed sicut analogum quod praedicatur secundum prius et posterius;* per prius enim praedicatur de honesto, et secundario de delectabili, tertio de utili»[2].

Insuper: «*quando genus univocum dividitur in suas species, tunc partes divisionis ex aequo se habent secundum rationem generis,* licet secundum naturam *rei* una species sit principalior et perfectior alia, sicut homo aliis animalibus; sed quando est divisio alicuius *analogi quod dicitur de pluribus secundum prius et posterius,* tunc nihil prohibet *unum esse principalius altero etiam secundum communem rationem,* sicut substantia principalius dicitur ens quam accidens. Et talis est divisio virtutum in diversa genera virtutum, eo quod bonum rationis *non secundum eumdem ordinem* invenitur in omnibus»[3].

Ad haec: «divisio peccati in veniale et mortale *non est divisio generis in species quae aequaliter participant rationem generis, sed analogi in ea de quibus praedicatur secundum prius et posterius*»[4].

Denique: «*analogice,* scilicet *secundum diversam habitudinem ad aliquid unum*»[5].

151. *Compendium Theologiae* (1272-1273). «Nomina de Deo et aliis rebus dicta *non omnino univoce nec omnino aequivoce* dicuntur. *Univoce* namque *dici non possunt, cum definitio eius quod de creatura dicitur non sit definitio eius quod dicitur de Deo; oportet autem univoce dictorum eamdem definitionem esse.* Similiter autem *nec omnino aequivoce. In his enim quae sunt a casu aequivoca idem nomen imponitur uni rei nullo habito respectu ad rem aliam; unde per unum non potest ratiocinari de alio.* Haec autem nomina, quae dicuntur de Deo et de aliis rebus, attribuuntur Deo *secundum aliquem ordinem* quem habent ad istas res in quibus intellectus significata eorum considerat; *unde et per alias res ratiocinari de Deo possumus. Non igitur omnino*

---

[1] I, 29, 4 ad 4.
[2] I, 5, 6 ad 3.
[3] I-II, 61, 1 ad 1.
[4] I-II, 88, 1 ad 1
[5] III, 60, 1 ad 3.

aequivoce dicuntur ista de Deo et de aliis rebus sicut ea quae sunt *a casu aequivoca. Dicuntur igitur secundum analogiam, idest proportionem ad unum*»[1].

Praeter hunc textuum seriem directe respicientium *nomina* univoca, aequivoca et analoga, adest alia series subsidiaria in qua extendit haec eadem nomina ad diversas *causas efficientes et ad diversos effectus eis correspondentes*. «Invenimus enim tres modos causae agentis. Scilicet causam *aequivoce* agentem, et hoc est *quando effectus non convenit cum causa nec nomine nec ratione*; sicut Sol facit calorem qui non est calidus»[2]. «Item causam *univoce* agentem, *quando effectus convenit in nomine et ratione cum causa*, sicut homo generat hominem et calor calorem. Neutro autem istorum nuodorum Deus agit. Non univoce, quia nihil univoce convenit cum ipso. Non aequivoce, *cum effectus et causa aliquo modo conveniant in nomine et ratione, licet secundum prius et posterius*: sicut Deus sua Sapientia facit nos sapientes, ita tamen quod sapientia nostra semper deficit a ratione Sapientiae suae, sicut accidens a ratione entis secundum quod est in substantia. Unde est tertius modus causae agentis *analogice*. Unde patet quod divinum esse producit esse creaturae *in similitudine sui imperfecta*»[3].

---

[1] *Compendium Theologiae*, I P., cap. 27.

[2] Nam calor est forma quaedam specialis sive praedicamentalis (qualitas) in qua non praedicatur abstractum de concreto nec vicissim ut in transcendentalibus, iuxta illud S. Thomae: «aliter est in nominibus illis quae exprimunt formas generales et quae exprimunt formas speciales. Forma enim *specialis*, quae informat subiectum aliquod, non informatur alia forma eiusdem rationis, sicut color non informatur colore sed forte luce: unde non potest dici color coloratus, sed forte clarus: et similiter nec albedo colorata», neque calor calidus (*II Sent.*, d. 27, 2 ad 1). E contra «in transcendentalibus quae circumeunt omne ens: nam essentia est ens, et bonitas bona, et unitas una» (*De Virtutibus in communi*, 2 ad 7. Cf. etiam I-II, 55, 4 ad 1).

[3] *I Sent.*, d 8, 1, 2c. Ex quo patet quid dicendum sit de hac notula critica Dni. N. Balthasar: «il serait contraire à la terminologie thomiste de présenter une division tripartite ainsi conçue: causes *univoques*, causes *equivoques*, causes *analogiques*. Dans ce cas, l'equivocité dans l'emploi du mot equivoque serait par trop criante» (*L'etre et les principes metaphysiques*, p. 66, nota 1. Louvain 1914). Fortasse tunc temporis Cl. Professor ignorabat textum S. Thomae citatum, quem tamen ipse post plures annos adduxit (*L'abstraction et l'Analogie de l'être*, apud *Miscellania Thomista*, pp. 209-210. Barcelona 1924), adnotans: «*Saint Thomas emploi*, a propos des causes, le terme causes equivoques».

Fatendum est tamen quod aliis in locis non nominat nisi causas univocas et aequivocas vel analogicas, nomine causarum aequivocarum

Proprie autem loquendo, causa univoca et causa analoga sunt causae *per se* quibus perfecte vel imperfecte, vere tamen et realiter, assimilatur effectus; causa vero *pure aequivoca* est tantummodo causa *per accidens, cui effectus nullo modo assimilatur*[1]: sive dicatur *per accidens* ex parte causae sive ex parte effectus, sicut albedo aedificatoris est causa mere per accidens domus, vel «sicut album accidens domi potest dici effectus per accidens aedificatoris»[2]. Qua de causa S. Thomas scribit: «*similitudo* autem effectus in causa quidem univoca invenitur *uniformiter*; in causa autem *aequivoca* [=analoga] invenitur *excellenter*»[3]. Et alio in loco: «quia omne agens agit sibi simile, ideo effectus agentis oportet quod aliquo modo sit in agente. In quibusdam enim est *idem secundum speciem*, et ista dicuntur agentia *univoca*, sicut calor est in igne calefaciente: in quibusdam vero est *idem secundum proportionem sive analogiam*, sicut cum Sol calefacit; est enim in Sole aliquid quod *ita* facit eum calefacientem *sicut* calor facit ignem calidum, et secundum hoc calor dicitur esse in Sole aequivoce [=analogice], ut dicitur in libro *de Substantia orbis*, cap. 2. Ex quod patet quod illud quod est in effectu *ut forma* dans esse, est in agente in quantum huiusmodi *ut* virtus activa; et ideo *sicut* se habet agens ad virtutem activam, *ita* se habet ad continendam formam effectus»[4].

152. Ex quibus omnibus, si quis diligenter consideret, apparet univoca, aequivoca et analoga posse tripliciter comparari et notificari secundum eorum notas fundamentales:

1.°, *logice*, secundum formalem rationem *universalitatis in significando et praedicando* quae diversimode eis convenit;

---

intelligens semper analogicas, ut videre est, exempli gratia, in *II Sent.*, d. 18, 2, 1c et ad 4; *IV Sent.*, 1, 1, 4 qla. 4c; *De Verit.*, 10, 13 ad 3; 11, 3 ad 4; 27, 7c; *II Contra Gent.*, cap. 21, arg. 4; *III Contra Gent.*, cap. 65, arg. 3; *De Pot.*, 7, 7 ad 7; I, 4, 6; 6, 2; 13, 5 ad 1; I-II, 60, 1; III, 62, 3; *in II Metaph.*, lect. 2, nn. 292-294; *in Boetium de Trinitate*, 2, 4 ad 4.

[1] Ita S. Thomas obiectioni: «effectus habet similitudinem in sua causa, quia omne agens agit sibi simile», respondet: «obiectio illa procedit de causa per se; in tali enim causa praeexistit similitudo effectus», non autem in causa per accidens, sicut bonum est causa mali per accidens (*De Malo*, 1, 3 ad 2).

[2] Cf. *De Pot.*, 3, 6 ad 6; *De Malo*, 1, 3 ad 14.

[3] I, 6, 2c.

[4] *IV Sent.*, d. 1, 1, 4 qla. 4c.

2.°, *metaphysice sive fundamentaliter*, secundum rationem formalem *universalitatis in essendo*, quae fundamentum est universalitatis in significando et in praedicando; et quidem *bifariam* pro duplici fundamento:

a) secundum diversum modum *similitudinis* in ipsa ratione obiectiva formaliter significata per nomen, quae diversimode convenit eis;

b) secundum diversum modum *participationis* rationis obiectivae per nomen significatae, quae rursus eis diversimode congruit.

153. Quae quidem comparationes et notificationes tribus hisce tabellis, claritudinis gratia, exhiberi possunt.

A) SECUNDUM FORMALEM RATIONEM UNIVERSALITATIS

Pure univoca	*Analoga*	*Pure aequivoca*
1. *Sunt universalia vere dicta,* idest secundum nomen et secundum rationem sive definitionem significatam per nomen.	1. *Sunt universalia vere dicta,* hoc est, secundum nomen et secundum rationem sive definitionen significatam per nomen.	1. *Non sunt universalia vere dicta, sed apparenter tantum*; quia sunt universalia *secundum nomen tantum* (=nomen commune), non secundum rationem vel definitionem significatam per nomen.
2. Sunt universalia *vere et presse dicta,* idest *intrapraedicamentalia,* cum sint qua talia *omnino intra unum tantum praedicamentum.*	2. Sunt universalia *vere quidem sed large dicta,* idest *suprapraedicamentalia, sive transcendentalia,* cum sint in omnibus vel pluribus praedicamentis diversimode imbibita simulque singula praedicamenta excedentia, videlicet *partim intra et partim extra praedicamenta.*	2. Non sunt vere universalia, cum sint qua talia *omnino extra et infra praedicamentalia,* «ut *praecipue* patet in diversis hominibus (=*individuis*) uno nomine nominatis», absque ulla dependentiae relatione, sed mere casualiter (*In I Ethic.* lect. 7, n. 95); nam ratio significata per nomen individui vel personae est omnino in-

		communicabilis pluribus sicut ipsum individuum vel persona.
Consequenter:	*Consequenter:*	*Consequenter:*
3. Sunt semper unum e quinque universalibus sive praedicabilibus, iuxta illud S. Thomae: «*omne* quod de pluribus *univoce* praedicatur, vel est genus, vel species, vel differentia, vel accidens, aut proprium» (I *Contra Gent*. 32); et ideo	3. Non sunt unum e quinque universalibus, sed ea transcendunt; idcirco	3. Non sunt, qua talia, praedicabilia neque transcendentalia, licet specificative *ut entia* sint in aliquo praedicamento directe vel reductive; et ideo
4. Sunt sub uno genere generalissimo, lieet sint vel possint esse sub diversis generibus subalternis (De *Malo*, 8, 1 ad 13); quapropter	4. Sunt diversorum generum quasi generalissimorum (*De Malo*, 8, 1 ad 13): «nullum nomen significat res diversorum generum nisi aequivoce», idest analogice (*De Pot*., 9, 4 obi. 6); quam ob rem	
5. Conveniunt seu communicant in una natura ge-	5. Non conveniunt seu non communicant in una na-	

neris vel speciei (*De Spiritualibus creaturis*, 2 ad 10; 4 ad 14; *De Pot.*, 3, 4 ad 9);	tura generis vel speciei, sed solum in una natura secundum proportionem (*De Spiritualibus Creaturis*, 2 ad 10; 4 ad 14);	
6. Maxime proprie tamen sunt sub una specie atoma; quia species specialissima est maxime univoca, eique perfectissime convenit ratio universalis presse dicti (*In VII Physic.*, lect. 6-7).	6. Maxime proprie analoga sunt transcendentalia, quae circumeunt omne ens et omnia praedicamenta.	6. Maxime proprie dicuntur pure aequivoca: a) praedicata omnino per accidens; b) causae omnino per accidens. c) effectus omnino per accidens.
7. Ergo universale univocum est: unum aptum inesse multis ac de illis praedicari secundum idem nomen et secundum rationem omnino, totaliter, absolute, simpliciter eamdem.	7. Ergo universale analogum est; unum aptum inesse multis ac de illis praedicari secundum idem nomen et secundum rationem non omnino et totaliter et absolute sed partialiter tantum et relative eamdem, idest secundum rationem partim diversam, sive aliquo modo eamdem et aliquo modo diversam, nempe:	7. Ergo universale pure aequvocum est: unum idemque nomen aptum casu praedicari de multis secundum rationes omnino, totaliter, absolutae, simpliciter diversas et disparatas.

	a) eamdem secundum terminum et diversam secundum diversas habitudines ad illum; b) vel diversam secundum terminos diversos et relative eamdem secundum habitudines similes sive proportionales ad illos vel inter illos.	
8. Ego nomen univocum *unice* significat *unam rationem eodem prorsus modo* praedicabilem de multis: *ex toto est eadem ratio* significata per nomen in omnibus illis (*De principiis naturae*, ed. cit., p. 388)	8. Ergo nomen analogum *simul* significant *plures rationes, non tamen ut plures sed ut coordinatas vel subordinatas*, nempe: a) *unam primo et principaliter, aliam vel alias secundario* et per extensionem quandam vel attributionem vel transumptionem, idest *subordinatas primae et principali*; b) vel *plures coordinatas secundum habitudines vel proportiones similes*; et ideo	8. Ergo nomen pure aequivocum *simul* significat *plures rationes ut plures*, idest non reductas nec reducibiles ad unam fundamentalem per coordinationem vel subordinationem, sed *omnino disparatas*; nimirum: a) *primo et principaliter plures* rationes significat; b) *nullus* est *ordo* earum inter se vel ad unam primam; c) *ex toto diversa signifi-*

	c) *non ex toto idem significat* in omnibus illis (*De principiis naturae,* loc. cit.; *De fallaciis,* cap. 4)	*cat* in omnibus illis (*De principiis naturae,* loc. cit.; *De fallaciis,* cap. 4).
9. Ergo ratio significata per nomen pure univocum est *omnino una eademque in omnibus et singulis univocatis.*	9. Ergo ratio significata per nomen analogum non est omnino una eademque in omnibus et singulis analogatis, neque tamen omnino diversa et disparata, sed *medio quodam modo,* idest unita vel adunata *per subordinationem attributionum* ad unam principalem et primariam, *aut per coordinationem proportionum* similium inter se.	9. Ergo ratio significata per nomen pure aequivocum nullo modo est una nec adunata in omnibus et singulis aequivocatis, sed est *omnino et totaliter diversa,* disiuncta, disparata, inordinata.
10. Ergo univocorum *est eadem prorsus unitas nominis et rationis significatae per nomen, absque ulla omnino diversitate.*	10. Ergo analogorum *non est eadem prorsus unitas nominis et rationis significatae per nomen*: quia *unitas nominis* est *absoluta et totalis*; *unitas vero rationis* significatae per nomen est *relativa tantum et partialis* et	10. Ergo aequivocorum *nulla est convenientia sive unitas nominis et rationis significatae per nomen*: quia *unitas nominis* est *perfecta et absoluta* ut in univocis et analogicis; *at vero rationis* significatae per nomen *nulla*

	per adunationem subordinationis *vel* coordinationis, quae simul fert secum diversitatem quamdam.	*omnino est unitas*, sed absoluta *et totalis diversitas.*

B) SECUNDUM DIVERSUM MODUM SIMILITUDINIS OBIECTIVAE FUNDANTIS UNIVERSALITATEM

Pure univoca	*Analoga*	*Pure aequivoca*
1. Inter pure univoca qua talia est perfecta et totalis similitudo secundum aequalitatem absolutam, idest pura similitudo absque ulla dissimilitudine in natura communi univoca.	1. Inter analoga qua talia est similitudo quaedam realis et vera, non tamen perfecta, totalis et absoluta sed relativa tantum et secundum aequalitatem quandam mere proportionalem, idest non similitudo pura sed mixta cum dissimilitudine, nempe: a) similitudo dissimilis, b) vel dissimilis similitudo	1. Inter pure aequivoca qua talia nulla prorsus est similitudo, sed est dissimilitudo pura, totalis et absoluta.

Consequenter: 2. Cogngitio unius univoci ducit in cognitionem perfectam et adaequatam alterius univoci secundum rationem communem univocam in qua conveniunt; et ideo	*Consequenter:* 2. Cognitio unius analogi vere et realiter ducit in cognitionem alterius vel aliorum analogorum secundum rationem communem analogam in qua conveniunt, non tamen perfectam et adaequatam, sed imperfectam tantum et inadaequatam pro modo convenientiae et similitudinis vel dependentiae analogicae inter ea; ideoque.	*Consequenter:* 2. Cognitio unius pure aequivoci non ducit in cognitionem ullam veram et realem alterius pure aequivoci qua talis; ac proinde
3. Inter pure univoca est vel esse potest vera et perfecta demonstratio; ac proinde	3. Inter ea est vel esse potest vera, licet imperfecta, demonstratio, idest non omnibus numeris absoluta sicut inter pure univoca; et idcirco	3. Inter pure aequivoca non datur nec dari potest ulla vera et realis demonstratio; ideoque
4. Inter pure univoca dari potest vera et perfecta scientia.	4. Inter analoga dari potest vera scientia, licet non omnino perfecta.	4. Inter pure aequivoca nulla dari potest vera et realis scientia, sed tantum dari potest Sophistica pura.

c) SECUNDUM DIVERSUM MODUM PARTICIPATIONIS RATIONIS OBIECTIVAE SIGNIFICATAE PER NOMEN

Pure univoca	*Analoga*	*Pure aequivoca*
Nomen commune univocum et ratio communis univoca significata per illud participantur aequaliter et uniformiter ab omnibus univocatis, et aequaliter ac uniformiter praedicantur de illis.	Nomen commune analogum aequaliter et uniformiter participatur ab omnibus analogis; ratio autem communis analoga significata per illud participatur vere et realiter ab eis, difformiter tamen et inaequaliter, ideoque praedicatur de illis secundum prius et posterius.	Nomen commune pure aequivocum participatur aequaliter et uniformiter ab omnibus pure aequivocatis; nullo tamen modo participatur ab eis ratio nominis, quae communis non est, sed pure particularis in quantum huiusmodi: et ideo ratio nominis aequivoci nullo modo est praedicata nec praedicabilis vere et realiter de multis illis.

154. Quae quidem magna limpiditate expressit Caietanus hisce verbis: «tam in univocis quam in aequivocis quam in analogis *quatuor* inveniuntur, scilicet *duae res ad minus* aequivocatae, univocatae aut analogatae; et *duae* res seu *rerum rationes* aequivocationem, univocationem aut analogiam *fundantes.* Verbi gratia, in aequivocatione canis inveniuntur haec quatuor, scilicet canis marinus et canis terrestris, et ratio illius et ratio istius secundum canis nomen; in univocatione quoque *animalis* inveniuntur quatuor, scilicet homo et bos, et natura sensitiva hominis et natura sensitiva bovis quae animalis univocationem fundant; in analogia similiter *entis* quatuor sunt, scilicet substantia et quantitas, et substantia in quantum commensurata suo esse et quantitas secundum quod suo esse proportionatur.

Et licet *prima duo,* scilicet aequivocata et univocata et analogata, eodem modo quantum ad propositum spectat in omnibus his *distinguantur,* quia ubilibet ex opposito condistincta sunt; *altera* tamen *duo* univocationem, aequivocationem et analogiam fundantia, *diversimode unita aut distincta sunt.*

In aequivocis namque *rationes illae,* puta canis marini et terrestris, *sunt omnino diversae secundum rationem;* et propter hoc, id quod praedicat canis de marino cane *nullo modo* praedicat de terrestri, et e converso: et ideo *sola voce* communius aut maius aequivocatis dicitur et est.

In univocis vero res illae, puta animalitatis in bove et animalitatis in leone, licet et numero et specie diversae sint, *ratione tamen omnino eadem sunt*: ratio enim unius est *omnino eadem* quod ratio alterius, et e converso; et propter hoc, id quidem quod praedicat animal de homine, *idem* praedicat *omnino* de bove, et univocum dicitur et superius de homine, leone boveque.

In analogis autem res analagiam fundantes, puta quantitas *ut sic se habens ad esse* et substantia *ut sic se habens ad esse,* licet diversae sint et numero et specie et genere, *ratione tamen eaedem sunt non omnino sed*

proportionaliter, quoniam unius ratio proportionaliter eadem est alteri; et propterea, id quod praedicat analogum, puta ens, de quantitate, *illud idem proportionaliter* praedicat de substantia, et e converso: et, propter hoc, analogum, puta ens, *non sola voce communius, maius aut superius analogatis* est, *sed conceptu*, ut dictum est, *proportionaliter uno*.

Ita quod analogum et univocum *conveniunt* in hoc, quod utrumque communioris et superioris rationem habet; *differunt* autem in hoc, quod illud est superius analogice seu proportionaliter, hoc vero univoce»[1].

Ad perfectam tamen intelligentiam notionis analogiae, necesse est amplius determinare:

1.°, rationem medii, in quo essentialiter consistit analogia, inter simplicem univocationem et aequivocationem puram;

2.°, rationem similitudinis analogicae, quae media rursus essentialiter est inter perfectam similitudinem univocorum et perfectam dissimilitudinem aequivocorum;

3.°, rationem participationis inaequalis definitionis significatae per nomen analogum, quae iterum media essentialiter consistit inter aequalem participationem definitionis significatae per nomen univocum et absolutam imparticipationem seu incommunicabilitatem definitionis significatae per nomen pure aequivocum.

4.°, consequenter facilis et perspicua manebit comparatio univocorum, aequivocorum et analogorum tum quoad nomen et conceptum, tum quoad eorum abstractionem et universalitatem.

---

[1] CAIETANUS, *De nominum Analogia*, cap. 6, nn. 62-66, ed. cit. pp. 53-55.

A. ANALOGIA UT MEDIUM INTER UNIVOCATIONEM ET AEQUIVOCATIONEM

§ I.—QUO IN SENSU ANALOGIA MEDIA ESSENTIALITER EST INTER PURAM AEQUIVOCATIONEM ET SIMPLICEM UNIVOCATIONEM

155. Docet S. Thomas quod divisio communis sive totius analogici «est *quasi media*» inter divisionem totius univoci et divisionem totius (mere nominalis) aequivoci [1]. Et alibi magis expresse tradit «quod quae sic [=analogice] dicuntur *media sunt inter* univoca et aequivoca» [2], et quod «iste modus communitatis *medius* est inter puram aequivocationem et s i m p l i c e m univocationem» [3]. Quae doctrina ab omnibus indubitanter admittitur, ita ut merito Joannes a S. Thoma eam dicat *communem et vulgatam sententiam* [4].

Cuius ratio est, quia pure univoca et pure aequivoca *contrarie* opponuntur, cum maxime distent in genere *qualitatis* nominis, quae est nominis ratio vel definitio per nomen significata [5]. Nam pure univoca sunt quorum nomen est idem et ratio significata per nomen est *totaliter eadem*; pure autem aequivoca sunt quorum nomen est idem, sed ratio per nomen significata est *totaliter diversa.* Significatio autem sive ratio nominis *totaliter eadem* et ratio sive nominis significatio *totaliter diversa* opponuntur oppositione *contraria,* eo quod sub eodem genere *significationis* nominis communis maxime distant et ab eodem nomine significante se mutuo expellunt; et quidem *mediata,* quia alterutrum extremum oppositionis non de necessitate convenit nomini communi significanti: non enim significatio nominis communis de necessitate est totaliter identica in omnibus eo nomine nominatis aut

---

1 *In II Sent.,* 4, 42, 1, 3c.
2 *In XI Metaph.,* lect. 3, n. 2.197.
3 I, 13, 5c.
4 J. A S. THOMA, *Logica,* II P., q. 13, a. 3, ed. cit., t. I, p. 481b, 36-37.
5 S. THOMAS, *In III Sent.,* d. 6, 1, 3c et ad 1, nn. 55, 57-58.

totaliter diversa, sicut de necessitate omnis numerus est par aut impar. Necesse est ergo inter nomen pure univocum et nomen pure aequivocum adesse nomen *medium*, quod est praecise *analogum*.

Inter contrarie opposita dari potest medium: «Contingit quod quorumdam contrariorum est medium et quorumdam non. Inter bonum enim et malum, medium est. Est enim aliquis homo neque bonus neque malus. Dicitur enim bonus homo secundum virtutem. Nam virtus est quae bonum facit habentem. Non autem omnis qui caret virtute malus est. Nam puer caret virtute, et tamen non dicitur malus. Sed si in aetate in qua debet habere virtutem non haberet, malus dicitur. Vel etiam si aliquis virtute careat quantum ad aliquos actus minimos et quasi indifferentes ad vitam, non dicitur malus; sed solum si careat virtute quantum ad actus principales et necessarios ad vitam. Sed par et impar in numeris non habent medium, quia numerus dicitur impar ex hoc quod quocumque modo caret paritate» [1].

«Et sic, quamvis nomen univocum et pure aequivocum contrarie opponantur, inter ea dari potest medium, quod est analogum: nam inter rationem totaliter eamdem et rationem totaliter diversam cadit media ratio partim eadem et partim diversa. Fallitur Scotus qui non admittit medium inter pure univocum et pure aequivocum» [2].

Idem etiam apparet in Logica, ubi inter propositiones contrarias dari potest propositio media subcontraria, sicut inter propositiones: omnis homo est doctus et nullus homo est doctus, dantur ista media: aliquis homo est doctus; aliquis homo non est doctus. Unde S. Thomas: «universalis negativa non solum removet universalem affirmativam, sed etiam designat extremam distantiam, in quantum negat totum quod affirmatio ponit, et hoc pertinet ad rationem contrarietatis. Et ideo *particu-*

---

[1] *In X Metaph.*, lect. 6, n. 2.056.
[2] Cf. P. MINGES, *Doctrina Scoti*, t. I, pp. 23, 25.

laris affirmativa et negativa se habent sicut *medium* inter contraria»[1].

156. Iam vero medium inter contrarie opposita potest esse duplex: unum *improprie* dictum, quod est medium *mere negativum* sive pure *exclusivum extremorum contrariorum*; aliud *proprie* dictum, quod est medium *positivum*, aliquo modo *participans utrumque extremum contrarium*. Ad rem S. Thomas: «*medium* inter duo aliqua potest accipi uno modo *per participationem utriusque extremi*, quod est *medium in eodem genere*, sicut viride vel pallidum inter album et nigrum; alio modo *per abnegationem*, quod est etiam *diversum in genere*, sicut inter hominem et equum [medium dicitur] quod nec est homo nec est equus, ut lapis»[2].

Quam distinctionem uberius explicat Caietanus, scribens: «medium est duplex, scilicet per participationem et per abnegationem. Medium *per participationem* dicitur quod ita ab utroque extremo differt quod tamen utriusque naturam participat, ut pallidum ita nec album nec nigrum est ut tamen albi nigrique naturam sapiat. Medium vero *per abnegationem* dicitur quod utriusque extremi negationem omnino habet: vel simpliciter, ut lapis nec pravus nec studiosus; vel secundum tempus, ut homo in infantia nec pravus nec studiosus; vel secundum partem, ut homo secundum corpus nec pravus nec studiosus»[3].

157. Atqui medium quo analogia essentialiter media est inter puram aequivocationem et simplicem univocationem *non est pure negativum et improprie dictum*; quia hoc sensu *disparata* vel *indifferentia* sive *pure neutra* dicuntur media inter directe contraria vel opposita; sicut

---

[1] *In I Perih.* lect. 11, n. 5.

[2] *In IV Metaph.*, lect. 16, n. 722.

[3] CAIETANUS, *In Praedicamenta Aristotelis*, cap. de oppositis, ed. H. Laurent, O.P., p. 203. Romae 1939. Et acute animadvertit statim quod tale medium per abnegationem «inter *omnia contraria* invenitur», saltem si loquamur de abnegatione *simpliciter*.

lapis, qui est substantia corporea *inanimata*, dicitur *medius* inter hominem et equum, hoc est inter substantiam corpoream animatam *rationalem* (=hominem) et substantiam corpoream animatam *irrationalem* (=equum). Eo enim ipso quod est substantia *inanimata*, est omnino extra differentias contrarias rationalitatis et irrationalitatis, quae non sunt differentiae substantiae inanimatae sed animatae, et quidem sensitivae: quod namque est extra genus proximum, immo et subalternum, eo ipso est extra differentias generis proximi. Iam vero constat analogiam non esse penitus disparatam a simplici univocatione et pura aequivocatione, sed eis coordinatam, cum sub eadem distributione nominis communis cadat cum illis, in quo quasi in genere conveniunt; dividimus enim nomen commune in univocum, aequivocum et analogum. Secus, nomen proprium et prorsus incommunicabile esset medium inter univocum et aequivocum, quia nec unum nec aliud est eo ipso quod non est commune; aut etiam simplex vox non significativa, ut *biltris*, esset media inter vocem univocam et vocem aequivocam [1]: quod nemo sapiens et prudens dixerit, nam «dictio aequivocata *non nihil, sed plura* significat» [2].

158. Ergo *medium* quo analogia est media inter puram aequivocationem et simplicem univocationem est *positivum et proprie dictum*, hoc est, *per participationem* quamdam univocationis et aequivocationis, sive *per compositionem* ex eis. Propter quod S. Thomas frequenter inculcat: «media autem *fiunt ex contrariis*, sicut colores medii ex albo et nigro» [3]; «*necesse* est media *esse ex contrariis*» [4]; «media *componuntur* ex *contrariis*» [5]; «*necesse* est media *componi ex his contrariis inter quae sunt*» [6];

---

[1] S. THOMAS, *In I Perith.*, lect. 4, n. 3.
[2] *In I Perih.*, lect. 5, n. 19.
[3] *In I Physic.*, lect. 10, n. 5.
[4] *In X Metaph.*, lect. 9, n. 2.097.
[5] *Ibid.*, n. 2.098.
[6] *Ibid.*, n. 2.104.

«omnia media sunt composita ex contrariis» [1]: «ita enim se habet rerum ordo, ut *medium ex diversis partibus attingat utrumque extremum*» [2]; «cum *medium participet utrumque*» [3], «extrema inveniuntur in *medio*, quod *participat utriusque naturam*» [4]; «medium oportet *participare* cum utroque extremo» [5], «medium enim debet esse *affine* utrique extremorum» [6].

Duo igitur cum sint de ratione medii, scilicet realiter *non esse* ipsa extrema contraria [7] simulque realiter ea *contingere*, ipsa *participando*, consequens est ut medium in quo analogia essentialiter consistit definiatur ex duplici capite: primo, *negative*, per negationem utriusque extremi; secundo, *positive*, per accessum vel participationem amborum extremorum. Et ideo S. Thomas quandoque describit analoga *negative*, dicens quod in eis *neque* est totaliter una eademque ratio sicut in univocis, *neque* totaliter diversa sicut in aequivocis [8]; quandoque vero *positive*, asserens quod analogia «*aliquid* habet de identitate rationis et *aliquid* de diversitate» [9], et quod analoga «dicuntur secundum rationes quae *partim* sunt diversae et *partim* non diversae» [10] et quod «praedicantur secundum rationem *partim* eamdem et *partim* diversam» [11].

---

[1] *Ibid.*, n. 2.110.

[2] *In VII Ethic. Nicom.*, lect. 1, n. 1.299.

[3] *In II Ethic. Nicom.*, lect. 10, n. 360. Similiter ARISTOTELES: μέσον ἀμφοτέρων μετέχει τῶν ἄκρων (*De Partibus animalium*, lib. III, cap. 1, III, 252, 15); τὸ γὰρ μέσον ὁμοίως κοινὸν ἀμφοτέρων τῶν ἐσχάτων (*Ibidem*, cap. 2, III, 254, 46-47).

[4] *De mixtione elementorum*, Opuscula selecta, ed. de Maria, t. I, p. 392.

[5] *De Spiritualibus Creaturis*, 3, arg. sed contra.

[6] *In I de Anima*, lect. 7, n. 94.

[7] «Manifestum est quod *medium inter contraria est habens privationem utriusque extremorum*, sive sit nominatum uno nomine, sive pluribus, sive innominatum. Unde medium inter album et nigrum, ut puta rubeum vel citrinum, habet in sua ratione quod neque sit album neque nigrum» (*In XI Metaph.*, lect. 6, n. 2.244).

[8] *In VII Metaph.*, lect. 3, n. 1.337; I, 13, 5c.

[9] *In I Sent.*, d. 21, 1, 1, qla. 2c.

[10] *In IV Metaph.*, lect. 5, n. 535.

[11] *In XI Metaph.*, lect. 3, n. 2.197.

Participationem univocitatis, quae unitatem et identitatem rationis importat, indicat per verba: *aliquid* habet de *identitate rationis,* praedicatur secundum rationem *partim eamdem. Participationem autem aequivocitatis,* quae pluralitatem et diversitatem rationis praesefert, exprimit per haec alia verba: *aliquid* habet *de diversitate rationis,* praedicatur secundum rationem *partim diversam.* Cum ergo analogia simul *participet* aliquid de univocitate et aliquid de aequivocitate, constat eam esse veluti essentialiter *compositam* ex his duobus contrariis inter quae *media* essentialiter cadit.

159. Quomodo autem et secundum quae intelligenda sit talis participatio identitatis univocorum et diversitatis aequivocorum, explicat S. Thomas duplici serie textuum pro duplici forma analogiae, scilicet attributionis et proportionis sive proportionalitatis.

Itaque *in analogia attributionis* participatur unitas et identitas rationis univocorum *ob identitatem et unitatem termini principalis,* qui est analogum princeps; pluralitas vero et diversitas aequivocorum participatur *ob pluralitatem analogatorum secundariorum et diversitatem habitudinum eorumdem ad illud unum idemque* analogum principale. «*Analogice* dicitur praedicari, ait S. Thomas, quod praedicatur de pluribus a) quorum rationes et definitiones sunt *diversae,* sed b) attribuuntur *uni alicui eidem.* Sicut *sanum* dicitur de corpore animalis et de urina et de potione, sed *non ex toto idem significat in omnibus tribus*; dicitur enim de urina ut de *signo* sanitatis, de corpore ut de *subiecto,* de potione ut de *causa*: sed omnes istae rationes attribuuntur *uni fini,* scilicet *sanitati* animalis [1].

Et alio in loco: «aliquid praedicatur de diversis... secundum rationes quae a) partim sunt diversae et b) *partim* non diversae. *Diversae* quidem, secundum quod *diversas habitudines* important; *unae* autem, secundum quod *ad*

---

[1] *De principiis naturae.* Opuscula selecta, ed. cit., t. I, p. 293.

unum aliquid et idem istae diversae habitudines referuntur: et illud dicitur *analogice* praedicari, idest proportionaliter, prout *unumquodque* secundum *suam* habitudinem *ad illud unum referuntur*» [1].

Tandem: «in his vero, quae praedicto modo dicuntur, idem nomen de diversis praedicatur secundum rationem a) *partim* eamdem b) partim diversam. *Diversam* quidem, quantum ad *diversos modos relationis*; *eamdem* vero, quantum ad *id ad quod fit relatio*. Esse enim *significativum* et esse *effectivum* [sanitatis] *diversum* est, sed sanitas *una* est; et propter hoc, huiusmodi dicuntur *analoga*, quia *proportionantur* [*diversimode*] ad *unum*» [2].

At *in analogia proportionis sive proportionalitatis* se habent huiusmodi participationes modo quadantenus inverso; participatur enim diversitas et pluralitas aequivocorum *non solum ob pluralitatem relatorum* ut in analogia attributionis, *verum etiam, et quidem maxime, ob pluralitatem terminorum relationis*; quia haec analogia est plurium ad plura sive diversorum ad diversa: unitas autem et identitas univocorum participatur *ob unitatem similitudinis proportionalis plurium relationum seu habitudinum illorum plurium ad illa plura*, ita ut unum se habeat ad aliud sicut aliud ad aliud [3], v. gr. «sicut se habet substantia ad esse sibi debitum, ita et qualitas ad esse sui generis conveniens» [4]. Quo etiam sensu «in cognitione, qua mens nostra cognoscit seipsam, est repraesentatio Trinitatis increatae *secundum analagiam*, in quatum *hoc modo* mens cognoscens seipsam verbum sui gignit et ex utroque procedit amor, *sicut* Pater seipsum dicens Verbum suum genuit ab aeterno et ex utroque procedit Spiritus Sanctus» qui est Amor utriusque [5].

Ut enim egregie scribit S. Thomas, «unum nomen

---

1 *In IV Metaph.*, lect. 1, n. 535.
2 *In XI Metaph.*, lect. 3, n. 2.197. «Analogice, scilicet secundum diversam habitudinem ad aliquid unum» (III, 60, 1 ad 3).
3 *De Verit.*, 2, 11 ad 2.
4 *III Sent.*, d. 1, 1, 1c, n. 12
5 *De Verit*, 10, 7c.

dicitur de multis secundum rationes *diversas, non totaliter sed in aliquo uno convenientes*», bifarie: uno modo, «*secundum proportiones* (=habitudines, relationes) *diversas*» *ad unum* principium vel ad *unum* finem vel ad *unum et idem* subiectum, ut in analogis attributionis; alio modo. «*secundum unam proportionem ad diversa subiecta*. Eamdem enim habent proportionem visus quoad corpus et intellectus ad animam; unde *sicut* visus est potentia organi corporalis *ita etiam* intellectus est potentia animae absque participatione corporis»[1]: *vel etiam ad diversa obiecta*, quatenus *sicut* se habet visus ad visibile *ita* se habet intellectus ad intelligibile, et ideo visus *et intellectus* «*similiter* ad *sua* obiecta comparantur»[2].

Et alibi, utrumque modum simul iungens, prosequitur: «proportione vero vel analogia sunt unum quaecumque in hoc conveniunt, quod hoc se habet ad illud sicut aliud ad aliud. Et hoc quidem potest accipi *duobus modis*: *vel* in hoc quod aliqua duo habent *diversas habitudines ad unum*, sicut sanativum de urina dictum habitudinem significat *signi* sanitatis, de medicina vero significat habitudinem *causae respectu eiusdem*; *vel* eo quod est *eadem proportio duorum ad diversa*, sicut tranquillitatis ad mare et serenitatis ad aërem: tranquillitas enim est *quies* maris, et serenitas [est *quies*] aëris»[3].

160. At est hac in re sedulo cavendum ne quis unitatem et identitatem rationis ex univocatione, et pluralitatem ac diversitatem ex aequivocatione, participatas ab analogia, concipiat per modum quo sunt in univocis vel in aequivocis, idest univoce vel aequivoce: hoc enim esset introducere aequivocationem puram, vel simplicem univocationem, vel ambas simul, in ipsam analogiam, quod est aequivalenter eam destruere. Sed oportet eas intelligere *analogice, hoc est, per modum quo sunt in ipsa ratione analogiae*, quae essentialiter differt a simplici univoca-

---

1 *In I Ethic. Nicom.*, lect. 7, n. 95.
2 *De Verit.*, 10, 7c.
3 *In V Metaph.*, lect. 8, n. 878

tione et a pura aequivocatione. Nam «omne participatum est in participante» [1]. Omne autem quod est in aliquo, est in eo per modum eius in quo est. Ergo participatum est in participante per modum participantis et non per modum participati: «omne quod est participatum in aliquo, ait S. Thomas, est in eo per modum participantis» [2].

Quae cum ita sint, dicendum est unitatem et identitatem rationis significatae per nomen commune, quam analogia participat ab univocatione, convenire analogiae esseque in analogis per modum analogiae, non per modum univocitatis: quod est aequivalenter dicere hanc unitatem et identitatem rationis esse in analogis analogam, sicut in univocis erat univoca.

Et similiter asserendum est pluralitatem et diversitatem rationis significatae per nomen commune, quam analogia participat a pura aequivocatione, esse in analogis eisque convenire per modum analogiae, non per modum aequivocationis purae; quia haec pluralitas et diversitas est in analogis analoga, sicut in aequivocis erat aequivoca. Et hac de causa, unitas et pluralitas analoga pariterque identitas et diversitas analoga non opponuntur contrarie inter se, sicut opponuntur unitas univoca et pluralitas aequivoca, itemque identitas univoca et diversitas aequivoca; et consequenter adunari possunt in una essentia communi, superiori univocis et aequivocis eaque transcendens, quae est ipsa essentia analogiae. Neque enim identitas et diversitas, aut unitas et pluralitas, in ratione analogica se habent per modum realis compositionis unius rationis identicae et alterius rationis diversae; sed per modum unius eiusdemque rationis eminentioris analogicae et transcendentalis quae, si comparetur cum pluralitate aequivocorum, est una; simulque, si comparatur cum unitate et identitate univocorum, est multiplex et diversa. Una ergo eademque natura analogiae simul suscipit se-

---

1 *In IV Physic.*, lect. 3, n. 10.
2 *I Sent.*, d. 8, 1, 2, arg. 2 sed contra.

cundum essentiam suam metaphysicam praedicata quidditativa unitatis et pluralitatis sive identitatis et diversitatis rationis significatae per idem nomen, ob diversitatem respectus ad contrarie opposita: idem enim secundum idem contrarie se habet ad contraria, sicut eadem caritas secundum eamdem rationem formalem odió habet malum culpae et amore prosequitur bonum virtutis contrarium culpae.

Quam ob rem merito dixit Aristoteles quod medium cum utroque extremo collatum est quodammodo utrumque; et quod numero quidem est unum, ratione vero duo: τὸ μέσον πρὸς ἑκάτερον ἄμφω ἐστί, καὶ τῷ μὲν ἀριθμῷ ἕν, τῷ λόγῳ δὲ δύο [1]. Et S. Thomas scite animadvertit quod «medium comparatum uni extremo videtur alterum [extremum], *in quantum participat naturam utriusque*; sicut *tepidum* respectu calidi est *frigidum,* respectu vero frigidi est *calidum*» [2]. Et «sicut *fortis* in comparatione ad timidum est *audax,* in comparatione autem ad audacem est *timidus*; et similiter *temperatus* in comparatione ad insensibilem est *intemperatus,* in comparatione autem ad intemperatum est *insensibilis*» [3]. Et rationem reddit dicens quod «*cum medium participet aliqualiter utrumque extremum,* in quantum participat unum eorum contrariatur alteri: sicut *aequale,* quod est medium inter magnum et parvum, est quidem in comparatione ad magnum, *parvum*; et in comparatione ad parvum est *magnum.* Et ideo aequale, et magno opponitur secundum rationem parvi, et parvo secundum rationem magni» [4]; «in quantum scilicet possumus uti medio ut contrario respectu utriusque extremi. *Medium enim, in quantum habet convenientiam cum utroque extremorum, est quodammodo utrumque eorum*; et ideo potest dici hoc ad illud et illud ad hoc: sicut si dicam quod *media vox* inter gravem et acutam est *gravis*

---

[1] Aristoteles, *VIII Physicorum,* cap. 8, n. 2 (II, 359, 14-15).
[2] S. Thomas, I, 108, 5 ad 4. Cf. I, 50, 1 ad 1.
[3] *In II Ethic. Nicom.,* lect. 10, n. 361.
[4] *Ibid.,* n. 360

ad ultimam, idest per comparationem ad acutam; et subtilis, idest *acuta* per comparationem ad extremam, idest ad gravem: et fuscum est album per comparationem ad nigrum, et e converso»[1]; «quia fuscum, cum sit medium ad utrumque extremorum, dicitur utrumque; quia in comparatione albi est nigrum et in comparatione nigri est album»[2]. Nihil ergo mirum si analoga, eo ipso quod media sunt inter pure univoca et pure aequivoca, videantur univoca per comparationem ad pure aequivoca; ac vicissim, aequivoca videantur per comparationem ad pure univoca. Eo vel magis quod analogia, cum sit idem ac proportio, quae est essentialiter relatio quaedam, denominat formaliter analoga ut sunt correlativa reduplicative ad invicem vel ad unum tertium. Iam vero, ut profunde notat S. Thomas, «ea quae absolute dicuntur, quolibet addito remanent talia, sicut calidum et album; sed *ea quae relative dicuntur variantur secundum comparationem ad diversa*: quod enim est magnum comparatum huic, est parvum comparatum alteri»[3].

161. Qua de causa, unum idemque nomen, puta ens, ab uno Aristotele dicitur quandoque univocum[4], aliquando aequivocum[5], interdum analogum[6]; et similiter bonum, quod tot modis dicitur sicut ens: τἀγαθὸν ἰσαχῶς λέγεται τῷ ὄντι[7], quandoque appelat genus[8] quod, eo fatente, συνωνύμως κατηγορεῖται[9], nonnunquam analogum, quia de diversis bonorum generibus dicitur κατ' ἀναλογίαν[10]. Hic ta-

---

1 *In V Physic.*, lect. 1, n. 11.
2 *In V Physic.*, lect. 5, n. 12.
3 I-II, 6, 6 ad 2.
4 ARISTOTELES, *II Metaph.*, cap. 1, n. 5 (II, 484, 28-36).
5 *IV Metaph.*, cap. 12, n. 5 (II, 524, 38-39): ὁμωνύμος δὲ λεγόμενον τὸ ὄν; *I Physic.*, cap. 1, n. 8, II, 249, 30: Πολλαχῶς λέγεται, τὸ ὄν
6 *III Metaph.*, cap. 2, n. 1 (II, 500, 14-15): Τὸ δὲ ὂν λέγεται μὲν πολλαχῶς, ἀλλὰ πρὸς ἓν και μίαν τινὰ φύσιν, καὶ οὐχ ὁμωνύμως, ἀλλ'ὥσπερ και τὸ ὑγιεινὸν ἅπαν πρὸς ὑγίειαν. Cf. etiam *X Metaph.*, cap. 3, n. 1 (II, 587, 18-23); *De Sophisticis Elenchis*, cap. 7, n. 1 (I, 283, 41-44); cap. 33, n. 2 (I, 307, 6-12).
7 *I Ethic. Nicom.*, cap. 6, n. 3 (II, 4, 23-24).
8 *Categoriae*, cap. 8, n. 27 (I, 21, 34-36). ἀγαθὸν δὲ καὶ κακὸν οὐκ ἔστιν ἐν γένει, ἀλλ' αὐτὰ τυγχάνει γένη τινῶν οντα.
9 *IV Topic.*, cap. 6, n. 4 (I, 217, 9-10).
10 *I Ethic. Nicom.*, cap. 6, n. 12 (II, 5, 15-19).

men loquendi modus, ut scite animadverti S. Thomas[1], non est proprius et strictus, sed largus vel communis: «Philosophus *largo modo* accipit aequivoca secundum quod includunt in se *analoga*; quia et ens, quod *analogice* dicitur, aliquando dicitur *aequivoce* praedicari de diversis praedicamentis» [2].

---

[1] «Genus dupliciter potest accipi. Uno modo *proprie*, prout praedicatur de pluribus in eo quod quid est, et sic neque bonum neque malum sunt genera, sed sunt in transcendentibus, quia bonum et ens convertuntur. Alio modo *communiter*, ut genus dicatur omne id quod sua communitate multa ambit et continet, et bonum et malum dicuntur genera omnium contrariorum» (*II Sent.*, d. 34, 2 ad 1). «Quaedam vero sunt *aequivoca*, sicut bonum quod circuit omnia genera sicut et ens, et similiter malum; et ideo bonum et malum dixit [Aristoteles] esse nec in uno genere nec in pluribus, sed ipsa esse genera, *prout genus dici potest id quod genera transcendit*, sicut ens et unum» (*De Malo*, 1, 1 ad 11).

[2] I, 13, 10 ad 4. Quod iam pridem notaverat Abaelardus: «sicut autem univoca *strictius* Aristoteles accepit, ita aequivoca *largius*, omnia scilicet illa dicens *aequivoca* quae commune nomen habent sine communi ratione substantiae» (*In Praedicamenta Aristotelis*, ed. B. Geyer, p. 118, 39-41. Munster i. W. 1921. AGP M., Bd. XXI).

Praesertim vero audiendus est S. Albertus Magnus qui, cum dixisset univocum continere univocata in potentia, aequivocum vero aequivocata in actu, quia «vox [aequivoca] ea in quae dividitur continet actu et non potentia tantum», licet confuse et non distincta (*Commentarium in librum Boetii de Divisione*, tract. II, cap. 4, ed. P. M. de Loe, O.P., pp. 29-31. Bonnae 1913), addit: «*sub aequivoco* autem hic *comprehenditur* hoc per *analogiam* multipliciter dictum, quamvis secundum veritatem *medium* sit inter univocum et aequivocum...; quia *potentialis* multiplicitas non facit multiplicitatem, et analogia reducitur ad aequivocationem quoad hoc quod *analogum actu multa signifcat*, quamvis illi modi multi, quos dicit, referantur ad unum quod principaliter dicitur analogum» (*Op. cit.*, tract. II, cap. 1, p. 25, 1-8). Unde et *imitatur* simul univocum et aequivocum: sicut divisio analogice dicitur de diversis divisionum modis et generibus. «Si autem quaeratur quae sit ista divisio [divisionum], dicendum quod est multiplicis per analogiam sive proportionem dicti, quae uno modo ad divisionem *generis* reducitur, et alio modo ad divisionem *vocis* in suas significationes. Secundum enim quod aliquid unum est in omnibus divisibilibus sicut partium continentia secundum divisionem *generis*, sic imitatur univocum; secundum hoc autem quod non per unam rationem respicit nomen ea quae divisibilia sunt, sic imitatur aequivocum. Continentia enim partium non per unam rationem est accidentalibus et substantialibus, nec in substantialibus per unam est rationem secundum formam continere partes et secundum materium, nec per unam rationem est continere partes secundum formam rei et secundum formam sermonis, et ideo analogicam, ut diximus, habet in hac scientia divisibile communitatem» (*Op. cit.*, tract. I, cap. 2, p. 19, 1-14. Cf. etiam tract. IV, cap. 1, pp. 74-75).

At semper, etiam sub his formulis largioribus, oportet intelligere unitatem rationis analogorum, non per modum unitatis univocae, sed per modum unitatis analogicae; et similiter diversitatem rationum in eisdem analogis secundum modum diversitatis analogicae, non secundum modum diversitatis pure aequivocae: est enim analogia essentialiter media inter univocationem et puram aequivocationem simulque essentialiter differens ab eis.

Cuius quidem rei profundam rationem ultimam dedit S. Thomas hisce verbis: «cum *media* sint species eiusdem generis, et omnes species ex genere et differentia constituantur, necesse est quod *media* constituantur ex genere et differentiis. Sicut quicumque colores sunt *medii* inter album et nigrum, oportet hos definiri ex genere, quod est color, et ex quibusdam differentiis. Et *hae differentiae, ex quibus constituuntur medii* colores, *non possunt esse immediate prima contraria, scilicet differentiae contrariae quae constituebant contrarias species* albi et nigri: aliter oporteret quod quilibet color medius esset albus aut niger. *Oportet igitur quod differentiae constitutivae mediorum* colorum *sint alterae a differentiis contrariis quae sunt constitutivae contrariarum specierum.* Et quia *sicut* se habent species ad species, *ita* se habent differentiae ad differentias; oportet quod *sicut medii* colores sunt species *mediae* inter species contrarias, *ita, differentiae constitutivae earum sint mediae inter differentias contrarias quae dicuntur prima contraria*»[1].

162. Itaque in definitione nominis analogi, quod est species media inter nomen pure univocum et nomen pure aequivocum, debet poni *quasi genus proximum* id quod *commune* est nomini univoco et nomini pure aequivoco, scilicet *unum idemque nomen de pluribus dictum*; in hoc enim conveniunt univocum et aequivocum, quia utrumque est unum idemque nomen de pluribus dictum, cum

---

[1] S. THOMAS, *In X Metaph.*, lect. 9, n. 2.108. Cf. etiam *in librum Boetii de Trinitate*, 5, 3 ad 6.

utrumque sit nomen *universale vel commune: quasi differentia vero ultima* poni debet id per quod nomen analogum essentialiter differt tum ab univoco tum a pure aequivoco, et haec differentia sumitur *ex modo significandi sive ex ratione vel definitione significata per nomen commune*. Iam vero nomen univocum significat plura secundum rationem totaliter et absolute eamdem; pure aequivocum e contra, plura significat secundum rationem absolute et totaliter diversam sive disparatam; ergo nomen analogum, quod essentialiter medium est inter pure univocum et pure aequivocum, debet essentialiter plura significare secundum rationem essentialiter mediam inter rationem absolute eamdem univocorum et absolute diversam aequivocorum, ita ut simul plura significet secundum rationem eamdem et secundum rationem diversam: non quidem absolute et totaliter eamdem neque absolute et totaliter diversam, sed relative et partialiter eamdem simulque relative et partialiter diversam; nimirum proportionaliter eamdem et proportionaliter diversam, non aequaliter eamdem sicut univocum, neque aequaliter diversam sicut pure aequivocum.

163. Quae cum ita sint, *univocum definitur: unum idemque nomen plura significans secundum rationem totaliter, absolute, aequaliter eamdem et nullo modo diversam.*

Pure aequivocum autem: unum idemque nomen plura significans secundum rationem totaliter, absolute, aequaliter diversam et nullo modo eamdem.

Analogum vero: unum idemque nomen plura significans secundum rationem partialiter, relative, inaequaliter, mere proportionaliter eamdem simulque diversam.

Identitas ergo rationis significatae per nomen essentialiter media inter identitatem absolutam univocorum et diversitatem absolutam aequivocorum, simulque diversitas rationis essentialiter media inter diversitatem absolutam aequivocorum et identitatem absolutam univocorum, est qua analogia primo in seipsa essentialiter con-

stituitur et primo essentialiter distinguitur a simplici univocatione et a pura aequivocatione: quae tamen identitas et diversitas in ipsa essentia analogiae non sunt duae res neque duae rationes distinctae iuxtapositae vel conglutinatae, sed una eademque, quae simul et secundum idem essentialiter est *identitas quaedam diversa vel diversitas quaedam identica*; haec enim diversitas haecque identitas rationis analogicae sive proportionalis non constituunt unum per accidens, sed sunt unum per se sicut omnis vera essentia.

164. Haec omnia clara sunt et indubitata. Sed adhuc *determinandum superest secundum quam proportionem vel mensuram conveniunt analogiae identitas et diversitas rationis significatae per nomen, an scilicet ei conveniant quasi ex aequo, vel secundum prius et posterius sive magis et minus, idest inaequaliter.*

Qua in re distinctione opus est. Si enim loquamur de hoc medio analogiae inter puram aequivocationem et simplicem univocationem *prout importat negationem sive oppositionem ad utrumque extremum secundum quod reduplicative extrema sunt,* evidenter tale medium non est susceptivum magis et minus, sed essentialiter stat in indivisibili, eo quod negationes qua tales stant in indivisibili; et ideo aequaliter *negatur* de analogia simplex univocatio sicut pura aequivocatio, et eodem modo eademque ratione analogia *non est* aequivocatio pura sicut *non est* omnimoda univocatio. Sicut ex eo quod mors est pura privatio sive negatio vitae et tenebra est pura privatio luminis, aequaliter et semper negatur vita de morte et tenebra de lumine. «Unde non minus est mortuus aliquis primo die mortis et tertio vel quarto quam post annum, quando iam cadaver fuerit resolutum; et similiter non est magis tenebrosa domus si lucerna sit operta pluribus velaminibus quam si sit operta uno solo velamine totum lumen intercludente» [1]. Hoc ergo in sensu, non minus ne-

[1] I-II, 73, 2c.

gatur de analogia identitas rationis univocae quam diversitas rationis aequivocae.

Sin autem sermo sit de medio analogiae prout *positive* includit participationem analogam sive proportionalem identitatis univocorum et diversitatis aequivocorum, quaestio ad hoc devolvitur: utrum ratio analogiae aequaliter participet rationem utriusque extremi univocitatis et aequivocitatis, ita ut analogia sit medium quasi aequidistans ab utroque extremo; an e contra participet inaequaliter, hoc est, plus rationem unius extremi quam alterius, puta plus rationem unam univocitatis quam plures et diversas rationes aequivocationis, vel e converso, ita ut non sit medium quasi aequidistans ab utroque extremo, sed propius sit uni quam alteri, per maiorem accessum ad unum quam ad aliud, ideoque plus habens de identitate rationis significatae per nomen quam de diversitate, vel ex adverso.

165. Atqui *analogia non potest ex aequo participare utrumque extremum univocationis et aequivocationis purae.*

Si enim ita esset, deberet analogum necessario in se includere vel *totam simul* rationem *utriusque* extremi, vel *partem aequalem unius* et *partem aequalem alterius.* Quorum neutrum dici potest.

166. *Non primum,* ob rationem duplicem. *Una* sumitur *ex ipsa ratione medii.* Constat enim analogiam ita esse mediam inter puram aequivocationem et simplicem univocitatem, ut tamen ab eis essentialiter differat. Atqui in medio essentialiter distincto ab extremis non possunt esse extrema per modum extremorum, sed per modum medii: secus nulla esset inter medium et extrema essentialis differentia. Ergo extrema univocationis et aequivocationis purae non possunt esse in medio analogiae per modum extremorum aequivocationis et univocitatis, sed necessario debent esse per modum analogiae. Essent autem per modum extremorum si analogia *simul* parti-

ciparet *totam* eorum rationem: tunc enim nomen analogum significaret multa secundum rationem *totaliter eamdem*, hoc est, secundum eumdem omnino modum quo extremum univocationis significat plura; *simulque* analogum nomen significaret multa secundum rationem, vel potius, *rationes totaliter diversas*, idest secundum eumdem prorsus modum quo aliud extremum aequivocationis purae significat plura. Hoc ergo modo intelligere talem participationem, est aequivalenter de medio tollere ipsum medium analogiae quod explicandum, non destruendum vel negandum, sumebatur.

Alia ratio sumitur *ex ipsa ratione extremorum*. Extrema enim, inter quae analogia essentialiter media est, sunt *directe contraria*, nempe ratio significata *totaliter eadem* (=extremum univocationis) et ratio significata *totaliter diversa* (extremum aequivocationis purae). Iam vero contraria directe et presse sumpta mutuo se expellunt ab eodem subiecto et ab eadem definitione. Istae ergo rationes directe contrariae univocationis et aequivocationis purae non possunt simul ex aequo inesse aut convenire analogiae. Unde S. Thomas nervose scribit: «si igitur impossibile est simul affirmare et negare, *impossibile est contraria simul inesse eidem simpliciter*» [1]. Et alibi: «contraria autem impossibile est simul esse in eodem *adaequate*», hoc est, ex aequo et secundum totam rationem eorum [2].

167. *Non alterum*, duplici etiam de causa. *Prima* est, quia huiusmodi rationes contrariae perfecte aequales et in actu *non possunt constituere unum per se intelligibile*, cum ex actu et actu non fiat unum per se; et tamen essentia analogiae est aliquid unum per se: sicut in mixto, quod medium essentialiter est inter contraria principia et ex contrariis principiis, non possunt manere extrema in actu perfecto et immutata, sed transformata vel

---

[1] *In IV Metaph.*, lect. 15, n. 719.

[2] *De mixtione elementorum*, Opuscula selecta, ed. de Maria, t. I, p. 390.

alterata, ideoque in potentia vel radice vel virtute tantum [1].

Et sane duae rationes omnino aequales et in actu perfecto et quasi in aequilibrio positae, essent plura ut plura. Iam vero plura ut plura non possunt per se intelligi, sed solum plura ut unum vel ad unam quamdam rationem reducta: et tamen essentia vel definitio, cum sit principium intelligendi omnia quae rei definitae conveniunt, debet esse maxime intelligibilis per se. Ac revera plura analogata, ut talia, simul intelliguntur per se: v. gr., punctum, aurora et causa simul per se intelliguntur quatenus conveniunt in una simili ratione principii lineae, diei, effectus. *Sicut* enim punctum est principium lineae, *ita* aurora est principium diei et causa est principium sui effectus. Similiter Deus Pater est *principium* Filii, et Pater et Filius sunt *principium* Spiritus Sancti, et omnes tres personae sunt simul *principium* creaturarum; non tamen secundum rationem aequaliter eamdem neque aequaliter diversam, sed secundum rationem proportionaliter eamdem et proportionaliter diversam; et ideo ratio *principii*, prout nominat principium processionis personarum per meram originem personae a persona et prout nominat principium processionis creaturarum per creationem, dicitur analogice [2].

Ponere igitur analogiam *aequaliter* participare rationes oppositas aequivocationis et univocitatis secundum partes omnino aequales unius et alterius, est aequivalenter convertere analogiam in puram pluralitatem rationum

---

[1] Cf. *II Sent.*, d. 30, 2, 1c: «quandocumque autem fit mixtio aliquorum differentium vel secundum contrariam qualitatem vel secundum puritatem et impuritatem eiusdem, *mixtione completa non retinet unumquodque qualitatem propriam*; alias admixtio esset ex rebus salvatis [in actu perfecto], et esset compositio [=mera iuxtapositio vel constipatio] tantum: *sed oportet ut totum simul* unam *formam accipiat*, quae est medium». Videsis etiam Opusculum de *Mixtione elementorum* (ed. cit., t. I, pp. 390-392); *Quodlib.* 1, a. 6 ad 3; *De Anima*, 9 ad 10; *II Contra Gentiles*, cap. 56, arg. 2; I, 76, 4 ad 4.

[2] Cf. *I Sent.*, d. 29, 2, qla. 1: utrum *principium* dicatur *univoce* de Deo secundum quod dicitur divinae personae et creaturae; d. 31, 2, 1 ad 2.

disparatarum vel oppositarum; quod est eam de facto convertere in puram aequivocationem, et *ipsum medium analogiae, quod explicandum sumebatur, radicitus evertere.*

168. *Secunda ratio* est, quia talis modus participationis est *contra ipsam naturam extremorum participabilium vel participatorum a medio analogiae.* Univoca enim qua talia et pure aequivoca in quantum huiusmodi, *non conveniunt in uno genere,* sed sunt essentialiter diversorum generum: alioquin pure aequivoca et pure univoca *convenirent univoce inter se,* et consequenter haberent eamdem definitionem, cum tamen habeant definitiones totaliter diversas et contrarias. Atqui participatio ex aequo alicuius rationis communis est propria et specifica univocorum; sicut habetur in medio arithmetico, quod aequaliter distat ab extremis quantitatibus homogeneis comparatis, cum tamen proprium medium analogiae sit medium essentialiter proportionale et quasi geometricum, eo ipso quod est inter res vel rationes diversorum generum. Non ergo extrema, inter quae analogia est essentialiter media, sunt participabilia ex aequo.

Ideo S. Thomas propositionem illam: medium *aequaliter distat* ab extremis, concedit quidem de medio arithmetico, at negat penitus de medio geometrico, quod non est purum medium rei, sed simul est, et quidem potissime, medium rationis [1]. Unde et concludit: «*medium* accipitur in aliquo dupliciter. *Uno modo,* ex comparatione ad *extrema eiusdem rei,* sicut medium in circulo; et tale medium oportet quod *aeque* distet ab extremis [et aeque participet extrema]. *Alio modo,* ex comparatione ad aliquam *regulam* [vel rationem vel principium] *extra* [vel supra, utpote genera extremorum transcedens]; et tunc non oportet quod medium *aeque* distet ab extremis, sed quod aequetur regulae» vel commensuretur principio se-

---

[1] *De Virtutibus in communi,* 13 ad 13; *in II Ethic. Nicom.,* lect. 6, n. 312.

cundum aequalitatem mere relativam sive proportionalem [1].

Ergo admittendum est secundum membrum disiunctionis, quod scilicet analogia participet *inaequaliter* rationes extremorum univocationis et aequivocitatis purae, sive identitatem et diversitatem rationis significatae per nomen commune, ita ut plus accedat ad unum extremorum quam ad alterum.

169. Hoc autem dato, duplex casus fingi potest: aut quod *plus* participet *identitatem* rationis univocorum et *minus diversitatem* rationum aequivocorum; aut ex adverso, quod *plus* participet *diversitatem* rationum aequivocationis purae et *minus identitatem* rationis univocationis.

Sive autem uno sive alio modo intelligatur, potest rursus huiusmodi inaequalis participatio bifarie concipi: aut semper *uniformis* et stans quasi *in indivisibili* ubicumque et quomodocumque verificetur medium analogiae; aut non semper et ubique uniformis, sed *cum quadam latitudine* intra suam inaequalitatem. Ut enim ait ad rem S. Thomas, «inter duo extrema possunt esse *multa media*, sicut inter album et nigrum sunt multi colores nigri» [2]. «*Non enim est necesse quod quidquid est medium inter duo contraria sit unum et idem*; nam inter album et nigrum, medium quidem est quod neque est album neque nigrum, et tamen hoc dicitur de diversis quae se invicem non consequuntur: quia et rubeum et pallidum et quilibet mediorum colorum, neque est album neque nigrum, et tamen isti colores non se invicem consequuntur» [3]. «Quia distantia ab aequalitate, quae aequalitatem tollit, *potest esse maior et minor*» [4].

Iam vero analogia non est unica neque uniformis, sed magnam habet latitudinem intra naturam suam. Est enim

---

1 *III Sent.*, d. 33, 1, 3, qla. 1 ad 2, nn. 94-95.
2 *In V Physic.*, lect. 5, n. 3.
3 *In I de Caelo et Mundo*, lect. 28, n. 8.
4 *II Sent.*, d. 42, 2, 5c.

analogia duplex: alia vere sed large dicta, quam S. Thomas appellat *secundum esse et non secundum intentionem*[1], Caietanus analogiam *inaequalitatis*[2], alii scholastici posteriores analogiam *physicam*[3]; alia vere et proprie dicta: sive sit *attributionis* vel simplicis proportionis unius aut plurium ad unum, sive proportionalitatis duorum ad duo aut plurium ad plura[4].

170. *Si ergo loquamur de analogia large dicta sive inaequalitatis dicendum est eam plus accedere ad extremum univocationis quam ad extremum aequivocationis, quia plus habet de identitate quam de diversitate rationis significatae per nomen.* Est enim huiusmodi analogia *genus*, maxime genus *supremum* sive *generalissimum*; quod medium essentialiter consistit inter simpliciter et perfecte analoga, nimirum ens aliaque transcendentalia quae plene dicuntur *analoga*, et *species atomas vel infimas* quae simpliciter et perfecte plenoque sensu dicuntur *univoca*. Nam cum analoga presse dicta importent essentialiter identitatem quamdam relativam et proportionalem rationis significatae per nomen, analoga inaequalitatis ita recedunt a perfectissima identitate speciei atomae sive univocorum perfectissimorum ut tamen non accedant vere ad pluralitatem et diversitatem pure aequivocorum, sed veram retineant identitatem univocorum, licet minus plene ac perfecte quam perfectissima et maxime univoca. Quo fit, ut magis conveniant cum univocis perfectissime dictis quam cum pure aequivocis, immo et magis quam cum analogis presse dictis: quia identitatem absolutam univocorum perfectissimorum retinent, quae essentialiter sumitur secundum intentionem vel definitionem; licet

---

[1] *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1.

[2] CAIETANUS, *De nominum Analogia*, cap. 1, nn. 3-7, ed. cit., pp. 6-9.

[3] Exempli gratia, COMPLUTENSES CARMELITANI, *in Dialecticam Aristotelis*, disp. 10, q. 1, nn. 3-4, ed. cit., p. 164; IOANNES A S. THOMA, *Cursus Philosophicus, Logica*, II P., q. 14, a. 2, ed. cit., t. I, pp. 506-507; IOSEPHUS OLIVA, Ord. Minorum, *Gemmea Analoga*, P. I, dub. 4, 1, ed. Criterion, 1 (1925), p. 365.

[4] S. THOMAS, *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1.

identitatem mere proportionalem analogorum participent aliquo modo ob inaequalem modum quo verificatur in diversis speciebus intentio illa communis significata per nomen generis. Qua de causa *genus*, praesertim *generalissimum*, merito dici potest *univocum simpliciter et analogum secundum quid*: species autem *atoma* est *univoca totaliter*, et nullo modo analoga. Et inde est quod Logicus vel Mathematicus, quorum est considerare formaliter intentionem communem generis vel intentiones quantitatis a sensibilibus abstractas, nominant huiusmodi *univoca*; e contra Physicus vel Metaphysicus, quorum est considerare res prout in se sunt extra animam et non secundum intentiones quas habent ex abstractione intellectus, haec eadem appellant aequivoca a consilio, idest *analoga*.

Ad rem S. Thomas: «*hoc contingit quando plura parificantur in intentione alicuius communis, sed illud commune non habet esse unius rationis in omnibus.* Sicut *omnia corpora parificantur in intentione corporeitatis*: unde Logicus, qui considerat *intentiones tantum*, dicit hoc nomen *corpus* de *omnibus* corporibus *univoce* praedicari; sed *esse* [reale sive realitas] huius naturae non est eiusdem rationis in corporibus corruptibilibus et incorruptibilibus; unde quantum ad Metaphysicum et Naturalem [=Physicum], qui considerant res secundum suum esse [extramentale et extraintentionale], nec hoc nomen *corpus* nec aliquid *aliud* dicitur *univoce* de corruptibilibus et incorruptibilibus»[1]. Ideo dictum illud Aristotelis: aeterno et corruptibili nihil est commune nisi secundum nomen[2], «intelligendum est *quantum ad esse et non quantum ad intentionem rei quae communiter praedicatur*; quia corpus, etiam secundum hoc quod dicitur ibi, *aequivoce* de corruptibilibus praedicatur, cuius tamen ratio eadem est in *utroque si secundum intentionem communem consideretur*»[3].

---

[1] *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1.

[2] Aristoteles, *IX Metaph.*, cap. 10 (II, 584, 4-31).

[3] S. Thomas, *In Sent.*, d. 35, 5 ad 5. Cf. etiam *in X Metaph.*, lect. 12, nn. 2.142-45.

Quidquid tamen sit de comparatione hac inter corpora terrestria (=corruptibilia) et caelestia (=incorruptibilia), ad quae alludunt Aristoteles et S. Thomas iuxta systemata Physicae antiquae, certe valet doctrina haec de comparatione inter corpora et spiritus caelestes, quos angelos dicimus, prout conveniunt in genere substantiae. Et ideo scribit alio in loco: «aliqua sunt unius generis *logice* loquendo quae *naturaliter* [=physice vel metaphysice[1], hoc est, *realiter*] non sunt unius generis; sicut illa quae *communicant* in *intentione* generis quam *logicus* inspicit, et habent *diversum* modum *essendi*. Unde in *X Metaph.* dicitur quod de corruptibilibus et incorruptibilibus nihil commune dicitur nisi communitate nominis. Et ideo non oportet Angelos cum corporalibus eadem principia communicare nisi *secundum intentionem tantum*, prout in omnibus invenitur potentia et actus, *analogice* tamen, ut in *XII Metaph.* dicitur»[2].

Quod quidem amplius explicat alibi, dicens: «cum de intellectu *substantiae*, quae est *genus primum*, non sit compositio materiae et formae nec eius oppositum, utrumque potest sibi accidere, sicut patet de Substantiis Separatis et compositis. Remanet ergo de intellectu *generis* substantiae *per se esse*, quod tamen differens est ab essentia ipsius generis; *et hoc solum commune est utrique substantiae, mibili scilicet et immobili*, cum in omni re mobili [=physica presse dicta] necessario sit materia... Et ideo haec ratio substantiae *logica* est: nihil enim commune esse potest substantiae corruptibili et incorruptibili nisi nomine tenus, quae est *logica* consideratio, cum nomina sint notae intellectus... Ex quibus manifestum est quod Substantiae Separatae et materiales non conveniunt nisi *in genere logico tantum*. Unde substantiae materiales nihil reale habent per quod dici pos-

---

1 «Ad Philosophiam Naturalem pertinet considerare ordinem rerum quem ratio humana considerat sed non facit, *ita quod sub Naturali philosophia comprehendamus et Metaphysicam*» (*In I Ethic. Nicom.*, lect. 1, n. 2).

2 *II Sent.*, d. 3, 1, 1 ad 2.

sint *substantiae* praeter id quod sunt *corpora*: impossibile est enim formam materiae uniri quin sit *corpus generis substantiae*... Ex dictis igitur patet genus *metaphysicum* [Substantiarum Separatarum] *substantiam* esse realem non compositam ex materia et forma, sed simplicem naturam et nobis occultam, ad quam tamen consideratio *logica* attingit, ratione cuius *aliquid commune* est *utrique*, materiali scilicet et immateriali substantiae...

Patet igitur natura primi generis, *substantiae* scilicet; quomodo eius communitas *tantum logice* accipienda est, cum nulla sit *realis* convenientia inter separata et materialia. *Sicut* enim substantiae Separatae non descendunt ad genus corporis, sed sunt substantiae primo perfectae genus subalternum non habentes...; *ita* res materiales non ascendunt usque ad Substantiam Separatam: summum enim in eis est *corpus*, ultra quod rem aliquam non attingunt quam non habeant per corpus; in ipsis namque est compositio materiae et formae, ad quae tamquam ad sua principia prima resolvuntur, nec ultra procedere habent. Ex materia autem et forma semper constituitur corpus, ut dictum est. Primum ergo genus materialium erit corpus; ultra quod nihil *reale* habent, sicut nec ultra sua prima principia. Poterunt tamen aliquid *intentionale* ultra corpus habere, quod non est corpus in quantum est corpus; alioquin solum corpus hoc haberet: et hoc est *per se esse*, quod non solum est corporis, sed etiam *substantiae*; ipsis tamen hoc competit quia corpora sunt. *Per se autem esse secundum quod tale est, non inest alicui per corpus*: alioquin omne per se esse esset corporis, quod est falsum. Attingunt ergo materialia per naturam corporis *aliquid* quod, *ratione*, corpus *excedit*; et hoc est eis *logice convenire cum Substantiis Separatis*. Si enim nulla Substantia Separata esset, primum praedicamentum foret corpus: alioquin falso divideretur substantia per corporeum et incorporeum, quae tamen sunt differentiae substantiae immutabiles; nihilomimus tamen posset poni

substantia, quae divideretur contra accidens, licet Substantia Separata non esset»[1].

Tandem differentiam inter genus et speciem atomam in participanda ratione univocitatis ostendit eleganter hisce verbis: «*in eadem specie non potest unum esse prius altero*, proprie loquendo, *ordine naturae*; quia species praedicatur *aequaliter* de omnibus individuis, ut dicitur in III Metaph. *In generibus autem non sic*; nam inter species unius generis una est *naturaliter* prior et perfectior altera»[2]. «In his autem quae *materialiter* differunt, nihil prohibet multa *ex aequo* se habere; nam in substantiis [materialibus sive corporalibus] *individua unius speciei aequaliter speciei rationem participant*; in *accidentibus* etiam possibile est diversa subiecta *aequaliter* participare albedinem. Sed in his quae *formaliter* differunt, *semper quidam ordo invenitur*. Sed si quis diligen-

---

[1] *De natura generis*, cap. 5-6, ed. cit., t. I, p. 294-295. Quibus verbis sapientissimis liceat addere haec alia Bañezii discretione et prudentia plena: «primo dividitur substantia in corpoream et incorpoream, et rursus substantia corporea dividitur in viventem et non viventem, et deinceps substantia vivens in sensitivam et insensitivam. Et *nihilominus, omnis* substantia *incorporea* est *vivens*, et non comprehenditur in aliquo membro determinato dividente substantiam corpoream in substantiam viventem et non viventem. Unde *videbatur* prius dividenda substantia in viventem et non viventem, et rursus substantia vivens in corpoream et incorpoream. Etenim substantia vivens univocum genus est ad viventem corpoream et incorpoream. *At vero*, si ita descenderemus dividentes rursus substantiam corpoream viventem in sensitivam et insensitivam, qualis est planta, iam non ultra poterat procedere divisio ad substantias corporeas non viventes; ac proinde excluderentur a recta linea praedicamentali substantiae, nisi iterum ascenderemus ad corpoream substantiam viventem, et divideretur in corpoream et immaterialem. *Quia igitur* praedicamentalis divisio *in usum hominum* fiebat, placuit Aristoteli primo dividere substantiam in corpoream et incorpoream; et, relicta incorporea quae *nobis* occulta est, descendit ad corpoream viventem: cum *tamen* ratio vitae non sit limitata ad genus corporis, siquidem invenitur perfecta in omnibus incorporeis substantiis» (*Institutiones Minoris Dialecticae, quas Summulas vocant*, lib. III, tract. 1, cap. 1, pp. 89-90. Salmanticae 1599). Et graviter adiungit statim: «haec dicta fuerint non pro tyronibus, sed pro ipsis Praeceptoribus, ut non tam exacte velint definitiones et divisiones proprietatum dialecticarum examinare; quae saepe numero dantur per accidentales proprietates ab effectu».

[2] *Quodlib. III*, a. 6, ad obiecta.

ter consideret, *in omnibus speciebus unius generis semper inveniet unam alia perfectiorem*: sicut in coloribus albedinem et in animalibus hominem. Et hoc ideo, quia quae *formaliter* differunt, secundum aliquam *contrarietatem* differunt; est enim contrarietas, differentia secundum *formam*, ut Philosophus dicit in X Metaph.: in contrariis autem *semper* est *unum nobilius et aliud vilius*, ut dicitur in I Physicorum» [1]. «Manifestum est enim quod in *omnibus* generibus contingit aliquid esse dupliciter: vel sicut *perfectum*, vel sicut *imperfectum*. Cuius ratio est, quia privatio et habitus sunt prima contrarietas, quae in omnibus contrariis salvatur, ut X Metaph. dicitur. Unde cum omnia genera dividantur contrariis differentiis, oportet in omnibus generibus esse perfectum et imperfectum: sicut in substantia aliquid est ut forma et aliquid ut privatio; et in qualitate aliquid est ut album quod est perfectum, et aliquid ut nigrum quod est quasi imperfectum; et in quantitate aliquid est quantitas perfecta et aliquid imperfecta; et in loco aliquid est sursum quod est quasi perfectum, et aliquid deorsum quod est quasi imperfectum» [2].

Licet ergo tam genus de speciebus sub eo contentis quam species atoma de individuis sub ea positis praedicentur univoce, idest *aequaliter*, non tamen eodem prorsus gradu aequalitatis; quia aequalitas specifica nullam patitur inaequalitatem in ratione communi significata per nomen commune, dum aequalitas generica quandam inaequalitatem suscipit. Id, quod mirum non est, «quia *hoc ipsum* quod est *tantundem et aequale*, quod idem est, *aequivocum* [=analogum] est; quia aequale est quod habet unam quantitatem, non est autem eadem ratio unius quantitatis in omnibus» [3]. Unde iterum S. Thomas: «*genus* praedicatur *aequaliter* de speciebus quantum ad *intentionem, sed non semper quantum ad esse*, sicut in

---

1 *In librum de Causis*, lect. 4, ed. Vives, t. 26, p. 524.
2 *In III Physic.*, lect. 1, n. 8.
3 *In VIII Physic.*, lect. 7, n. 9.

figura et numero, ut in III Metaph. dicitur; *sed hoc in speciebus* non contingit, ut ibidem dicitur»[1]; v. gr., humana natura «aequaliter in omnibus [hominibus] invenitur», non solum secundum *intentionem*, verum et secundum *rem*[2].

Qua in re generibus logicis aequiparantur etiam genera mathematica. «Est autem considerandum, ait S. Doctor, quod multa quidem secundum *abstractam* considerationem *vel logici vel mathematici* non sunt aequivoca, quae tamen, secundum *concretam* rationem *naturalis* [=physici] ad materiam applicantis, *aequivoce quodammodo* dicuntur; *quia non secundum eamdem rationem in qualibet materia recipiuntur*: sicut quantitatem et unitatem, quae est principium numeri, non secundum eamdem rationem contingit invenire in corporibus caelestibus et in igne et in aëre et in aqua»[3].

Jure igitur Aristoteles protulit effatum suum celeberrimum: τὸ γένος οὐχ ἕν τι, ἀλλὰ παρά τοῦτο λανθάνει πολλά[4], cum tamen alibi dixerit: συνώνυμον γὰρ τὸ γένος καὶ τὸ εἶδος[5].

171. Haec tamen analogia sive inaequalitas generis *non est uniformis neque stat in indivisibili*, sed latitudinem magnam suscipere valet. Maior enim est distantia sive inaequalitas in genere substantiae inter substantiam incorpoream (=angelum) et substantiam corpoream (=corpus) quam inter corpus animatum et corpus inanimatum, puta inter plantam et lapidem; sicut maior est inaequalitas inter hominem (=animal rationale) et asinum (=animal irrationale) quam inter asinum et equum, qui sunt duae species animalis irrationalis. Ac universa-

---

1 *II Sent.*, d. 3, 1, 5 ad 3. «Alicuius *generis* species se habent secundum *prius et posterius*, sicut numeri et figurae [quae sunt duae species quantitatis mathematicae, nempe discreta (numerus) et continua (figura)], quantum ad *esse*; licet simul esse dicantur, in quantum suscipiunt communis generis *praedicationem*» sive intentionem (I, 77, 4 ad 1).

2 II-II, 5, 4 ad 3.

3 *In VII Physic.*, lect. 7, n. 9.

4 ARISTOTELES, *VII Physic.*, cap. 4, n. 11 (II, 340, 18).

5 *I Topic.*, cap. 3, n. 3 (I, 210, 11).

liter dici potest quod, quanto genera sunt magis alta vel remota tanto maiorem inaequalitatem specierum suscipiunt; quanto vero sunt magis subalterna vel proxima tanto species sub eis contentae minus distant seu minus inaequales sunt inter se, quasi magis accedentes ad perfectissimam aequalitatem formalem speciei atomae.

172. *Si vero loquamur de analogia perfecta et presse dicta asserendum est eam plus accedere ad extremum aequivocationis quam ad extremum purae perfectaeque univocitatis, quia plus habet de pluralitate vel diversitate quam de unitate vel identitate rationis significatae per nomen commune.* Significat enim essentialiter nomen analogum *plures* rationes vel habitudines *diversas* analogorum sub eo contentorum, licet reductas ad quandam *unitatem imperfectam*, quae est una ratio comparata sive proportionalis imbibita in diversis rationibus singulorum analogorum, eo ipso quod illae diversae habitudines sunt eaedem vel similes secundum proportionem ad unam primam et fundamentalem, ut in analogia attributionis; vel ad plures ut proportionaliter sunt unae vel similes, ut in analogia proportionis sive proportionalitatis.

Sicut nomen *claritas* plures diversasque rationes significat cum dicitur color clarus, vox clara, propositio clara, oculus clarus, intellectus clarus; quae tamen rationes diversae adunantur in una eadem ratione proportionali, ob essentialem similitudinem earum inter se. Nam color clarus dicitur, quia est perfecte ac distincte visibilis; vox clara, quia est perfecte ac distincte audibilis; propositio clara, quia est perfecte ac distincte intelligibilis; oculus clarus, quia est perfecte ac distincte visivus; intellectus clarus, quia est perfecte ac distincte cognoscitivus. *Clarum* ergo universaliter in omnibus hisce significationibus nominat id quod est perfecte distincteque *cognoscibile* sensu vel intellectu, ut in tribus primis acceptionibus; vel id quod est distincte perfecteque *cognoscitivum*, ut in duabus ultimis acceptionibus. Et quia cognoscibile et cognoscitivum sunt rursus proportionalia inter

se sicut propria potentia et proprium obiectum, tandem sequitur has duas series significationum similium in suo ordine, esse iterum similes et proportionales inter se: quo fit, ut hoc nomen, *clarum*, sit analogum in omnibus hisce quimque significationibus.

Eodem iure, hoc nomen, *acutum*, plures ac diversas rationes significat cum dicimus, gladius acutus, sapor acutus, vox acuta, thesis acuta, sensus acutus, intellectus acutus; quae tamen sunt similes ideoque unae secundum proportionem. Enimvero gladius dicitur acutus, quia est bene penetrativus magnitudinis corporalis usque ad intima et profunda eius; sapor acutus dicitur, quia est bene penetrativus in organum sensus gustus usque ad summum et profundum eius; voz dicitur acuta, quia penetrat aures et «quasi pungit auditum» [1]; thesis vel disputatio dicitur acuta, quia penetrat usque ad medullam quaestionis; sensus dicitur acutus, quia penetrat usque ad intima propii sensibilis; intellectus acutus dicitur, quia «statim, ad apprehensionem proprietatis rei vel etiam effectus, naturam rei comprehendit, et in quantum usque ad minimas conditiones rei considerandae pertingit», eas prompte ac profunde penetrando [2]. *Acutum* igitur in omnibus istis significationibus universaliter significat *id quod est prompte ac profunde penetrativum*: vel per modum obiecti motivi in potentiam cognoscitivam (sapor acutus, vox acuta, odor acutus, dolor acutus); vel per modum *potentiae* in obiectum (sensus acutus, intellectus acutus, gladius acutus); vel per modum *signi* vel *actus* penetrationis potentiae in obiectum (thesis acuta, disputatio acuta, re-

---

1 S. THOMAS, *In II de Anima*, lect. 17, n. 465.

2 II-II, 15, 2c. Cf. etiam *in Epist. ad Hebraeos*, cap. 4, 12, lect. 2, ed. Marietti, pp. 337-338; *in VII Physicorum*, lect. 7, n. 7; *in II Post.*, lect. 16, n. 7. Eodem modo finitimum, *sutile*. Nam «nomen *subtilitatis* a virtute *penetrandi* est assumptum... *Sicut* enim subtile dicitur penetrativum quia pertingit usque ad intima rei, *ita* etiam dicitur aliquis intellectus subtilis quia pertingit ad inspicienda intrinseca principia et proprietates naturales rei latentes; et *similiter* dicitur aliquis habere visum subtilem quia aliquod minimum potest visus pertingere: et similiter est de aliis sensibus» (*IV Sent.*, d. 44, 2, 2, qla. 1c).

sponsio acuta). In qua quidem fundamentali significatione omnes eius diversae acceptiones proportionaliter adunantur.

Itaque nomen analogum proprie et perfecte dictum importat essentialiter plures diversasque rationes in ipsa communi intentione nominis ut aliquo modo adunatas unitate proportionali: ita quidem ut in recto et per prius nominet pluralitatem et diversitatem rationum illarum; in obliquo autem et de connotato et quasi per posterius, licet non mere per accidens, unitatem et identitatem proportionalem sive relativam earumdem, quae non est unitas mere per accidens, sed vera unitas per se, licet essentialiter minor quam unitas numerica vel specifica vel generica univocorum [1]. E contra nomen analogum large et imperfecte dictum, ut est genus, significat in recto unam rationem absolute unam; et in obliquo et de connotato pluralitatem quamdam relativam, ob inaequalem participabilitatem rationis illius a diversis speciebus sub eo contentis, non quidem secundum intentionem, sed secundum rem.

Sicut ergo analogum large dictum erat magis univocum quam aequivocum, ita ex adverso analogum presse dictum est magis aequivocum quam univocum: illud enim *magis* est aliquid, quod *per prius* est. Et tamen utrumque est *vere* analogum, hoc est, *vere medium* inter omnimodam univocationem speciei atomae et puram aequivocationem; nam et mediorum universaliter, «*quaedam magis* apropinquat ad unum extremum, *quaedam magis ad aliud*» [2].

Propter quod Aristoteles semper appellat analogum *multipliciter* dictum, πολλαχῶς, πλεοναχῶς, per contrapropositionem ad nomen pure univocum quod semper vocat *uniformiter dictum*, μοναχῶς; quia revera plura vel pluraliter directe significat, licet quodam ordine vel proportione ad unum vel ad plura. Ita, *bonum* dicitur diversimode sive

1 Cf. *in III Sent.*, d. 1, 1, 1c, n. 12; *in V Metaph.*, lect. 8, nn. 876-880.
2 *In librum de Sensu et Sensato*, lect. 18, n. 266.

multipliciter de bono animae, v. gr. de virtute, et de bono corporis, exempli causa, de vigore et sanitate [1]; vel etiam de bono honesto, utili et delectabili [2]; *sanum* diversimode dicitur de animali, de cibo, de pulsu, de medicina [3]; *acutum et obtusum* multipliciter dicuntur de angulis, de sensibus, de intellectu [4]; *clarum et obscurum* diversimode dicuntur de coloribus, de sonis, de intelligibilibus, de visu, de intellectu [5]; *pulchrum et turpe* dicuntur multipliciter de domibus, de arboribus, de animalibus, de homine, de sonis, de coloribus, de virtutibus [6]; *principium et finis* dicuntur diversis modis de magnitudine, de motu, de tempore, de causis, de cognitione [7]; *ens et unum* multipliciter dicuntur de substantia et de accidentibus [8].

Unde et analoga reducit, reductione quidem impropria et imperfecta, ad aequivoca, quae totaliter et omnino πολλαχῶς dicuntur, et sub aequivocis hoc in sensu et quasi ad latus comprehendit. Nam, cum definitionem aequivocorum tradidisset: ὧν ὄνομα μόνον κοινόν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος, statim subiungit exemplum nominis aequivoci a consilio, non a casu, quod est pure aequivocum, dicens: οἷον ζῷον, ὅ τε ἄνθρωπος καὶ τὸ γεγραμμένον [9]; aequivocum autem ἀπὸ διανοίας est ipsum analogum proprie et perfecte dictum.

---

1 ARIST., *I Topic.*, cap. 13, n. 1 (I, 181, 16-24); n. 11 (182, 55-183, 1-8).

2 *Fragmenta*, n. 137 (IV, Appendix, p. 92); *IX Metaph.*, cap. 5, n. 6 (II, 580, 6); *II Topic.*, cap. 3, n. 2 (I, 188, 48-51; 189, 1-4).

3 *I Topic.*, cap. 13, n. 10 (I, 182, 43-50); *III Metaph.*, cap. 2, n. 1 (II, 500, 14-23); *X Metaph.*, cap. 3, n. 2 (II, 5878, 23-33).

4 *I Topic.*, cap. 13, n. 3 (I, 181, 25-36); n. 4 (I, 1881, 39-51, 182, 1-2); *VII Physic.*, cap. 4, n. 4 (II, 339, 25-31).

5 *I Topic.*, cap. 13, n. 4 (I, 181, 39-49); nn. 17-20 (I, 182, 4-23); n. 14 (I, 33-42).

6 *I Topic.*, cap. 13, n. 2 (I, 36-38); *Fragmenta*, n. 137 (ed. cit.; IV, p. 97).

7 *IV Metaph.*, cap. 1 (II, 514, 22-48).

8 *De Sophisticis Elenchis*, cap. 7, n. 1 (I, 283, 41-44); cap. 33, n. 2 (I, 307, 4-12); *I Physic.*, cap. 2, n. 8 (II, 249, 29-36); *III Metaph.*, cap. 2, n. 2 (II, 500, 23-28); *IV Metaph.*, cap. 10, n. 4 (II, 522, 48-50; 523, 1-2); *V Metaph.*, cap. 4, n. 3 (II, 537, 41-45); *VI Metaph.*, cap. 1 (II 538, 1-40); *X Metaph.*, cap. 8, n. 1 (II, 593, 15-17); *XIII Metaph.*, cap. 2, nn. 5-14 (II, 631-632).

9 *Categoriae*, cap. 1, n. 1 (I, 1, 1-3).

Quem in sensum communiter intellexerunt haec verba Philosophi eius expositores graeci, arabes, latini, dicentes Aristotelem sumpsisse aequivoca largiori modo prout includunt etiam analoga. Et merito. Ut enim egregie scribit Caietanus, «cave ne dixeris hic esse definita tantum pure aequivoca, sed dicito aequivoca in communi, ut comprehendunt analoga quae aequivoca a consilio sunt, et pure aequivoca definire... Suadetur autem hanc esse mentem Aristotelis: tum exemplo subiuncto, quoniam homo verus et homo pictus non modo pure aequivoco dicuntur animal, sed aequivocatione a consilio seu analogice, ut patet ex rationibus eorum secundum illud nomen, quoniam non sunt penitus diversae sed aliquo modo eaedem; quaerenti enim quid est homo secundum quod animal, respondetur quod est substantia animata sensibilis; quaerenti autem quid est homo *pictus* secundum quod animal, respondetur quod est *imago* substantiae animatae sensibilis: ubi expresse apparet rationes *non* esse *penitus sed aliquo modo diversas*; — *tum ex intentione operis* quoniam, ad quodcumque ordinetur, communiter asseritur quod intendit definire hic res ut adunantur sub vocibus *transcendentalibus*, quas constat non pure aequivocas sed *analogas esse*» [1].

Ac revera, Aristoteles, ex una parte ens aliaque transcendentalia frequenter appellat aequivoca, cum tamen apud ipsum sint vera analoga [2]; ex alia vero exempla similia proferens alibi quasi aequivoca, v. gr., nomen *serrae* cum dicitur de serra ferrea et de serra lignea et de serra picta vel etiam nomen *tibiae* cum dicitur de tibia viva et de tibia mortua et de tibia lapidea non ut pure aequivoca sumit sed ut analoga; quia et serra lignea et serra picta sunt *imagines* serrae ferreae quae perfecte secat, et tibia mortua et tibia lapidea sunt *imagines* tibiae vivae: ὡς εἰκών [3].

---

[1] Caietanus, *In Praedicamenta Aristotelis*, h. l., ed. cit., pp. 10-11. Cf. etiam in I, 13, 5, n. 12.

[2] Aristoteles, *IV Metaph.*, cap. 12, n. 5 (II, 524, 38-39); *IV Metaph.*, cap. 10, n. 4 (II, 522-523); *I Ethic., Nicom.*, cap. 6, nn. 2-4 12 (II, 4, 16-35; 5, 13-17), et alibi passim.

[3] *IV Meteorologicorum*, cap. 12, nn. 3-5 (III, 625, 22-39).

Attamen istud exemplum Aristotelis sumi potest et ut nomen pure aequivocum et ut analogum. Si enim sumatur animal *pictum* ut reduplicative pictum, idest *imitans* vel *repraesentans* animal verum et vivum utpote *imago* eius, tunc est nomen analogum. Quo in sensu S. Thomas dixit: «animal dictum de animali vero et picto *non dicitur pure aequivoce*; sed Philosophus *largo modo* accipit aequivoca, *secundum quod includunt in se analoga*: quia et ens, quod analogice dicitur, aliquando dicitur *aequivoce* praedicari de diversis praedicamentis» [1]; «sicut *imago* Herculis *secundum se* quidem dicitur et est *cuprum, in quantum autem est similitudo Herculis nominatur homo*» [2].

Si vero sumatur animal *pictum* specificative ut res vel *natura* quaedam *vita carens,* tunc est nomen *pure aequivocum,* dicente eodem S. Doctore: «hoc nomen *animal* imponitur, non ad significandum figuram *exteriorem* in qua pictura *imitatur* animal verum, sed ad significandum naturam (*interiorem* sive *essentiam*) in qua pictura *non imitatur* (nec imitari potest, quia natura ut sic est immaterialis et ideo depingi non potest); et ideo nomen *animalis* de vero et picto *aequivoce* dicitur» [3]. Quo etiam in sensu scribit alibi de oculo vivo et lapideo vel picto: «*deficiente* autem *visu,* non remanet oculus nisi *aequivoce,* sicut oculus *lapideus aut depictus* aequivoce dicitur *oculus*; et hoc ideo est, quia aequivoca sunt quorum nomen solum commune est et ratio substantiae diversa, et ideo, sublata forma a qua est ratio substantiae oculi, non remanet nisi nomen oculi aequivoce dictum [4]. Et idem valet de quocumque organo vel membro corporis vivi; «non enim *digitus* quocumque modo se habens est digitus. Ille enim qui est decisus vel mortuus non dicitur digitus nisi *aequivoce,* sicut oculus *sculptus* vel *depictus* [5].

---

1 S. THOMAS, I, 13, 10 ad 4.
2 *In I Perih.*, lect. 3, n. 4.
3 *De Verit.*, 2, 11 ad 8.
4 *In II de Anima,* lect. 2, n. 239.
5 *In VII Metaph.*, lect. 10, n. 1.488.

Ceterum ipse S. Thomas saepe utitur largiori hoc modo loquendi, frequenter appellans aequivoca, nomina quae sunt vere analoga, etiam secundum ipsum. Ita scribit quod «Angelus *aequivoce* dicitur esse in loco et corpus»[1]; quod intellectus, sapientia, scientia, consilium, pietas, fortitudo, *aequivoce* dicuntur de virtutibus et de donis Spiritus Sancti[2]; quod «credere *aequivoce* dicitur de hominibus fidelibus et de daemonibus»[3]; quod intentio *aequivoce* dicitur de actu intellectus vel voluntatis intendentis et de intentione, idest ratione veri et boni quam significat definitio[4]; quod «fieri et facere *aequivoce* dicuntur in hac universali rerum productione (=creatione) et in aliis productionibus»[5], et tamen analogiam huiusce duplicis modi faciendi et fiendi exprimit alibi, dicens: «sicut igitur generatio hominis est ex non ente [*hoc*, scilicet ex non ente-homine], *ita* creatio, quae est emanatio *totius esse*, est ex non ente [simpliciter sive totali] quod est *nihil*»[6]; quod «quaedam sunt *aequivoca*, sicut *bonum* quod circuit omnia genera et similiter malum»[7], cum tamen alibi dicat quod «*bonum* dicitur de multis, non secundum rationes penitus differentes, sicut accidit in his quae sunt a casu aequivoca, sed magis *secundum analogiam*, idest proportionem eandem, in quantum omnia bona dependent ab uno primo bonitatis principio vel in

---

[1] I, 52, 1c; *I Sent.*, d. 37, 4, 1c et ad 5.

[2] *III Sent.*, d. 34, 1, 1, qla. 1 ad 3, n. 42.

[3] *De Verit.* 14, 9 ad 4.

[4] *De Verit.*, 21, 3 ad 5. Nomen enim *intentionis non est pure aequivocum* cum dicitur de intentione *formali*, idest actus intendendi quo intellectus, voluntas et quaecumque potentia vel habitus intendit suo obiecto attingendo, et de intentione *obiectiva* quam exprimit verbum mentis et significat definitio; sed *analogicum*: eo fere modo quo veritas, certitudo, evidentia, alia sexcenta, dicuntur analogice de veritate, certitudine, evidentia, formali et obiectiva. Unde minus recte H. D. Simonin, O.P., intellexit nomen *intentionis* hoc in loco ut pure aequivocum (*La notion d'«intentio» dans l'oeuvre de Saint Thomas d'Aquin*, apud *Revue des sciences philosophiques et theologiques*, 19 (1930), p. 451).

[5] *In VIII Physic.*, lect. 2, nn. 4-5.

[6] I, 45, 1c.

[7] *De Malo*, 1, 1 ad 9.

quantum ordinantur ad unum finem»[1]; quod «in incomplexis non est veritas nisi aequivoce»[2], et tamen alio in loco asserit» quod sicut *verum* per prius *invenitur* in intellectu quàm in rebus, *ita etiam* per prius *invenitur* in actu intellectu quam in rebus, *ita* etiam per prius *invenitur* in actu intellectus componentis et dividentis quam *in actu intellectus quidditates rerum formantis*»[3].

Similiter, «quia habitus distinguuntur ex actibus et actus ex obiectis, ideo quandoque nomina *aequivocantur* ad habitus. actus et obiecta: sicut patet de *fide*, quae potest significare vel habitum fidei vel actum eius aut ipsam rem creditam»[4]. Eodem modo, «cum scire sit aliquis actus et circa actum consideretur obiectum, potentia, habitus et ipse actus, invenitur quandoque aliquod nomen quod ad ista quatuor *aequivocatur*: sicut hoc nomen *intellectus* quandoque significat rem intellectam, sicut nomina dicuntur significare intellectus; quandoque vero ipsam intellectivam potentiam; quandoque vero habitum quendam; quandoque vero actum»[5]. Et tamen istae diversae acceptiones eiusdem nominis sunt connexae et dependentes ab una prima, nempe a significatione *actus*; nam per ordinem ad actum denominantur habitus et potentia eodem nomine, utpote principia eius efficientia; et similiter obiectum proprium, utpote causa eius formalis et specificativa. Tamdem, ne plura consecter, «latria *aequivoce* dicitur de latria *verae* religionis et de idolatria, sicut prudentia *aequivoce* dicitur de prudentia quae est virtus et de prudentia quae est carnis»[6]: et tamen constat quod latria veri Dei et idoli non dicitur pure aequivoce, sed *analogice*, sicut nomen *Deus* analogice

---

1 *In I Ethic. Nicom.*, lect. 7, n. 96.
2 *III Sent.*, d. 25, 1, 1, qla. 1, ad 1, n. 17.
3 *De Verit.*, 1, 3c, et alibi saepe.
4 *IV Sent.*, d. 15, 2, 1, qla. 1 ad 2. Cf. etiam I-II, 55, 1 ad 1.
5 *De Verit.*, 17, 1c. Similia docet de nomine voluntatis: «*voluntas* dicitur tribus modis. Aliquando *ipsa potentia* volendi; aliquando autem *ipse actus* volendi; aliquando *ipsum volitum*» (*III Sent.*, d. 17, 1, qla. 1 ad 3, n. 19. Cf. etiam I-II, 8, 2c).
6 II-II, 94, 1c.

dicitur de vero Deo et de idolo, de quo pagani opinantur quod sit Deus[1], eo fere modo quo animal *pictum* dicitur analogice animal; et similiter prudentia carnis, quae falsa prudentia est, dicitur analogice per quandam exteriorem similitudinem ad veram prudentiam. «Cum enim *prudens* sit qui *bene* disponit ea quae sunt agenda propter aliquem *bonum* finem, ille qui propter *malum* finem aliqua disponit *congruentia* illi fini habet falsam prudentiam, in quantum illud quod accipit pro fine non est vere bonum sed *secundum semilitudinem*, sicut dicitur aliquis *bonus latro*; hoc enim modo potest secundum *similitudinem* dici *prudens* latro qui *convenientes* vias adinvenit ad latrocinandum. Et huiusmodi *prudentia* est de qua Apostolus dicit ad Rom. 8, 6: prudentia carnis mors est, quae scilicet finem ultimum constituit in delectatione carnis»[2].

173. Haec tamen maior diversitas et minor identitas rationis significatae per nomen analogum presse dictum non stat in indivisibili neque uniformis est in omnibus analogiae modis, sed latitudinem sat amplam habere potest.

Ita maior est diversitas et minor unitas in analogia proportionis sive proportionalitatis quam in analogia attributionis. Nam in analogia attributionis invenitur pluralitas solum ex parte eorum quae diversimode attribuuntur vel referuntur ad supremum et primum analogatum, non ex parte termini attributionis qui est unus numero; et ideo dicuntur analoga unius vel plurium *ad unum*. Exempli causa, veritas dicitur diversimode de intellectu iudicante et de enunciatione eius et de intellectu simpliciter apprehendente et de terminis eius incomplexis et de sensu attingente proprie sensibilia et de rebus ipsis iudicatis, apprehensis vel sentitis: et tamen dicitur de omnibus analogice per ordinem ad iudicium intellectus, praesertim primum ut est principium contradictionis, quod

---

[1] I, 13, 10.
[2] II-II, 47, 13c.

est maxime et primo verum formaliter. Dicitur enim veritas de enunciatione primi principii seu iudicii ut de *signo* veritatis eius: de intellectu simpliciter apprehendente terminos eius, scilibet ens et non ens, formaliter quidem sed imperfecte tantum et inchoative; de nominibus vel dictionibus ens et non-ens ut de *signo* apprehensionis intellectus; de sensibus apprehendentibus propria sensibilia inchoative tantum ut de simplici apprehensione, non tamen formaliter ut in illa sed materialiter; de rebus denique intelligibilibus vel sensibilibus ut de *causis* veritatis in intellectu vel in sensu. Omnia ergo haec dicuntur diversimode vera in ordine ad unam primam et formalem et perfectam veritatem, quae est in intellectu primo iudicante sicut in *subiecto* veritatis, ubi primo et formaliter *completur cognitio* ideoque *veritas* ut in suo termino [1].

174. E contra, in analogia proportionis sive proportionalitatis invenitur diversitas ex utraque parte, scilicet tam ex parte diversimode relatorum quam ex parte diversorum terminorum relationis, qui plures sunt et diversi; et ob id appellantur analogia *plurium ad plura*. Verbi gratia, «nomen *visus* dicitur (analogice analogia proportionalitatis) de visu corporali et intellectu, eo quod *sicut* visus est in oculo *ita* intellectus est in mente» [2]; et proportionaliter comparantur in proprio actu apprehendendi proprium obiectum. «Unde *sicut* visus nunquam decipitur in proprio obiecto, ita neque intellectus in cognoscendo quod quid est [per simplicem apprehensionem, in qua convenit cum cognitione visus circa propium visibile]... Sed *sicut* visus non semper verus est in iudicando de his quae sunt *adiuncta* proprio obiecto, puta si albus est homo vel non, *sic* intellectus non semper est verus in componendo aliquid alicui» [3]. Pariter, «*sicut* infinitum est aequale infinito, ita finitum finito, et per hunc modum est similitudo (analogica) inter creaturam et Deum; quia

---

[1] *De Verit.*, 1, 2, 4 et 11; I, 16, 1, 2 et 6.
[2] *De Verit.*, 2, 11c.
[3] *In III de Anima*, lect. 11, n. 761.

sicut (Deus) se habet ad ea quae ei competunt, ita creatura ad sua propria»[1]: et in creatis «*sicut* se habet substantia ad esse sibi debitum, *ita* et qualitas ad esse sui generis conveniens»[2].

Quo etiam modo analogiae intelligit S. Thomas illa verba Boetii: «*uti* est ad intellectum ratiocinatio, ad id quod est id quod gignitur, ad aeternitatem tempus, ad punctum medium circulus; *ita* est fati series mobilis ad Providentiae stabilem rationem»[3]. Ita enim scribit S. Doctor: «comparatio illa Boetii accipitur *per similitudinem proportionis* simplicis ad compositum et quieti ad mobile. *Sicut* enim intellectus simplex est et sine discursu, ratio autem unitatem proportionalem esse minorem unitate nuvidentia simplex et immobilis est, fatum autem multiplex et variabile»[4].

Qua in diversitate rationum comparatarum non habetur unitas termini habitudinum nec numerica nec specifica neque generica, sed solum analogica sive proportionalis in *medio* formalī comparationum diversarum, quod est unum proportionaliter tantum vel relative. Constat autem unitatem proportionalem esse minorem unitate numerica termini in quo adunantur et ad quem referuntur diversae habitudines analogorum attributionis[5].

175. *Sed et in ipsa analogia proportionalitatis datur latitudo.* Maior enim est diversitas et minor unitas in analogia proportionalitatis metaphoricae quam in analogia proportionalitatis propriae; quia medium proportionale comparationis propriae sumītur secundum proprias rationes vel essentias eorum quae hinc et inde comparantur, dum medium proportionale comparationis metaphoricae non sumitur secundum propriam significationem vel

---

1 *De Verit.*, 23, 7 ad 9.
2 *III Sent.*, d. 1, 1, 1c. n. 12.
3 Boetius, *De Consolatione philosophiae*, lib. IV, prossa 6, ed. G Weinberger. CSEL, t. 67, p. 98, 4-7. Vindabonae 1934.
4 S. Thomas, *De Verit.*, 5, 1 ad 5.
5 *III Sent.*, d. 1, 1, 1c, n. 12; *in V Metaph.*, lect. 8, nn. 876-880.

rationem nisi ex una parte, nam ex alia sumitur secundum translationem, ratione alicuius similitudinis accidentalis ad propriam significationem alterius membri. Exempli gratia, *vita* et *mors* dicuntur de *aqua* secundum analogiam proportionalitatis *metaphoricae* ad vitam corporis animati, de quo *proprie* dicuntur mors et vita. *Sicut* enim corpus animatum vita sensitiva habet motum ab intrinseco, et proprio marte transfertur de loco in locum ambulando vel currendo vel serpendo, ac insuper non corrumpitur quamdiu informatur principio vitali cui quodammodo continuatur; *ita* quando aquae ex fonte scaturiunt quasi ab intrinseco, vel fluunt de loco in locum ut aquae fluminis, nec corrumpuntur sed purae manent ex continuatione ad proprium fontem et ex earum continuo fluxu, dicuntur *vivae*: e contra aquae stagnatae et a fonte separatae corrumpuntur, et *mortuae* vocantur. Itaque *vivere, currere, mori,* dicuntur metaphorice de aqua, ob similitudinem quandam exteriorem et accidentalem et sensibilem ad vitam, cursum et mortem animalis. Qua de re pulchre scribit S. Thomas: «nomen *vitae* ex hoc sumptum videtur, quod aliquid *a seipso* potest *moveri*; et ideo ex hoc *dicta* sunt primo aliqua *vivere* quia *visa* sunt *a seipsis moveri,* sicut plantae per motum augmenti et animàlia per motum insuper localem: ea vero quae *visa* sunt *non moveri nisi ab aliis mota, dicta* sunt *mortua* vel vita carentia, sicut lapides et *ligna*. Unde etiam, *per quandam transumptionem,* ea quorum principium motus in ipsis est, dicuntur viventia, quamvis non seipsa moveant: sicut aquae *scaturientes impetu sui motus* e terra dicuntur *vivere,* aquae autem *immobiles* congregatae in lacunis dicuntur mortuae»[1]. Et alio in loco: «aquae *vivae* dicuntur quae habent continuum fluxum. Aquae enim stantes quae non continuantur ad principium continue fluens dicuntur *mortuae,* ut aquae cisternarum et lacunarum. Et hoc dicitur *per similitudinem*: in quan-

---

1 *III Sent.,* d. 35, 1, 1c, nn. 10-11. Cf. etiam *in IV Sent.,* d. 14, 2, 3, qla. 2c.

tum enim *videntur* se movere, habent *similitudinem* vitae; sed tamen non est in eis vera vita, quia hunc motum non habent a seipsis» [1].

176. *Quin etiam intra unumquemque ex his duobus analogiae modis servatur magna latitudo.* Sic, intra ipsum modum analogiae proportionalitatis propriae maior est distantia inter terminos huius proportionis: ita se habet Deus ad proprium suum esse sicut creatura ad suum proprium, quam inter terminos istius: ita se habet substantia creata ad suum esse sicut accidens ad suum; nam ibi est distantia infinita, hic autem finita tantum. Et similiter maior est distantia et diversitas si termini proportionis sint substantia et accidens quam si utrobique sint accidentia; v. gr. maior est distantia in haec proportione: ita se habet substantia corporea ad suum esse sicut quantitas ad suum, quam in hac alia: ita se habet quantitas ad suum esse sicut qualitas ad suum. Maior enim est distantia seu diversitas inter substantiam et accidens quam inter duo genera accidentium, sicut maior distantia erat inter Deum et substantiam creatam quam inter substantiam creatam et accidens.

Qua de causa S. Thomas, loquens de ordine cognitionis, qui similis et proportionalis est ordini essendi, profunde scribit: «non autem potest dici quod essentia Dei videatur ab aliquo intellectu creato per aliquam similitudinem [sive speciem intelligibilem creatam]. In omni enim cognitione quae est per similitudinem, modus cognitionis est secundum convenientiam similitudinis ad illud cuius est similitudo: et dico convenientiam secundum repraesentationem, sicut species in anima convenit cum re quae est extra animam; non secundum esse naturale. Et ideo, si similitudo deficiat a repraesentatione *speciei*, non autem a repraesentatione *generis*, cognoscetur res illa secundum rationem generis, non secundum rationem speciei; si autem deficiat etiam a repraesenta-

[1] I, 18, 1 ad 3.

tione *generis*, repraesentaret autem secundum convenientiam *analogiae* tantum, tunc nec etiam secundum rationem generis cognosceretur: sicut si cognosceretur substantia per similitudinem accidentis. Omnis autem similitudo divinae essentiae in intellectu recepta non potest habere aliquam convenientiam cum essentia divina nisi analogice tantum. Et ideo cognitio quae esset per talem similitudinem, non esset ipsius Dei per essentiam, sed *multo imperfectior quam si cognosceretur substantia per similitudinem accidentis*»[1].

177. Similiter intra eundem modum analogiae proportionalitatis metaphoricae sumi possunt metaphorae vel similitudines plus minusve distantes vel propinquae ad significationem propriam alterius extremi comparationis. Ita Deus dicitur metaphorice *sol,* inxta illud Malachiae, 4, 2: orietur vobis timentibus Sol iustitiae; et illud Joan. 1, 9: *illuminat* omnem hominem venientem in hunc mundum; quatenus sicut Sol illuminat omnia corpora quorum ipse centrum est, ita Deus illuminat omnes intelligentias creatas, angelicas et humanas utpote earum principium et finis et causa; vel etiam «dicitur Deus esse Sol, quia est principium vitae spiritualis sicut Sol vitae corporalis»[2].

Dicitur etiam *ignis,* secundum illud Heb. 12, 29 et Deut. 4, 24: Deus noster *ignis* consumens est; quatenus «*sicut* ignis se habet ad consumptionem contrarii, *ita* Deus ad consumendum nequitiam» quae est sibi contraria[3]. Et tamen magis remota est metaphora ignis quam metaphora Solis; quia lux vel illuminatio ex qua sumitur metaphora Solis minus materialis est, ideoque minus remota a Deo[4], quam ira vel punitio ex qua accipitur metaphora ignis, quia magis materialis est.

---

[1] *De Verit.*, 8, 1c.
[2] *IV Sent.*, d. 45, 1, 1, qla. 1c.
[3] *I Sent.*, d. 45, 4c.
[4] «Invenitur tamen etiam in *nobilioribus* creaturis [corporalibus] Deus significari in Scriptura, sicut Sole et Stella et huiusmodi» (*I Sent.*, d. 34, 3, 2c in fine).

Cuius rei *signum* est quod metaphora Solis semper uno modo ad divina transfertur [1], dum e contra metaphora ignis transfertur multipliciter, et quidem aliquando in sensu contrario ob contrarias proprietates ignis quae ad divina significanda transferuntur. Nam alio in loco docet S. Thomas quod Deus vocatur ignis «ex hoc quod *sicut* se habet ignis ad hoc quod liquefacta effluere facit per suum calorem, *ita* Deus per suam bonitatem perfectiones in omnes creaturas diffundit; *vel aliquid huiusmodi*» [2]. Ac revera, quia inter elementa huius mundi sensibilis inferioris «*ignem* reperimus habere maiorem nobilitatem et maiorem claritatem, item maiorem activitatem, item maiorem altitudinem in situ, item est magis purgativus et consumptivus; *ideo* Deus praecipue nominatur *ignis*: a) propter eius *claritatem*, quia lucem habitat inaccessibilem [3]; item b) quia est maxime *actions*: omnia opera nostra operatus est in nobis [4]; item c) [quia] *altior* est in situ: excelsus super omnes gentes Dominus et super caelos gloria eius [5]; item d) [quia] *purgat* peccata et quasi consumit: unde dicit [Apostolus] *hic*, quod est ignis consumens, scilicet peccata; [insuper] Malachias: ipse enim quasi ignis conflans; et sequitur: et purgabit filios Levi [6]; [et] supra: purgationem peccatorum faciens [7]; item e) [quia] *consumit* peccatores puniendo [8]: terribilis autem quaedam exspectatio et ignis aemulatio quae consumptura est adversarios» [9].

Id quod mirum non est, «quia in *una re* possunt considerari *diversae proprietates*; et ideo non est inconveniens quod ex *eadem* re, secundum *diversas* sui proprie-

---

[1] *In librum Dionysii de divinis nominibus*, cap. 5, lect. 2, ed. Vives, t. 29, pp. 506-507; *De Verit.*, 5, 2 ad 2; 10, 7 ad 10; I-II, 79, 3c.

[2] *I Sent.*, d. 34, 3, 1 ad 2.

[3] *I Tim.*, 6. 16.

[4] *Isaias*, 26, 12.

[5] *Psal.* 112, 4.

[6] *Malach.*, 3, 3.

[7] *Heb.*, 1, 3.

[8] *Heb.*, 10, 27.

[9] S. Thomas, *in epist. ad Hebraeos*, 12, 29, lect. 5, ed. Marietti, p. 443. Cf. etiam *in II Sent.*, d. 16, 2 ad 5.

tates, fiat transumptio ad aliqua *contraria*: sicut quod Deus dicitur leo propter liberalitatem vel fortudinem vel aliquid huiusmodi, et Diabolus dicitur leo propter crudelitatem»[1]. Insuper, «quia res aliqua non est ita similis uni quin possit etiam alteri assimilari, inde est quod ea quae metaphorice dicuntur non ita conveniunt uni quin et aliis convenire possint: sicut leo metaphorice et Deus et Diabolus dicitur»[2]; et ideo «nihil prohibet in his quae dicuntur metaphorice idem diversis attribui *secundum diversas similitudines*»[3].

Qua de causa, cum analogia metaphorica maxime accedat ad aequivocationem utpote in confinio exsistens aequivocationis purae, medium pure metaphoricum non est scientificum nec demonstrativum in scientiis philosophicis et theologicis, iuxta illud S. Thomae: «sic [=metaphorice] aliquid dicere *non sufficit ad cognoscendam naturam rei,* quia *res* naturalis per similitudinem quae assumitur in metaphora non est manifesta»[4]; et ideo «ex [solis] similitudinariis locutionibus non potest sumi argumentatio [vere demonstrativa]: unde et Dionysius dicit in Epistula ad Titum symbolica [=pure metaphorica] theologia non est argumentativa»[5]. Et tamen quia analogia metaphorica qua uti solent pöetae non est pura aequivocatio, sed aliquid habet convenientiae et similitudinis licet mere accidentalis et extrinsecae, iure dixit S. Albertus Magnus quod «pöetae *non sunt philosophi nisi secundum quid*»[6].

Iure igitur meritoque Aristoteles, qui perspectam habuit hanc multiplicem aequivocationis latitudinem ut sub se comprehendit analogiam, scripsit: εἰσί τε τῶν ὁμωνυμων αἱ

---

1 *I Sent.*, d. 34, 3, 2 ad 4.
2 *IV Sent.*, d. 17, 1, 1, qla. 3c.
3 I-II, 33, 1 ad 1.
4 *In I Meteorologicorum*, lect. 5, n. 4. Cf. etiam *in II Post.*, lect. 16, n. 8.
5 *I Sent.*, prolog., a. 5c in fine. Cf. etiam *in librum Dionysii de divinis nominibus, prolog.*, ed. Vives, t. 29, p. 374; I, 1, 9.
6 S. ALBERTUS MAGNUS, *In Epist. VII Dionysii*, § 2, expositio textus. Opera, ed. Borgnet, t. 14, p. 910b.

μὲν πολὺ ἀπέχουσαι, αἱ δὲ ἔχουσαί τινα ὁμοιότητα, αἱ δ'ἐγγὺς ἢ γένει ἢ ἀναλογίᾳ, διὸ οὐ δοκοῦσιν ὁμωνυμίαι εἶναι, οὖσαι [1].

Quae verba S. Thomas illustravit hoc splendido commentario plane digno textu: «elicit [Aristoteles] ex praemissis quoddam *consideratione dignum*, scilicet quod genus non est aliquid unum simpliciter, species autem est aliquid unum simpliciter. Et hoc significatur ex ratione praecedenti, qua ostensum est quod ea quae sunt unius generis non sunt comparabilia; quae vero sunt unius speciei, comparabilia sunt: cum tamen supra dictum sit quod eadem natura comparabilium est; ex quo videtur quod genus non sit una natura, sed species sit una natura.

Et huius ratio est quia *species* sumitur a forma *ultima*, quae *simpliciter una* est *in rerum natura*; genus autem *non* sumitur a forma aliqua quae sit *una in rerum natura, sed secundum rationem* tantum: non est enim aliqua forma ex qua homo sit *animal* [=genus] praeter illam ex qua homo est *homo* [=species]. Omnes igitur homines, qui sunt unius speciei, conveniunt in forma quae constituit speciem, quia quilibet habet animam rationalem; sed non est in homine, equo aut asino aliqua anima comunis, quae constituat animal, praeter illam animam quae constituit hominem vel aquum aut asinum (quod si esset, tunc genus esset unum et comparabile, sicut et species); sed *in sola consideratione* accipitur forma generis, per abstractionem intellectus a diferentiis. Sic igitur *species* est *unum quid a forma una in rerum natura exsistente*: *genus autem* non est unum; *quia secundum diversas formas in rerum natura existentes diversae species generis praedicationem suscipiunt.*

Quia ergo genus *quodammodo* est unum et non simpliciter, *iuxta genera latent multa*: idest per similitudinem et propinquitatem ad unitatem generis, *multorum aequivocatio latet.*

---

[1] ARISTOTELES, *VII Physicorum*, cap. 4, n. 11 (II, 340-19-21).

Sunt autem *quaedam aequivocationum multum distantes, in quibus sola communitas nominum attenditur* [scilicet pure aequivoca]: sicut si *canis* dicatur caeleste sidus et animal latrabile.

Quaedam vero sunt quae habent *quandam similitudinem*: sicut si hoc nomen *homo* dicatur de *vero* homine et de homine *picto*, in quantum habet *similitudinem quamdam* veri hominis [=aequivoca a consilio sive *analoga analogia attributionis* secundum causam exemplarem]. *Quaedam* vero *aequivocationes* sunt proximae:

aut *propter convenientiam in genere*; sicut, si *corpus* dicatur de corpore caelesti [=incorruptibili, secundum antiquorum systema] et de corpore corruptibili, *aequivoce* dicitur *naturaliter* [=physice] loquendo, quia eorum non est materia una [1]: conveniunt tamen in genere *logico*, et propter hanc generis convenientiam videntur omnino non aequivoca esse, [et tamen sunt aequivoca sive analoga secundum esse tantum et non secundum intentionem];

aut etiam sunt *propinquae secundum aliquam similitudinem*: sicut ille qui docet in scholis dicitur *magister*; et *similiter* ille qui praeest domui dicitur *magister* domus, *aequivoce*, et tamen propinqua aequivocatione, *propter similitudinem* [proportionis sive proportionalitatis propriae]: uterque enim est rector, hie quidem scholarum, ille vero domus [2].

Unde propter hanc *propinquitatem vel* generis *vel* si-

---

[1] «Non est eadem materia corporis caelestis et elementorum nisi *secundum analogiam*, secundum quod conveniunt in ratione potentiae» (I, 76, 2c in fine); «diversae materiae seipsis distinguuntur secundum *analogiam* ad diversos actus, prout in eis diversa ratio possibilitatis invenitur» (*II Sent.*, d. 12, 1 ad 3): «unde remanet *communitas* materiae *secundum analogiam tantum*» (*ibid.*, ad 5).

[2] «Est etiam quaedam similitudo proportionalitatis, *quae consistit in eadem habitudine proportionum*, ut cum dicitur: *sicut* se habent octo ad quatuor, *ita* sex ad tria; et *sicut* se habet consul ad civitatem, *ita* se habet gubernator ad navem» (*I Sent.*, d. 34, 3, 1 ad 2); et *sicut* se habet rector scholarum ad scholares, *ita* se habet rector domus ad domesticos et familiares.

militudinis, videntur non esse aequivocationes, cum tamen sint»[1].

Alibi etiam docet analogiam proportionalitatis propriae *magis remotam et distantem* esse posse. Cum enim dixisset quod generatio Filii et productio creaturarum non sunt unius rationis secundum univocationem sed secundum *analogiam* tantum, et quidem proportionalitatis propriae, cum sint quasi duarum potentiarum (scilicet potentiae generandi et potentiae creandi) et quasi duarum operationum (=generandi et creandi) ad duos terminos, nempe Filium et creaturam, qui ideo *commune* habent ut uterque *accipiat a Patre*[2]; notat «quod *accipere* dicitur esse *commune* creaturae et Filio, non secundum univocationem sed *secundum similitudinem quandam remotam*, ratione cuius dicitur Primogenitus omnis creaturae»[3].

178. Semper tamen omnes modi analogiae presse dictae retinent *diversitatem quandam esssentialem in ipsa communi ratione vel intentione formaliter significata per nomen*, qua recedunt a perfecta et totali identitate et unitate univocorum; et ideo *analoga reducuntur ad aequivoca, licet imperfecta et partiali reductione*; ac *simpliciter* loquendo, hoc est *sine addito*, dicenda sunt *aequivoca*, eo ipso quod *simpliciter* recedunt a totali uniformitate univocorum.

Minima siquidem declinatio ab identitate perfecta univocorum facit diversitatem simpliciter, sicut minima substractio vel additio notarum essentialium facit diversam speciem simpliciter[4]. Nam, ut optime animadvertit

---

[1] S. Thomas, *In VII Physic.*, lect. 8, n. 8.
[2] *De Pot.*, 2, 5 ad 6; 6 ad 3 et 4.
[3] I, 33, 3 ad 2. Cf. etiam *in III Sent.*, d. 11, 1 ad 3, nn. 19-20.
[4] Nam essentiae rerum sunt sicut numeri, qui specie variantur ex substractione vel additione nedum plurium sed et singularis unitatis. «Ponit [Aristoteles] secundam assimilationem [analogiam: cf. n. 1.728] substantiae, quam significat definitio, ad numeros. Et dicit quod si aliquid addatur vel substrahatur alicui numero, *etiamsi sit minimum*, non erit is idem numerus secundum speciem. *Minimum*

Caietanus, sicut *ad univocationem «non sufficit qualiscumque identitas rationis secundum illud nomen, sed exigitur quod ratio* univocatorum, quae attenditur penes illud nomen in quo univocantur, *sit totaliter eadem et nihil plus aut minus includat unum quam reliquum in ratione illius nominis»*; ita «ad *aequivocationem sufficit qualiscumque diversitas rationis secundum illud nomen»* [1]. Eo circiter modo quo accidit in bono et malo, in pulchro et deformi, iuxta illud S. Tomae: «ad hoc autem quod aliquid sit bonum *simpliciter,* requiritur quod sit *totaliter* perfectum; *sicut* ad hoc quod aliquid sit pulchrum *simpliciter,* requiritur quod in *nulla* parte sit aliqua deformitas vel turpitudo» [2]; quia «sicut Dionysius dicit cap. 4 de *divinis Nominibus,* bonum causatur ex *una* et *tota* causa, malum autem causatur ex *singularibus defectibus*: sicut pulchritudo causautr ex hoc quod omnia corporis membra decenter se habent; quorum si *unum tantum* fuerit indecenter dispositum, *turpitudinem* inducit» [3]. Et tamen «sicut non omnis deformitas corporis est aequalis, sed quaedam est alia maior secundum quod privantur plura ad decorem pertinentia vel aliquid *principalius;* ita non omnis deformitas vel inordinatio actus est aequalis, sed quaedam est alia maior: unde nec om-

---

enim in numeris est *unitas* quae, si addatur in ternario, surgit quaternarium, qui est alia species numeri; si vero abstrahatur ab eodem, remanet binarius, qui est etiam alia species numeri: et hoc ideo, quia illa *ultima* differentia dat *speciem* numero. Et *similiter* est in definitionibus et quod quid erat esse, quod significat definitio; quia quocumque minimo addito vel ablato, est alia definitio, sicut et alia natura speciei. Sicut enim substantia animata *sensibilis tantum,* est definitio *animalis*: cui, si addas et *rationale,* constituis speciem *hominis;* si autem subtrahas *sensibile,* constituis speciem *plantae*; quia etiam *ultima* differentia dat speciem» (*VIII Metaph.*, lect. 3, nn. 1.723-1.724).

Et alibi: «illud secundum quod sortitur aliquid speciem oportet esse fixum et stans et quasi indivisibile. Quaecumque enim ad illud attingunt, sub specie continentur; quaecumque autem recedunt ab illo vel in plus vel in minus, pertinent ad aliam speciem vel perfectionem vel imperfectionem» (I-II, 52, 1c).

[1] CAIETANUS, *In Praedicamenta Aristotelis*, cap. 1, ed. cit., p. 11.

[2] S. THOMAS, *De Virtutibus in communi*, 9, ad 16.

[3] *De Malo*, 7, 4c.

nia peccata sunt paria» [1], nec omne malum est idem, sed latitudinem magnam suscipit in suo recessu a totali perfectione boni. Et *similiter* analogia latitudinem magnam suscipere valet in recessu a perfecta unitate univocorum, secundum diversitatem maiorem vel minorem quam in recto et positive significat: sicut «quanto maior est inordinatio in membris tanto est maior turpitudo, et quanto magis a veritate receditur tanto est maior falsitas; non enim est tam magna falsitas aestimantis tria esse quinque sicut eius qui aestimat tria esse centum» [2].

Propter quod S. Thomas expresse adnumerat analogiam inter diversos modos aequivocationis, dicens quod ad unum ex illis «*reducitur* multiplicitas nominum *analogorum*, quae dicuntur secundum prius et posterius» [3] cum nomina analoga dicantur *fere aequivoce* de diversis analogatis [4]. Et alibi ad quaestionem: utrum sint eadem vel diversa principia omnium praedicamentorum, respondet quod hoc est aequivalenter «quaerere de *multipliciter* dictis, quia *diversorum non sunt eadem principia sed diversa, nisi quodammodo*. Omnium enim *quodam modo* sunt *eadem* principia... *secundum proportionem*; sicut si dicamus quod in quolibet genere inveniuntur aliqua quae *se habent ut* materia et forma et privatio et movens [quae sunt principia propria substantiae corporeae]... *Alio* autem *modo* sunt *diversa* principia: quia contraria, quae sunt principia rerum, et ipsa materia, *non univoce* dicuntur, quia non sunt genera; *nec* etiam dicuntur *multipliciter quasi* [*pure*] *aequivoca*: *et ideo non possumus dicere quod sunt eadem simpliciter*, sed secundum ana-

---

[1] *De Malo*, 2, 9c in fine.
[2] *III Contra Gent.*, cap. 139.
[3] *De fallaciis*, cap. 4. Opuscula, ed. de Maria, t. I, p. 199.
[4] «Nostra *analogia* non valet immediate extendi in invisibiles contemplationes», quia «naturae sensibiles intellectae non sufficienter exprimunt divinam essentiam; neque etiam aliquas essentias separatas, cum non sint unius generis naturaliter loquendo: et quidditas et omnia huiusmodi nomina *fere aequivoce* dicuntur de sensibilibus et de illis substantiis» (*In librum Boetii de Trinitate*, 6, 3c).

logiam» tantum, cum tamen simpliciter dicere possimus quod sint *diversa*[1].

Et S. Albertus Magnus magis adhuc limpide dixit quod analogum «nomen *non est simpliciter unum, sed simpliciter est multa et secundum quid unum*»[2].

179. Et inde communiter ad Thomae discipulos eadem doctrina transivit. Ita, ut non nullos afferam. Herveus de Nédellec, O. P. († 1323) notat: «quomodo differant univocum, aequivocum et analogum *difficile* est videre, quia *difficile* est videre quomodo possit dari *medium* inter univocum et aequivocum», et post pauca dicit quod istud medium est nomen «aequivocum *simpliciter*, sed tamen propter connexionem talem quae est inter res significatas per terminum dicitur *analogum sive proportionale*»[3].

Armandus de Belvizer, O. P. († 1340): «iste modus communitatis est *medius* inter puram aequivationem et simplicem univocationem. In his enim quae analogice dicuntur non est totaliter una ratio sicut in univocis, nec totaliter diversa sicut in aequivocis; sed nomen quod sic *multipliciter* dicitur significat *diversa* secundum proportionem»[4].

Thomas de Vio Caietanus, O. P. († 1534): «in analogis... fundamenta analogae similitudinis *diversarum* rationum sunt *simpliciter* et *eiusdem secundum quid,* idest secundum proportionem»[5].

Franciscus de Silvestris Ferrariensis, O. P. († 1528): «advertendum autem quod pura aequivoca hic accipit S. Thomas ut distinguuntur ab analogis; quia et *ipsa*

---

[1] S. THOMAS, *In XII Metaph.*, lect. 4, nn. 2.484-2.486. Cf. etiam *in librum Boetii de Trinitate*, 5, 4c.

[2] S. ALBERTUS MAGNUS, *In I Post. Analyticorum*, tract. II, cap. 13. Opera, ed. Borgnet, t. II, p. 50b in fine.

[3] HERVEUS NEDELLEC, *Quodlib.* II, q. 7, sine numeratione foliorum. Venetiis 1486.

[4] A. DE BELVIZER, *Declaratio difficilium terminorum Theologiae, Philosophiae atque Logicae,* tract. II, cap. 281, p. 328, 1.586.

[5] CAIETANUS, *De nominum Analogia,* cap. 4, n. 36, ed. cit., pp. 34-35. Cf. etiam *ibid.*, n. 33, p. 33; n. 37, p. 35; cap. 5, n. 45, p. 41.

analoga aequivoca sunt: sed tamen quia inter se habent *quandam proportionis unitatem*, ideo non dicuntur pure aequivoca, idest habentia diversas omnino rationes»[1].

Chrysostomus Javelli, O. P. († c. 1540): «quod autem analogum *declinet ad aequivocum* patet ex eo quod univocum dicit *unam* rationem tantum et aequaliter participatam a suis univocatis; aequivocum autem dicit *plures* rationes *omnino diversas* convenientes suis aequivocatis *absque ordine*...; analogum autem, *ut medium magis declinans ad aequivocum*, dicit *plures* rationes, in *ordine* tamen ad *primum* analogatum»[2].

Dominicus de Soto, O. P. († 1560): «analogia *proxime accedit ad aequivocationem* quippe in qua *diversis* conceptibus significantur diversae rationes; et ideo Aristoteles exemplum aequivocorum exhibuit in animali vivo et picto... Aristoteles *analoga comprehendit* sub aequivocis»[3]. «*Aequivocationum aliae* quidem sunt *multum distantes*, ut canis, quod est aequivocum a casu, significans marinum et latrabilem, non propter aliquem gradum naturae aut proportionem; *aliae* vero sunt *minus distantes*, ut *analoga, quae non conveniunt simpliciter in aliquo gradu naturae, sed in proportione*, ut *sanum* significat animal et urinam»[4].

Et similiter alii plures, qui facile addi possent. Unde merito Suarezius, S. J. († 1617) fatetur: «dicendum est ab antiquis auctoribus *analoga sub aequivocis* comprehendi»[5]. Et Silvester Maurus, S. J. († 1687) «analoga sunt *media* inter aequivoca stricte dicta et univoca; at *sunt species aequivocorum late sumptorum* prout sumuntur hic [=in libro Categoriarum, cap. 1] ab Aristo-

---

1 F. Ferrariensis, *In I Contra Gentiles*, cap. 33, initio, ed. leon., t. XIII, p. 102a.

2 Ch. Javelli, *Epitome Logices*, tract. V, P. II, cap. 1, p. 53a. Lugduni 1568.

3 D. de Soto, *In Dialecticam Aristotelis*: *Categor.*, cap. 1, q. unica, p. 120a. Venetiis 1574.

4 *Super VIII libros Physicorum Aristotelis praeclarissima commentaria*: *in lib. VII*, cap. 4, p. 377b. Venetiis 1582.

5 F. Suarez, *Disputationes Metaphysicae*, disp. 32, sect. 2, n. 1. Opera, ed. Vives, t. 26, p. 320.

tele, qui idcirco analoga comprehendit sub nomine ac definitione aequivocorum, ut docet S. Thomas Opusculo 48, tract. II [1]; quem, praeter thomistas, sequuntur plures alii» [2].

180. Quae cum ita sint, nullo fere negotio et omnino ad mentem S. Thomae et S. Alberti Magni posteriores scholastici sat communiter hanc dederunt analogorum definitionem: *quorum nomen est unum, ratio vero significata per nomen est simpliciter diversa et secundum quid eadem.*

Ita Didacus Mas, O. P. († 1608): «*secundum analogiam* illa dicuntur homonyma [=aequivoca] quorum nomen est commune..., ratio vero nomini accommodata *simpliciter* est *diversa...*, est tamen *eadem secundum analogiam*», idest proportionem [3]. Quae definitio omnino redolet formulam Caietani paulo supra relatam.

Similiter Antonius Rubio, S. J. († 1615). «Analoga, inquit, utrumque extremum participant. Conveniunt enim cum aequivocis et univocis in nomine, quod commune debet esse in omnibus; in re vero aut conceptu per nomen significato partim conveniunt et partim differunt. Conveniunt quidem cum aequivocis in eo quod *diversus* debet esse *simpliciter*; et in hoc differunt ab univocis, in quibus idem simpliciter debet esse: sed differunt ab eisdem aequivocis in eo quod non omnino diversus est, sed *aliquo modo* unus vel idem; et in hoc assimilantur univocis. Unde sequitur *maiorem similitudinem habere cum aequivocis*: *et haec est ratio propter quam cum aequivocis enumerari solent et etiam aequi-*

---

[1] *Summa totius Logicae Aristotelis*, tract. II, cap. 1: «sub *aequivocis* comprehenduntur *analoga*» (ed. cit., t. I, p. 18). Hoc tamen opusculum non est S. Thomae, ut omnes norunt; redolet tamen eius doctrinam.

[2] SILVESTER MAURUS, *Quaestiones philosophicae.*, t. I, q. 44 ad 3, p. 451. Cenomani 1875.

[3] DIDACUS MAS, *Commentariorum in Porphyrium et in universum Aristotelis Logicam una cum quaestionibus quae a gravissimis viris agitari solent*: *in Praedicamenta*, cap. 1, Disputatio de ente et de his quae in categoriis continentur, t. I, p. 367a. Moguntiae 1617.

voca appellari, quia parum ab eis distinguuntur. Itaque conceptus analogi quantum ad res significatas non est unus sed *plures*, quia analoga *diversa* sunt; ratione tamen proportionis vel attributionis seu proportionalitatis *quandam* habent *similitudinem*, et eius ratione *aliqualem unitatem*; et hoc est rationem substantiae nomini accommodatam non esse omnino diversam nec omnino eandem, sed proportionalem vel similem»[1].

Eodem modo Conimbricenses, S. J. «Consilio aequivoca seu analoga *idem* quoque *nomen habent et rationem aliquo modo eandem*, simpliciter tamen diversam; ut homo verus et depictus; uterque enim formam hominis participat, tametsi unus veram et essentialem, alius adumbratam: quod est in causa ut hae rationes hominis sint *absolute diversae*. Hinc etiam est ut analoga merito censeantur media inter casu aequivoca et univoca, siquidem vindicant rationem *quodammodo unam* ut univoca, *simpliciter tamen diversam* quemadmodum aequivoca, *cum quibus proinde maiorem habent necessitudinem*»[2].

Pariter Michael a Sanctissima Trinitate, C. D. († 1661), cum retulisset definitionem analogorum: *quorum nomen est commune, ratio vero substantiae secundum illud nomen partim est eadem et partim diversa*, adnotat: «tamen, quia per particulas illius definitionis *non ita clare* exprimitur *quomodo analoga medient inter* pure aequivoca et univoca, in quo propria eorum ratio consistit, ideo exactius definiemus analoga logica in communi dicendo: *analoga sunt quorum nomen est commune, ratio vero substantiae secundum illud nomen simpliciter est diversa et secundum quid eadem*»[3].

---

[1] A. RUBIO, *Commentariorum in universam Aristotelis Dialecticam magnam et parvam una cum dubiis et quaestionibus hac tempestate circa utramque agitari solitis*. Tractatus de nominum analogia, n. 10, pp. 163-164. Compluti 1613.

[2] *Comment*. COLLEGII CONIMBRICENSIS *in universam Dialecticam Aristotelis Stagiritae*, p. 232. Conimbricae 1607.

[3] COLEGII COMPLUTENSIS SANCTI CYRILLI DISCALCEATORUM FRATRUM ORDINIS B. MARIAE DE MONTE CARMELO, *Disputationes in Aristotelis Dialecticam et Philosophiam Naturalem*: in Aristotelis Dialecticam, disp. 10, q. 1, n. 7, p. 165a. Editio princeps: Compluti 1624.

Accedit Josephus Oliva, Ord. Minimorum (c. 1648). «Ratio, inquit, significata per nomen analogum non est simpliciter eadem sed solum secundum quid, et est simpliciter diversa: ergo *magis approximatur aequivoco quam univoco.* Probatur consequentia; quia illa ratio negat *simpliciter* et absolute quod est proprium univoci; negat vero *secumdum quid tantum* quod est proprium aequivoci: ergo cum sit medium inter univocum et aequivocum, *magis accedit* ad aequivocum» [1]. Hoc ergo in sensu «mediant analoga inter univoca et aequivoca: in quantum cum aequivocis stricte sumptis habent rationem significatam per nomen *simpliciter diversam*; et cum univocis rationem eandem, licet *solum secundum quid*» [2].

Consentit Jacobus Brunus a Scigliano, O. P. (c. 1670), scribens: «analoga dicuntur illa *quorum nomen est commune, ratio vero significata per nomen est secundum quid eadem et simpliciter diversa in illis. Ratio* est, quia ana-

---

[1] JOSEPHUS OLIVA, *Gemmea Analoga ab Angelici Doctoris schola gemmata,* P. I, dub. 2, n. 2, ed. Criterion 1 (1925), p. 360. Ed. Princeps. Barcinone 1645

[2] *Op. cit.*, P. I, dub. 3, n. 1, p. 362. Oliva in multis fere exscripsit Michaelem a SSm[a]. Trinitate, ita ut ad plagium accedat, ut videre est exempli gratia hisce in verbis:

COMPLUTENSES, O. C.	IOSEPHUS OLIVA, ORD. MINORUM
«Observandum est quod inter rationem omnino eamdem et rationem omnino diversam mediat ratio quae partim est eadem et partim diversa, ut de se constat. Haec autem ratio media tripliciter potest excogitari. Primo, si aequaliter participet de utroque extremo, ita ut simul sit simpliciter eadem et simpliciter diversa. Secundo, si magis declinet ad omnimodam identitatem, ita ut sit simpliciter eadem et secundum quid diversa. Tertio, si magis propendeat in omnimodam diversitatem, ita ut sit simpliciter diversa et secundum quid eadem» (*Op. et loc. cit.*, n. 5, p. 164b).	«Notandum est quod inter rationem omnino eamdem et rationem omnino diversam mediat ratio quae partim est eadem et partim diversa. Haec autem ratio media tripliciter potest considerari. Primo, si aequaliter de utroque extremo participet, ita ut simul sit simpliciter eadem et simul simpliciter diversa. Secundo, si magis inclinetur ad convenientiam simpliciter et solum dicat diversitatem secundum quid. Tertio, si magis inclinetur ad diversitatem simpliciter et solum dicat convenientiam secundum quid» (*Op. et loc. cit.*, dub. 3, n. 1, p. 361).

loga *magis accedunt ad aequivoca, quae sunt simpliciter diversa; quam ad univoca, quae sunt simpliciter eadem: et consequenter ab aequivocis participant diversitatem simpliciter, ab univocis convenientiam secundum quid»[1].

Item Cardinalis Josephus Sáenz de Aguirre, O.S.B. († 1699): «analoga autem sunt velut *medium* quoddam inter univoca et pure aequivoca, quoniam participant ab utroque extremo: ab univocis quidem quod importent veram *aliquam* convenientiam in re significata per nomen; ab aequivocis autem quod importent *diversitatem simpliciter* adhuc in illo ipso praedicato seu re per nomen significata»[2].

Idem nitide expressit Philippus a Sanctissima Trinitate, C. D. († 1671), dicens «ratio importata per nomen analogum non sic est partim eadem, partim diversa, quasi ex aequo contineat utrumque, sed simpliciter est diversa et secundum quid eadem. Unde, licet analogum sit medium inter aequivocum et univocum, non tamen aequaliter distat ab utroque, sed magis approximatur aequivocis et adnumeratur illis. Et sic dividitur aequivocum in communi in pure aequivocum et analogum: in pure aequivocis ratio significata per nomen est omnino diversa; in analogis vero, licet sit simpliciter diversa, est tamen secundum quid eadem. Et sic debet exponi definitio analogorum: analoga sunt quorum nomen est commune, ratio vero substantiae nomini accommodata est partim eadem et partim diversa»[3].

Similiter Antonius Goudin, O. P. († 1695), definit analoga proportionalitatis: «quorum nomen commune est, ratio vero per nomen significata simpliciter quidem di-

---

[1] Jacobus Brunus a Scigliano, *Summa philosophicae disciplinae III P. seu Metaphysica*, q. 4, a. 1, p. 107. Messanae 1667.

[2] J. Saenz de Aguirre, *Philosophia Rationalis Novantiqua sive Disputationes selectae in Logicam et Metaphysicam Aristotelis*, disp. 26, sect. 2, n. 13, p. 342b. Salmanticae 1675.

[3] Philippus a SS. Trinitate, *Summa philosophiae ex mira principis philosophorum Aristotelis et Doctoris Angelici Divi Thomae doctrina iuxta legitimam scholae thomisticae intelligentiam composita*, I P., cap. 10, a. 3, t. I, p. 206. Coloniae Agripinae 1665.

versa, proportionaliter tamen eadem, idest similis secundum quandam proportionem» [1].

Et Complutenses Ordinis Praedicatorum asserant «analoga esse *media* inter univoca et pure aequivoca, cum de his diversitatem et de illis participent unitatem» [2]; et paulo post dicunt: «analoga logica sunt quorum nomen est commune, et ratio significata est eadem secundum quid et simpliciter diversa» [3].

Haud aliter Paulus Maria Cauvinus de Nicaea, O. P. († 1736): «Analoga, inquit, proportionalitatis seu secundum esse et intentionem simul sunt illa quorum nomen est commune, ratio vero significata est partim eadem, partim diversa, scilicet eadem secundum proportionalitatem et diversa simpliciter et absolute» [4].

Nec secus Collegium Ripense, Ord. Merc. Disc., scribens «analoga esse media inter univoca et pure aequivoca; quia nec sunt simpliciter eadem sicut univoca nec simpliciter diversa sicut aequivoca, sed ex utroque extremo participant: non quidem simpliciter et ex aequo, quia magis ad diversitatem quam ad unitatem accedunt; ita ut ex univocis unitatem aliqualem et secundum quid, et ex aequivocis diversitatem participent» [5].

Tandem, ne plura consecter —nam haec series auctoritatum facile dilatari posset— Auctor opellae nitidissimae et accuratissimae cui titulus: *Totius doctrinae Logicae rationalis tractatio iuxta mentem Doctoris Angelici D. Thomae Aquinatis, in gratiam iuventutis thomisticae*, totam hanc doctrinam melius contrahit hisce verbis:

---

[1] ANTONIUS GOUDIN, *Philosophia thomistica iuxta inconcusa tutissimaque Divi Thomae dogmata*, t. I, Logicae Maioris, I P., disp. 2, q. 1, a. 1, p. 185a. Matriti 1796.

[2] COLLEGII S. THOMAE COMPLUTENSIS *in universam Aristotelis Logicam quaestiones*, q. 7, a. 3, n. 24, p. 453a. Compluti 1677.

[3] *Ibid.*, n. 25, p. 453a.

[4] P. M. CAUVINUS DE NICEA, *Cursus philometaphysicus, scilicet continens tum universae philosophiae cum famosiores Metaphysicae speculationes*, tract. 4, disp. 2, q. 1, 4, p. 239a. Bononiae 1692.

[5] COLLEGII RIPENSIS, *Cursus philosophicus iuxta miram doctrinam et scholam Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, t. I, lib. 8, dub. 3, n. 2, p. 430. Matriti 1716.

«aequivoca dicuntur quorum nomen est commune, ratio vero substantiae nomini accommodata est omnino diversa... Univoca dicuntur quorum nomen est commune, ratio vero substantiae nomini accommodata est omnino eadem»[1]. «Analoga (presse dicta) dicuntur quorum nomen est commune, ratio vero substantiae nomini accommodata est diversa simpliciter, eadem autem secundum quid»[2]. Denique de analogis large dictis, idest secundum esse et non secundum intentionem, quae apellat cum aliis sui temporis auctoribus analoga physica, dicit quod «habent rationem simpliciter eandem et secundum quid diversam»[3].

Quae omnia redolent formulam S. Alberti Magni supra relatam, licet omnes isti auctores videantur eam ignorasse.

181. Ceterum, huiusmodi inaequalis participatio contrariorum in medio quasi mixto et composito ex contrariis, cum sit universalis lex mediorum qua talium, ubique et semper verificatur. Ita, actus ex metu peractus, v. gr. proiectio mercium in mare oborta tempestate ut navis summersio vitetur et vita servetur, *mixtus* est ex voluntario et coacto sive involuntario, ita tamen ut sit voluntarius simpliciter et involuntarius secundum quid[4].

Similiter, in ratione superiori animae Christi durante passione erat gaudium mixtum cum tristitia, ita tamen ut gaudium de Deo viso esset simpliciter et per se, dum tristitia de passione corporis et animae esset secundum quid tantum et quasi per accidens[5].

---

[1] *De categoriis*, n. 8, p. 61. Opusculum caret loco et anno impressionis. Quantum tamen coniici potest ex forma typorum et ex modo impressionis, videtur esse impressum Matriti, circa secundam medietatem saeculi XVIII, fortasse in typographia regia aut Benedicti Cano, ubi et Summa Theologica et alia plura opera thomistica fuerunt edita.

[2] *Ibid.*, n. 13, p. 65.

[3] *Ibid.*, n. 19, p. 68.

[4] S. THOMAS, *In III Ethic.*, lect. 2, n. 398; I-II, 6, 6.

[5] «Contraria esse in eodem *per se* est impossibile; contigit tamen esse contrarios motus in eodem, ita quod *unus* motuum conveniat ei *per se* et alius *per accidens*; sicut cum aliquis in navi deambulans

Eodem modo habitus operativus essentialiter «medius est inter potentiam et actum»[1], sicut habitus scientiae medius est inter nudam potentiam sciendi et actum secundum demonstrandi. «Horum igitur trium, ultimus est in actu tantum, primus in potentia tantum, secundus autem in actu respectu primi et in potentia respectu secundi: unde manifestum est quod esse in potentia dicitur dupliciter, scilicet de primo et secundo; et esse in actu dicitur dupliciter, scilicet de secundo et tertio»[2]. Qua de causa, habitus simul est actus et potentia: actus quidem respectu nudae potentiae; potentia vero respectu actus ultimi sive operationis. Non tamen ex aequo, sed secundum prius et posterius: nam per prius et simpliciter est potentia sive principium operandi et non ipsa operatio, quae est totaliter actus et nullo modo potentia; per posterius vero et secundum quid est actus, quia revera actuat nudam potentiam per modum formae quae est actus primus, cum sit essentialiter qualitas[3]. Et hac ratione habitus connumerantur inter principia actuum humanorum, sicut ipsae potentiae quas perficiunt et complent in ratione talis principii[4]. Pariter Astronomia, Optica, Mechanica, Musica, sunt essentialiter scientiae vel artes *mediae* inter scientias Mathematicas puras et puras scientias Physicas ideoque de utrisque aliquid participant: non tamen aequaliter, sed secundum magis et minus. Nam formam sive medium demonstrandi accipiunt a scientiis mathematicis puris, quibus per se subalternantur; materiam vero sive obiectum circa quod versantur cuique applicant principia e mathematicis mutuata recipiunt ex scientiis physicis puris. Qua de causa, appellan-

---

fertur in contrarium eius ad quod navis movetur. Ita in *superiori* ratione *animae* Christi erat gaudium *per se*, quia per actum *proprium*: dolor autem *per accidens*, quia per *corporis* passionem» (*De Verit.*, 26, 10 ad 9).

1 *IV Sent.*, d. 14, 1 3 qla. 2c; I-II, 71, 3.

2 *In II de Anima*, lect. 9, n. 361.

3 I-II, 49, 3 ad 1; 73, 3 ad 1: «*simpliciter* actus est potior tam in bonitate quam in malitia, sed habitus est potior *secundum quid*».

4 I-II, 49 prol.

tur a S. Thoma formaliter mathematicae et materialiter physicae: et ob id reduci possunt, impropria reductione diversoque sensu, tum ad mathematicas tum ad physicas scientias. Quia tamen id quod formale est potissimum est et principale in scientiis et actibus, simpliciter et absolute loquendo dicendae sunt potius mathematicae quam physicae; licet sub respectu operationis vel praxeos cuiusdam quae eis admiscetur in quantum sunt aliquo modo artes operativae et recedunt a puritate scientiae speculativae, potius dicentur physicae quam mathematicae. Et sic Thomas ipse, inter exponendos textus Aristotelis, vocat eas potius physicas quam mathematicas [1]: quando vero de propiis loquitur in operibus personalibus, eas potius mathematicas quam physicas appellat [2], absque ulla vera contradictione.

Et modo simili unus idemque habitus specie, atque ideo unus idemque actus eius proprius et specificus, possunt simul esse in duabus animae potentiis ab eisque simul elici; non tamen ex aequo, sed in una vel ab una principaliter et formaliter, in alia vero vel ab alia secundario et materialiter [3]: sicut virtus paenitentiae est formaliter et principaliter in voluntate et in appetitu concupiscibili secundario et materialiter [4]; fides theologica est principaliter et formaliter in intellectu, materialiter vero et secundario in voluntate [5]; prudentia est formaliter et principaliter in ratione practica, secundario autem et materialiter in cogitativa [6]; et habitus scientiae est principaliter et formaliter in intellectu possibili, materialiter vero et secundario in sensibus interioribus, nempe in imaginatione, in memoria ac praesertim in cogitativa [7].

---

[1] *In II Physic.*, lect. 3, nn. 8-9; *in I Post.*, lect. 25, nn. 2-6.

[2] *In librum Boetii de Trinitate*, 5, 3 ad 5-7; I-II, 35, 8c in fine; II-II, 9, 2 ad 3.

[3] *De Verit.*, 14, 4c et ad 7; I-II, 56, 2.

[4] *IV Sent.*, d. 14, 1, 1, qla. 1c et ad 2.

[5] *De Verit.*, 14, 4c.

[6] II-II, 47, 3 ad 3.

[7] I, 90, 6c; I-II, 50, 3 ad 3; 51, 3; 53, 1; 67, 2.

182. Itaque germana doctrina thomistica de habitudine analogiae ad perfectam univocationem et ad puram aequivocationem potest sequenti contrahi tabella:

A	B		C
Extremum univocationis purae	*Medium Analogiae*		*Extremum aequivocationis purae*
Univocata perfecta dicuntur: quorum nomen est idem, ratio vero sifinificata per nomen est totaliter eadem.	Analoga dicuntur: quorum nomen est idem, ratio vero significata per nomen est media inter rationem significatam per nomen pure univocum et rationes significatas per nomen pure aequivocum, idest a) non totaliter eadem nec totaliter diversa, sed b) partim eadem et partim diversa; nimirum:		Pure aequivoca dicuntur: quorum nomen est idem, ratio vero seu potius rationes significatae per nomen sunt totaliter diversae.
	a) analoga large sumpta dicuntur: quorum nomen est idem, ratio vero significata per nomen est 1) simpliciter eadem et 2) secundum quid diversa. Et ideo dicuntur a S. Thoma *fere* aequivoca (*In Boetium De Trinitate,* 6, 3c).	b) Analoga presse accepta dicuntur: quorum nomen est idem, ratio vero per nomen significata est 1) simpliciter diversa et 2) secundum quid eadem, idest: 1) absolute multiplex et 2) relative sive proportionaliter una.	

183. Ex quibus omnibus luculenter apparet A. van Leeuwen, S. J., minus sapienter negasse possibilitatem et valorem explicationis vulgatae formulae: partim eadem et partim diversa sive partim diversa et partim non diversa, per clariores formulas: simpliciter eadem et secundum quid diversa, pro analogis secundum esse tantum et non secundum intentionem; et: simpliciter diversa et secundum quid eadem, pro analogis secundum intentionem tantum et non secundum esse (=attributionis) et pro analogis secundum intentionem et secundum esse (=proportionalitatis)[1]. Haec enim explicatio, ut ex dictis patet, non tantummodo possibilis et vera est secundum S. Thomam, sed etiam vera et necessaria secundum rem.

Neque argumenta quae profert ullius efficacitatis sunt. Non enim *simpliciter* et *secundum quid* idem sonant in casu praesenti ac *per se* et *per accidens*, ut ipse putat[2], hoc est, *essentialiter* et *accidentaliter*: hoc enim esset aequivalenter introducere praedicatum *accidentale* in ipsam *essentiam* analogiae, quod nullus hucusque somniavit; insuper unitas analoga sive proportionalis non est unitas *per accidens*, sed unitas quaedam *per se*, sicut est unitas transcendentalis quae convertitur cum ente. Sed sumitur *simpliciter* pro absolute, *sine addito*; *secundum quid* vero pro relative, *cum aliquo addito* determinante per modum restrictionis vel diminutionis cuiusdam, ita ut secundum quid valeat idem ac *secumdum aliquid, quadamtenus, quodammodo, aliqualiter*: nempe *eadem* ratio *relative, proportionaliter*; haec enim adverbia superaddita termino, *eadem*, determinant significationem eius ad modum unitatis vel identitatis proportionalis et relativae, quae minor est quam ceterae unitates per se, ut sunt unitas numerica, unitas specifica et unitas generica[3].

---

[1] A. VAN LEEUWEN, *L'Analogie de l'être. Genèse et contenu du concept d'analogie* Apud «Revue Neoscolastique de Philosophie», 39 (1936), p. 301.

[2] *Loc. cit.*, p. 288.

[3] S. THOMAS, *In IV Metaph.*, lec. 8, nn. 876-880; I, 93, 1 ad 3.

Hoc namque in sensu accipi solent *simpliciter* et *secundum* quid ab Aristotele et a S. Thoma.

Ab Aristotele quidem, quando dicit: τὸ δ'ἁπλῶς ἐστιν ὁ μηδενὸς χροστεθέντος ἐρεῖς [1]; et contraponit ἁπλῶς τῳ μὴ ἁπλῶς ἀλλα πῇ ἢ κότε ἢ πρὸς τι [2]; quadamtenus et simpliciter: τὸ πῇ καὶ τὸ ἁπλῶς [3].

A S. Thoma etiam, quia ait: «*simpliciter* autem hie dicitur quod *nullo addito* dicitur, ut cum dicitur: Socrates est albus vel Socrates currit. *Secundum quid* autem dicitur quod *cum aliquo addito* dicitur, ut: iste currit *bene*, vel Socrates est albus *secundum dentem.*

Hoc autem *quod additur dupliciter* se habet ad id cui additur. Nam *quandoque non diminuit de ratione cui additur,* et tunc potest procedi ab eo quod est secundum quid ad hoc quod est simpliciter; ut cum dicitur: iste currit *velociter,* igitur currit: velocitas enim nihil diminuit de ratione cursus...

Quandoque vero id quod additur diminuit aliquid de ratione eius cui additur, ut cum dicitur: aethiops est albus secundum dentem; nam haec determinatio, *dentem, diminuit aliquid* de ratione eius quod dicitur albus: non enim potest dici albus nisi qui *totus* est albus, vel secundum *plures et principaliores partes.* Et ideo, si concludatur: aethiops est albus secundum *dentem*: ergo est albus, est locus sophisticus vel fallacia secundum quid et simpliciter: et est deceptio proveniens ex eo quod dictum secundum quid accipitur ac si esset dictum simpliciter...

Sciendum tamen quod, si a parte sit natum denominari totum, non accidit fallacia, ut patet in hoc processu: iste est crispus *secundum capillos*; ergo est crispus. *Bene sequitur,* quia homo *denominatur crispus* secundum *capillos*» [4].

Jam vero hoc accidit in casu praesenti; quia *tota* uni-

---

1 ARISTOTELES, *II Topic.*, cap. 11, n. 4 (I, 197, 33-34).
2 *De Sophisticis elenchis,* cap. 5, n. 1 (I, 279, 37).
3 *Ibid.*, n. 3 (I, 280, 10).
4 S. THOMAS, *De fallaciis,* cap. 11, ed. cit., t. I, pp. 211-212.

tas vel identitas rationis significatae per nomen analogum nata est denominari a *proportione*: et ideo nulla est fallacia neque praedicatio accidentalis cum dicitur: analogia est una *proportionaliter vel relative*. Esset autem fallacia si unitas totalis et perfecta, quae est unitas univocorum, concluderetur ex unitate secundum quid, idest mere proportionali et relativa analogorum, ut si argueretur: ratio significata per nomen *ens* cum dicimus: substantia est ens, accidens est ens, Deus est ens, est *una proportionaliter et relative*, quia hoc modo se habet substantia ad suum esse sicut accidens ad suum et sicut Deus ad suum; ergo est *totaliter e absolute* una, ut est unitas univocorum, quae est unitas simpliciter, idest sine addito.

Ceterum hic sensus unitatis identitatis secundum quid rationis significatae per nomen analogum ita perspicua est ex contextu unitatis totalis nominis univoci cui comparatur, ut nulla dari possit ansa aequivocationi[1]. Haec

1 Aliquando etiam sumitur *simpliciter* pro *totaliter* seu *omnibus modis*, quo in sensu non desunt auctores qui dicant univocum praedicari de multis secundum rationem *simpliciter* eamdem; sicut aequivocum praedicatur secundum rationes *simpliciter* diversas: analagum vero secundum rationem *simpliciter* diversam et secundum quid eandem, sumpto *simpliciter* pro absolute vel *sine addito*. Quae distinctio prae oculis habenda est in legendis scriptoribus antiquis, apud quos nullum erat periculum aequivocationis, quia perfectam habebant lexicographiam peripateticam. Ac revera S. Thomas, inter alios, hunc duplicem sensum dat verbo *simpliciter* pluribus in locis. Ita, exempli gratia, scribit: «bonum *simpliciter* dupliciter dicitur. *Uno modo*, quod est omnibus modis bonum, sicut virtutes sunt bonae; et sic in his quae sunt bona simpliciter non est accipere medium et extrema. *Alio modo*, dicitur aliquid *simpliciter* bonum quia est *absolute* bonum, scilicet *secundum suam naturam consideratum*, quamvis per *abusum* possit fieri malum, sicut patet de divitiis et honoribus. Et in talibus potest accipi superfluum et diminutum et medium, quantum ad homines, qui possunt eis uti vel bene vel male: et sic circa *simpliciter* bona dicitur esse iustitia» (II-II, 58, 10 ad 2). Et alibi: «hoc quod dico *simpliciter* potest accipi dupliciter. *Uno modo*, secundum quod *simpliciter* idem est quod *absolute*, sicut *simpliciter* dicitur quod *nullo addito* dicitur, ut Philosophus dicit in II Topicorum, cap. 11: et hoc modo corpus Christi mortuum et vivum fuit idem numero... *Alio modo simpliciter* idem est quod *omnino* vel *totaliter* et sic corpus Christi mortuum et vivum non fuit *simpliciter* idem numero, quia non fuit *totaliter* idem, cum vita sit aliquid de essentia corporis viven-

ergo, quae rudimentaria sunt, et vel ipsi pueruli sciunt qui prima vice Logicam salutarunt, plene solvunt difficultates quibus involvitur doctissimus iste philosophus Societatis Jesu [1].

184. Multoque magis apparet falsitas opinionis Augusti Valensin, S. J., qui omnino respuit rationem *medii analogiae* inter puram aequivocationem et simplicem univocationem et intrepide negat nomen analogum dici de pluribus secundum rationem *partim* eandem et *partim* diversam, ac si hoc esset *illusio* quaedam *spatialis*: «nous rejetons la conception *quantitative* suivant laquelle la ressemblance ou, ce qui revient au même, l'analogie, l'expliquerait par une identité et une diversité partielles» [2]. Quam opinionem approbat et sequitur consodalis eius Pedro Descoqs, S. J. [3].

---

tis. Est enim praedicatum essentiale, non accidentale: unde consequens est quod corpus, quod desinit esse vivum, non *totaliter* idem remaneat» (III, 50, 5c). Et hoc sensu *simpliciter* dicitur de ratione significata per nomen univocum, ut idem valeat ac *univoce*: «Pythagorici, ait S. Thomas, utebantur nomine *medii* ac si *simpliciter, idest univoce* diceretur medium *magnitudinis* et id quod est medium *rei secundum naturam*, per quod scilicet natura rei conservatur» (*In II de Caelo et Mundo*, lect. 20, n. 7). Et hac acceptione dici *simpliciter* opponitur ad dici *multipliciter* sicut dici uno eodem sensu et modo ad dici pluribus diversisque sensibus et modis. «Parmenides assumit propositiones falsas, quia accipit *quod est*, idest ens, dici *simpliciter*, cum tamen dicatur *multipliciter*» (*In I Physic.*, lect. 6, n. 4). «Sicut potentia et actus non dicuntur *simpliciter sed multipliciter*, ita et pati *non uno modo sed multipliciter*» dicitur (*In II de Anima*, lect. 11, n. 365).

1 Circa hunc articulum R. P. van Leeuwen notat *Bulletin thomiste* quod «le problème de l'analogie ne sorte pas de là fort éclairci, au contraire», et quod Auctor «montre dans la critique de ses devanciers petits ou grands une parfaite indépendance et beaucoup de décision» (*Bulletin thomiste*, 5 (1938), p. 397). Ex nostra prima editione sumpsit plures textus et citationes, quin id fateatur, addens ex propriis complura errata, v. gr., Collegium Rupense, S. I. (p. 296), cum nos scripserimus: Collegium Ripense, M. D. (=Mercedariorum Discalceatorum); Iacobus Brunus a Seigliano (p. 300), cum nos dixerimus: Iacobus Brunus a Scigliano, O. P. Quae sane, minima cum sint, satis ostendunt ἀκρίβειαν Auctoris.

2 A. VALENSIN, *A travers la Metaphysique*, liv. IVc: théorie de l'Analogie, p. 213, nota 1. Parisiis 1925.

3 DESCOQS, *Institutiones Metaphysicae Generalis*, t. I, pp. 231, 232, nota 1. Parisiis 1925.

Nullus enim philosophorum peripateticorum talem illusionem spatialem passus est, quia nec medium nec extrema nec partim et partim sumpserunt per modum quantitatis *dimensivae*, ut isti Auctores imaginari videntur, sed per modum quantitatis *virtualis* sive perfectionis vel essentiae; ubi nulla est illusio phantasiae quae omnino transcenditur, sed intellectualis et metaphysica essentiarum perceptio: secus esset pura illusio et purus putusque anthropomorphismus loqui de magnitudine et aequalitate personarum in divinis, cum recitamus credendo: «immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus...; in hac Trinitate nihil *prius* aut *posterius* nihil *maius* aut *minus, sed* totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales» [1]; pura illusio etiam esset loqui de medio, de aequalitate, de augmento virtutum; de augmento gratiae et gloriae; de aequalitate vel inaequalitate peccatorum, de eorum gravitate seu magnitudine deque eorum multitudine, de ipsorum circunstantiis aggravantibus vel minuentibus; quin, et de ipsis divinis processionibus.

Equidem omnia huiusmodi nomina sumuntur ex quantitate dimensiva quam videmus vel imaginamur, ita tamen ut ad incorporalia et spiritualia, quibus convenit proprie quantitas virtualis seu metaphysica transferamus per analogiam, quin ulla sit illusio phantasiae. «Uti ergo possumus *in divinis* [=metaphysicis et theologicis] sensu et imaginatione *sicut principiis* nostrae considerationis, sed *non sicut terminis*, ut scilicet talia *iudicemus esse* divina qualia sunt quae sensus et imaginatio apprehendit. *Deduci* autem *ad aliquid* est ad illud terminari: et ideo in divinis neque ad sensum neque ad imaginationem debemus deduci», sed in his sunt omnino relinquendi sensus et imaginatio, solo intellectu retento [2].

185. **Id quod semper faciunt veri metaphysici et theologi.** Ita, ut nonnulla exempla ex uno Thoma referam, in

---

1 *Symbolum "Quicumque"*, DENZ., n. 39.
2 S. THOMAS, *In librum Boetii de Trinitate*, 6, 2c.

usu termini *distantia.* Ut enim ipse profunde scribit, «cognitio nostra in nobis sumit *principium* a phantasia et sensu, quae ultra *continuum* se non extendunt; et inde est quod ex his, quae in *continuo* inveniuntur, *transumimus* nomina ad *omnia* quae capimus *intellectu*: sicut patet in nomine *distantiae,* quae primo invenitur in loco, et exinde *transumitur* ad *quamcumque formarum differentiam*; propter quod omnia *contraria* in quocumque genere dicuntur esse *maxime distantia,* licet *distantia* primo inveniatur in ubi» [1]. Quo in sensu «dicuntur res *distare* a Deo per *dissimilitudinem* naturae vel gratiae» [2]; quia «huiusmodi *distantia et propinquitas* creaturarum ad Deum *non est secundum locum, sed secundum similitudinem*: et dissimilitudinem: nam illa quae magis assimilantur Deo dicimus sibi esse *propinquiora*; quae vero magis recedunt a *similitudine* ipsius, dicimus esse sibi *remotiora*» [3].

Pariter circa nomen *circunstantiae*: «Quia nomina, secundum Philosophum in I Perih., sunt signa intellectuum, necesse est quod secundum processum intellectivae cognitionis sit etiam nominationis processus. Procedit autem nostra cognitio intellectualis a notioribus ad minus nota. Et ideo *apud nos* a notioribus nomina *transferuntur* ad significandum res minus notas. Et inde est quod, sicut dicitur in X Metaph., ab his quae sunt secundum locum processit nomen *distantiae* ab omnia contraria; et similiter nominibus pertinentibus ad motum localem utimur ad significandum alios motus, eo quod corpora, quae loco circumscribuntur, sunt maxime nobis nota. Et inde est quod nomen circunstantiae ab his quae in loco sunt *derivatur* ad actus humanos. Dicitur autem in localibus aliquid *circunstare* quod est quidem extrinsecum a re, tamen attingit ipsam vel appropinquat ei secundum locum: *et ideo* quaecumque conditiones sunt

---

1 *De Pot.*, 10, 1c. Cf. etiam I, 67, 2 ad 3; *de Virtibus in communi*, 11c.
2 I, 8, 1 ad 3.
3 *Quodlib.*, 11, 1, 1 ad 5.

extra substantiam actus et tamen attingunt aliquo modo actum humanum, circunstantiae dicuntur»[1].

186. Eodem modo circa nomen *processionis*. «Similiter autem nomen *processionis* primo est inventum ad significandum motum localem, secundum quem aliquid ordinate ab uno loco per media ordinatim in extremum transit. Et ex hoc *transumitur* ad significandum omne illud in quo est aliquis ordo unius ex alio vel post aliud: et inde est quod in omni motu utimur nomine *processionis*, sicut dicimus quod corpus *procedit* ab albedine in nigredidem, et de parva quantitate ad magnam, et de non esse in esse et e converso; et similiter utimur nomine *processionis* ubi est aliqua emanatio alicuius ab aliquo, sicut dicimus quod radius *procedit* a sole, et omnis operatio ab operante, et etiam operatum sicut artificiatum ab artifice vel genitum a generante: et universaliter omnem huiusmodi ordinem nomine *processionis* significamus»[2]. Quo in sensu analogico et perfecte spirituali transfertur nomen *processionis* ad divina, cum dicimus creaturas *procedere* a Deo per creationem (=processio ad extra) et Filium *procedere a Patre* per generationem ac Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio per communem spirationem (=processio ad intra).

Quod si hoc negatur vel inter spatiales illusiones phantasiae amandetur, eo ipso negatur possibilitas omnis verae Metaphysicae et omnis verae Theologiae et in purum putumque agnosticismum incidimus. Sed pudet in re perquam evidente ulterius immorari.

§ II

QUA RATIONE SIMILITUDO ANALOGICA MEDIA ESSENTIALITER CONSISTAT INTER PERFECTAM SIMILITUDINEM UNIVOCORUM ET PERFECTAM AEQUIVOCORUM DISSIMILITUDINEM

187. Inde facile est videre quomodo similitudo pro-

---

[1] I-II, 7, 1c.
[2] *De Pot.*, 10, 1c.

portionalis et relativa, quae propria est analogiae, media essentialiter est inter perfectam et absolutam similitudinem univicationi propriam, et absolutam ac perfectam dissimilitudinem aequivocationi respondentem.

Presse loquendo «unum in substantia facit idem, unum in quantitate aequale, unum in qualitate facit simile» [1]; quia identitas est relatio rationis fundata super unitatem substantiae primae, aequalitas est relatio realis fundata super unitatem quantitatis, et similitudo est pariter relatio realis fundata super unitatem qualitatis. Et quia opposita fundantur in oppositis, relatio diversitatis, quae identitati opponitur, fundatur in pluralitate substantiae; relatio inaequalitatis, opposita aequalitati, fundatur in pluralitate quantitatis; relatio dissimilitudinis, similitudini opposita, fundatur in pluralitate qualitatis [2].

Quia tamen qualitas est *forma* quaedam accidentalis, ideo extenditur nomen similitudinis et dissimilitudinis ad omnem relationem realem fundatam super unitatem et pluralitatem seu diversitatem quamcumque cuiuscumque formae. Quo in sensu S. Thomas ait quod «similia dicuntur aliqua secundum quod conveniunt in *aliqua* forma» [3]; et iterum: «cum similitudo attendatur secundum convenientiam vel communicationem in forma, multiplex est similitudo secundum multos modos communicandi in forma», etiam multiplici [4].

Specialiter autem in casu praesenti similitudo et dissimilitudo nominant unitatem et diversitatem sive pluralitatem rationis significatae per nomen; quia significatio nominis est eius forma et qualitas [5]. Quo fit, ut eadem sit quaestio de modo quo ratio significata per nomen ana-

---

[1] *I Sent.*, d. 19, 1, 1c; *in IV Metaph.*, lect. 2, n. 561; *in V Metaph.*, lect. 11, n. 912.

[2] *In V Metaph.*, lect. 12, nn. 913-914; *in X Metaph.*, lect. 4, nn. 2.013-2.016.

[3] *In librum Dionysii de divinis Nominibus*, cap. 9, lect. 3, ed. Vives, t. 29, p. 54b.

[4] I, 4, 3c. Cf. etiam CAIETANUS, *in Praedicamenta Aristotelis*, cap. 6, De quali et qualitate, ed. cit., pp. 182-183.

[5] *I Sent.*, d. 22, 1 ad 3; *III Sent.*, d. 6, 1, 3c, n. 55.

logum sit media inter unitatem rationis significatae per nomen univocum et diversitatem rationum significatarum per nomen aequivocum, et de modo quo similitudo analogiae media est inter similitudinem univocorum et dissimilitudinem aequivocorum.

188. Ergo univoca, qua talia, sunt similia *similitudine perfecta et absoluta*; quia ratio sive forma vel essentia significata per nomen univocum, in qua conveniunt omnia in ipso univocata, est omnino una et eadem, et ideo aequaliter ac uniformiter illis omnibus convenit: qua de causa, univoca dicuntur *aequalia* in sua formali similitudine, scilicet in sua virtuali quantitate; transfertur enim nomen aequalitatis, quod primo quantitatis dimensivae est, ad exprimendam totalem ac perfectam similitudinem quantitatis virtualis, sicut et alia nomina ad quantitatem pertinentia, ut patet ex supra dictis[1]. Unde recte Caietanus scribit «quod aequalitas potest sumi dupliciter. *Uno modo, proprie,* ut distinguitur contra similitudinem, et nihil aliud est quam relatio unius quanti ad aliud quantum secundum negationem excessus hinc et inde; et sic sequitur quantitatem, ita quod ipsa sola dicitur aequalis vel inaequalis; et si quid aliud dicitur aequale aut inaequale, nonnisi secundum quod quantum est dicitur. Appellantur siquidem duo ligna aequalia quia quantitates eorum aequales sunt, et similiter duae actiones dicuntur aequales quia earum tempora sunt aequalia. Alio modo sumitur aequalitas *transumptive* seu *metaphorice,* ut idem est quod *perfecta similitudo,* et nihil est aliud quam relatio unius se habentis per modum quanti ad aliud se habens per modum quanti secundum negationem excessus hinc et inde: et sic aequalitas sequitur quantitatem similitudinarie dictam, quae vocatur quantitas virtutis; et sic aequalitas invenitur extra genus quantitatis. Albedo enim ut quatuor in Socrate et albedo ut tria in Platone similes quidem sunt; sed, quia non perfecte assimilantur, aequales non sunt: si autem intendatur et fiat

[1] *Supra,* t 1, § II, B. p. 216ss.; a. 2, A, § I, p. 344.

albedo ut quatuor, tunc iam perfecte similes sunt, et dicuntur non solum similes sed et aequales. Et similiter est in aliis. Unde quoniam aequalitas proprie sequitur quantitatem proprie dictam, et aequalitas transumptive sequitur quantitatem transumptive sumptam» [1]. Nimirum univocorum qua talium est pura et omnimoda similitudo in ratione significata per nomen absque ulla dissimilitudine in hac ipsa ratione.

189. In alio extremo sunt pure aequivoca, quorum in rationibus significatis per nomen commune nulla est similitudo, sed pura et omnimoda dissimilitudo sive diversitas. In aequivocis, ait S. Thomas, «*nulla rei convenientia* attenditur» [2], sed «*in nomine tantum*» [3]; «ubi *nulla* est *similitudo,* ibi non potest aliquid communiter praedicari nisi *aequivoce*» [4]; «ubi est *pura aequivocatio nulla similitudo in rebus* attenditur, sed est *solum* unitas *nominis*» [5]; «secundum aequivoca *non attenditur aliqua similitudo*» [6].

190. Analoga autem medio modo se habent inter univoca et pure aequivoca; quia ratio significata per nomen analogum, in qua omnia analogata conveniunt, nec est perfecte et totaliter similis quantum ad omnia ut in univocis, nec perfecte et totaliter dissimilis seu diversa sicut in pure aequivocis, sed partim est similis et partim dissimilis, quasi essentialiter mixta ex similitudine et dissimilitudine. Ita ergo similitudo analogiae recedit a perfecta similitudine univocationis et a perfecta dissimilitudine aequivocationis purae, ut tamen aliquid de utraque participet, simul habens imperfectam similitudinem et dissimilitudinem imperfectam: quo fit, ut eius similitudo minor sit quam similitudo univocorum, simulque

---

[1] CAIETANUS, *In Praedicamenta Aristotelis,* cap. 4. De quanto, ed. cit., p. 109.
[2] S. THOMAS, *De Verit.,* 2, 11c.
[3] *De Pot.,* 7, 7c.
[4] *De Pot.,* 7, 7, arg. 3 sed contra.
[5] *I Contra Gent.,* cap. 23, arg. 2.
[6] I, 13, 5 obi. 2.

dissimilitudo eius minor sit quam pure aequivocorum dissimilitudo.

191. *Recedit quidem a perfecta univocorum similitudine.* Ad cuius evidentiam recolendum est quod perfecta similitudo univocorum attendi potest ex tribus: primo quidem et per se, ex perfecta unitate vel identitate rationis directe significatae per nomen *secundum seipsam*; per se secundo, ex perfecta unitate vel uniformitate modi participandi rationem illam communem significatam per nomen; tandem non per se sed mere per accidens, ex perfecta unitate simulque uniformitate modi participandi accidentia mere individualia, quae pure contingenter de subiecto dicuntur. Ex primo tantum perfecte similes sunt omnes species eiusdem generis; ex primo et secundo simul sunt perfecte similia omnia individua eiusdem speciei atomae; ex tribus denique simul, *possunt* esse perfecte similia quaedam individua eiusdem speciei atomae, si unum vel alterum accidens mere individuale sumatur, non autem omnia simul: v. gr., duo homines possunt esse perfecte similes in aetate quia eodem temporis momento ambo nati sunt; simul autem in omnibus accidentibus individualibus non possunt esse duo homines totaliter similes, quia sicut impossibile est duos homines numero esse unum individuum ita impossibile est duos numero homines habere easdem omnino notas individuales, quae sunt accidentia individualia simul sumpta. Quo fit, ut similitudo perfecta ex tertio capite non sit nec possit esse de ratione similitudinis univocorum, eo ipso quod recedit a ratione universalitatis, licet possit quibusdam univocis accidentaliter convenire prout sunt in singularibus. Et ideo S. Thomas recte dixit «quod ad rationem *aequalitatis* unitas secundum numerum non requiritur, sed ad *identitatem* requiritur unitas secundum numerum»[1].

Proprie itaque et per se loquendo similitudo perfecta convenit omnibus speciebus sub uno genere contentis ut

in illo uno adunantur, et omnibus individuis eiusdem speciei atomae prout adunantur in illa una specie: máxime tamen in hoc secundo casu, sicut et univocatio maxime convenit speciei atomae [1]. Propter quod S. Thomas de similitudine speciei atomae loquens, frequenter inculcat huiusmodi perfectam et totalem similitudinem. «Perfecta autem similitudo esse non potest ubi non est eadem natura secundum speciem» [2]. Natura specifica, exempli gratia, humana, «habet *rationem uniformem ad omnia individua* quae sunt extra animam, *prout aequaliter est similitudo omnium* et ducens in omnium cognitionem in quantum sunt homines...; quia est *una similitudo omnium*» [3]; «in eadem specie non potest unum esse prius altero, proprie loquendo, ordine *naturae*, quia species praedicatur *aequaliter* de omnibus individuis» [4]; «unum et idem individuum non participat suam speciem quandoque magis, quandoque minus; nec etiam a diversis individuis participatur species substantiae secundum magis et minus» [5]. Quae quidem aequalitas non solum est in ipsa natura vel essentia, sed etiam in accidentibus *propriis* speciei; quia «ea quae consequuntur naturam *aequaliter* inveniuntur in omnibus habentibus naturam illam *aequaliter*», ut risibilitas in honinibus [6].

Ab hac autem perfectissima similitudine speciei atomae recedit aliquo modo similitudo generis; quatenus species sub eo contentae parificantur quidem secundum intentionem generis, non autem secundum esse, cum una species sit essentialiter prior et perfectior altera, iuxta illud S. Doctoris: «alicuius generis species se habent secundum prius et posterius, sicut numeri [=quantitas discreta] et figura [=quantitas continua, quae sunt species quantitatis dimensivae], quantum ad esse; licet si-

---

[1] *Supra*, cap. II, a. 2, A, § I, p. 303.
[2] *III Sent.*, d. 11, 1c, n. 15.
[3] *De ente et essentia*, cap. 4, ed. L. Baur, p. 34, 1-6, 13. Cf. *De natura generis*, cap. 5, ed. cit., t. I, 293, 296.
[4] *Quodlib.* 3, a. 6 ad obiecta.
[5] I, 93, 3 ad 3.
[6] *II Sent.*, d. 16, 3 ad 1.

mul esse dicantur in quantum (aequaliter) suscipiunt comunis generis praedicationem»[1]. Haec tamen dissimilitudo secundaria est, quia «qualitas vel quantitas [vel species] non dicitur per respectum ad esse, sed tantum dicunt [primo et per se] *quidditatem* alicuius generis»[2].

192. At similitudo analogiae recedit ab ea essentialiter, eo quod analoga ut sic non conveniunt in eodem genere sed sunt diversorum generum; et ideo non solum non parificantur secundum realitatem extramentalem sicut diversae species unius generis, verum etiam diversificantur in ipsa communi intentione sive ratione significata per nomen, sicut substantia et accidens in ipsa ratione entis. Qua de causa, similitudo analogiae comparata cum similitudine univocationis generis ac praesertim speciei atomae est essentialiter imperfecta et partialis et relativa. Et ideo S. Thomas semper animadvertit, quando exempla analogiae proponit, quod similitudo non est urgenda quantum ad omnia sicut in univocatione.

Ita, quando «homo dicitur *minor mundus* [= μικρόκοσμος], quia *sic* anima est in corpore sicut Deus in mundo», nota «quod *similitudo* attenditur *quantum ad aliquid*, quia scilicet *sicut* Deus movet mundum, *ita* anima movet corpus: *non autem quantum ad omnia*; non enim anima creavit corpus sicut Deus mundum. Propter quod totaliter subditur eius imperio»; corpus autem non totaliter subditur imperio animae[3]. Eodem modo de analogia celeberrima: *sicut* anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus, adnotat: «similitudo non attenditur quantum ad hoc quod ex anima et carne sit una hominis natura, sed quantum ad hoc quod utrobique constituitur una *persona*»[4].

Et universaliter docet «quod quamvis inter Deum et creaturam *non possit esse similitudo generis vel speciei*

---

[1] I, 77, 4 ad 1.
[2] *I Sent.*, d. 19, 1, 1c.
[3] I-II, 17, 8 ad 2.
[4] *De Unione Verbi incarnati*, 1 ad 1.

[hoc est, univocationis], *potest tamen esse similitudo quaedam analogiae*: sicut inter potentiam et actum, et substantiam et accidens» adest analogiae similitudo [1]. Quod amplius explicat postea, dicens: «similitudo creaturae ad Deum *deficit* a similitudine *univocorum in duobus. Primo*, quia non est per participationem unius formae, sicut duo calida secundum participationem unius caloris: hoc enim quod de Deo et creaturis dicitur, praedicatur de Deo per essentiam, de creatura vero per participationem; ut sic talis similitudo creaturae ad Deum intelligatur qualis est calidi ad calorem, non qualis est calidi ad calidius. *Secundo*, quia ipsa forma in creatura participata deficit a ratione eius quod Deus est, sicut calor ignis deficit a ratione virtutis solaris per quam calorem generat» [2].

Tandem multiplicem degradationem a perfectissima similitudine ad similitudinem analogiae describit eleganter hisce verbis: «defectus autem perfectae similitudinis potest tot modis accidere quot modis dissimilitudo invenitur. Uno enim modo est deficiens similitudo quando participatur forma secundum eandem rationem speciei, sed non secundum eundem perfectionis modum; sicut est similitudo deficiens eius qui habet parum de albedine ad illum qui habet multum [qui defectus solum contingere potest in participatione formae accidentalis sive qualitatis, a qua participantes non habent speciem vel essentiam; non autem in participatione formae substantialis, a qua speciem habent: sicut plures homines non possunt participare inaequaliter ipsam humanitatem, qua simpliciter sunt homines].

Alio modo, adhuc magis deficiens est, quando non pervenitur ad eandem rationem speciei, sed tantum ad eandem rationem generis: sicut est similitudo inter illum qui habet colorem citrinum et illum qui habet colorem album.

---

[1] *De Pot.*, 3, 4 ad 9.
[2] *De Pot.*, 7, 7 ad 2. Cf. *ibid.*, ad 6.

Alio mido, adhuc magis deficiens, quando ad rationem eandem generis [non] pertingit, sed solum secundum analogiam; sicut est similitudo albedinis ad hominem in eo quod utrumque est ens: et hoc modo est deficiens similitudo in creatura recepta respectu divinae essentiae»[1].

Et alibi: «cum similitudo attendatur secundum convenientiam vel communicationem in forma, multiplex est similitudo secundum multos modos communicandi in forma. Quaedam enim dicuntur similia quae communicant in eadem forma secundum eandem rationem et secundum eundem modum; et haec non solum dicuntur similia sed aequalia in sua similitudine, sicut duo aequaliter alba dicuntur similia in albedine: et haec est perfectissima similitudo.

Alio modo dicuntur similia quae communicant in forma secundum eandem rationem et non secundum eundem modum, sed secundum magis et minus: ut minus album dicitur simile magis albo: et haec est similitudo imperfecta.

Tertio modo dicuntur aliqua similia quae communicant in eadem forma sed non secundum eandem rationem, ut patet in agentibus non univocis. Cum enim omne agens agat sibi simile in quantum est agens, agit autem unumquodque secundum suam formam: necesse est quod in effectu sit similitudo formae agentis.

Si ergo agens sit contentum in eadem specie cum suo effectu [=agens univocum], erit similitudo inter faciens

---

[1] *IV Sent.*, d. 43, 2, 1c. In textu editionis Vives deest *non*, sicut etiam in editione leonina Supplementi III P., q. 92, a. 1, ubi hic textus reproducitur. Tamen adverbium negativum omnino postulatur ex contextu litterario ut patet intuenti, ac praesertim ex contextu doctrinali; quia homo (=substantia) et albedo (=accidens) non conveniunt in genere, cum substantia et accidens sint diversa genera: et solum conveniunt in ente, ut ait ipse Thomas; ens autem, secundum ipsum, non est genus proprie dictum, sed solum in sensu largiori et improprio quatenus est aliquid *commune* de omnibus generibus entis praedicatum. Ceterum, haec differentia ideoque dissimilitudo secundum genus expresse docetur a S. Thoma in textu parallelo sequenti. Cf. etiam in *I Sent.*, d. 8, 1, 2c.

et factum in forma secundum eandem rationem speciei: sicut homo generat hominem.

Si autem agens non sit contentum in eadem specie [=agens analogum] erit similitudo, sed non secundum eandem rationem speciei: sicut ea quae generantur ex virtute Solis accedunt quidem ad aliquam similitudinem Solis, non tamen ut recipiant formam Solis secundum similitudinem speciei, sed secundum similitudinem generis.

Si igitur sit aliquod agens quod *non in genere contineatur*, effectus eius adhuc magis remote accedent ad similitudinem formae agentis, ita quod non participent similitudinem formae agentis secundum eandem rationem speciei aut generis, sed *secundum aliqualem analogiam*: sicut ipsum *esse* est commune omnibus. Et hoc modo illa quae sunt a Deo assimilantur ei, *in quantum sunt entia*, ut primo et universali principio totius esse»[1]. Et ideo «non dicitur esse similitudo creaturae ad Deum propter communicationem in forma secundum eandem rationem generis vel speciei, sed *secundum analogiam tantum*, prout scilicet Deus est ens per essentiam et alia per participationem»[2]: siquidem «Deus non se habet ad creaturas sicut res diversorum generum [quae etiam assimilantur secundum analogiam] sed [adhuc magis remote] sicut id quod est extra omne genus et principium omnium generum»[3]. Substantia enim et accidens non solum assimilantur in eo quod sunt entia, sed etiam in eo quod sunt entia per participationem, quia utrumque est ens creatum seu participatum: Deus autem et creatura solum assimilantur in eo quod sunt entia, quorum tamen unum, scilicet creatura habet similitudinem vestigii vel imaginis ad Deum secundum naturam suam prout ratione caret vel ratione ditatur.

---

[1] I, 4, 3c. Cf. etiam I-II, 52, 3c.
[2] *Ibid.*, ad 3.
[3] *Ibid.*, ad 2.

Patet igitur quod similtudo analogorum recedit plurimum a perfectissima similitudine univicorum, praesertim convenientium in eadem specie atoma.

193. *At simul etiam recedit a perfecta dissimilitudine pure aequivocorum*; quia analoga non sunt dissimilia quantum ad omnia sicut pure aequivoca, sed solum quantum ad aliqua. Quam ob rem S. Doctor iterum scribit: «in aequivocis quae per fortunam sunt et casum, ut *canis* [terrestris, marinus et caelestis], non attenditur similitudo aliqua; sed in aequivocis quae dicuntur per respectum ad unum principium, [scilicet aequivocis a consilio sive analogis] *attenditur aliqua similitudo analogiae vel proportionis*: et talis est multiplicitas huius nominis *principium*. Unde etiam Philosophus, V Metaph., docet reducere omnia huiusmodi ad unum primum principium»[1]. Ac revera, similitudo aliqua invenitur cum dicimus quod punctum est *principium* lineae et linea *principium* superficiei, et superficies *principium* corporis, et instans *principium* temporis, et aurora *principium* diei, et fundamentum *principium* domus, et primum folium *principium* voluminis, et semen *principium* plantae vel animalis, et propositio per se nota *principium* scientiae, et causa *principium* effectus, et Deus *principium* creaturarum, et Pater *principium* Filii, et Pater et Filius *principium* Spiritus Sancti: nempe id unde aliquid *incipit* esse, vel fieri, vel cognosci; vel id a quo aliquid *procedit* quomodocumque[2].

194. Est ergo analogorum in quantum huiusmodi *aliqua* similitudo[3], *imperfecta* similitudo[4], *aliqua* convenientia[5], *quaedam* similitudo[6], similitudo *proportio-*

---

1 *I Sent.*, d. 21, 2, 1 ad 2.
2 Cf. *in V Metaph.*, lect. 1, nn. 761-762.
3 *I Sent.*, d. 3, 1, 2 ad 1 et 2.
4 *I Sent.*, d. 8, 1, 2c.
5 *De Verit.*, 2, 11 ad 6.
6 *De Pot.*, 3, 4 ad 9.

nis[1], similitudo *proportionalitatis*[2], idest similitudo proportionalis et relativa: non tamen similtudo absoluta et perfectae aequaltatis, ut est univocorum similitudo.

Quia tamen de ratione medii non solum est recedere ab extremis ut extrema sunt, verum etiam eisdem coniungi cumque ipsis affinitatem quandam habere, ea quodammodo simul participando, *dicendum est propriam similitudinem analogiae simul participare aliquid de similitudine univocorum et aliquid de pure aequivocorum dissimilitudine.* Hoc enim est quod positive importat ratio medii: Sed videndum superest *quomodo sit intelligenda talis participatio.*

195. *Atque in primis evidens est eam fieri per modum analogiae, non per modum aequivocationis purae neque univocationis*: nimirum similitudo, quam analogia participat a totali similitudine univocorum, non est in analogis per modum univocitatis *sed per modum analogiae*; et pariter dissimilitudo, quam participat a totali dissimilitudine aequivocorum, est in analogis per modum analogiae, non per modum aequivocationis purae. Quia, ut supra dictum est[3], omne quod participatur est in participante per modum participantis, non per modum participati, idest eius a quo participat.

Ideo S. Thomas, ne similitudo et dissimilitudo analogiae inter Deum et creaturam vel inter spiritualia et corporalia intelligatur per modum similitudinis univocorum et dissimilitudinis aequivocorum saepissime inculcat: «inter Deum et creaturam non est similitudo per convenientiam in aliquo uno communi, sed per imitationem»[4]. «Duplex est similitudo et distantia. Una secundum convenientiam in natura: et sic magis distat Deus ab intellectu creato quam intelligibile creatum a sensu. Alia secundum proportionalitatem: et sic est e converso, quia sen-

---

[1] I, 13, 14, 2 ad 2.
[2] *IV Sent.*, d. 1, 1, 1, qla. 5 ad 3; *IV Sent.*, d. 49, 2, 1 ad 7.
[3] *Supra*, hoc. art. 2, A, § I, pp. 290-292.
[4] *I Sent.*, d 35, 4 ad 6.

sus non est proportioatus ad cognoscendum aliquod immateriale, sed intellectus est proportionatus ad cognoscendum quodcumque immateriale. Et haec similitudo requiritur ad cognitionem, non autem prima: quia constat quod intellectus intelligens lapidem non est similis ei in naturali esse; sicut etiam visus apprehendit mel rubeum et fel rubeum: mellis enim *rubedo* magis convenit cum felle in quantum est *visibile* quam *dulcedo* mellis cum felle»[1].

Et similiter: «inter corporalia et spiritualia non attenditur similitudo per participationem eiusdem qualitatis, sed per proportionalitatem, quae est similitudo proportionatorum; ut *sicut* se habet aqua ad delendas maculas corporales, *ita* gratia ad abluendum spirituales»[2]. Nam «duplex est convenientia vel similitudo. Una quae est per participationem eiusdem qualitatis, sicut calida ad invicem conveniunt: et talis convenientia incorporalium ad loca corporalia esse non potest. Alia per quandam proportionalitatem, secundum quam in Scripturis metaphorae corporalium ad spiritualia transferuntur, ut quod dicitur Deus esse Sol quia est principium vitae spiritualis sicut Sol vitae corporalis: et secundum hanc convenientiam quaedam animae quibusdam locis magis conveniunt, sicut animae spiritualiter illuminatae cum corporibus luminosis, animae vero obtenebratae per culpam cum locis tenebrosis»[3].

Et inde est quod similitudines analogorum sunt simul et essentialiter dissimiles, ut eas profunde appellat Pseudo-Dionysius: ἀνομοίους ὁμοιότητας[4], observans quod eadem creata sunt Deo similia et dissimilia: similia quidem, secundum participationem possibilem eius qui plene participari nequit; dissimilia vero secundum incom-

---

[1] *IV Sent.*, d. 49, 2, 1 ad 7.
[2] *IV Sent.*, d. 1, 1, 1, qla. 5 ad 3.
[3] *IV Sent.*, d. 45, 1, 1, qla. 1 ad 2.
[4] Pseudo-Dionysius, *De caelesti hierarchia*, cap. 2, 4. MG. 3, 157C.

parabilem distantiam eorum a causa infinita et infinite perfecta: τὰ γὰρ αὐτὰ καὶ ὅμοια Θεῷ καὶ ἀνόμοια [1].

Quam elegantem doctrinam S. Thomas fecit suam. «Eadem enim possunt dici Deo et similia et dissimilia: similia quidem, secundum quod imitantur Deum qui non est perfecte imitabilis a creatura, sed secundum quod convenit ei, idest in quantum possibile est creaturae; dissimilia autem, secundum quod causata *minus* perfectionis habent quam causa. Ne tamen aliquis intelligeret per hoc quod dicit *minus* aliquam proportionem, sicut contingit in rebus quae sunt unius generis quorum unum est altero perfectius, subiungit quod creaturae deficiunt a Deo, *non secundum aliquam determinatam mensuram sed infinite et incomparabiliter*: et *pro tanto* dicuntur *dissimilia*» [2]. Nimirum dissimilia sunt «non solum secundum intensionem et remissionem sicut minus album deficit a magis albo; sed quia non est convenientia *nec secundum speciem nec secundum genus*..., sed *secundum analogiam tantum*, prout scilicet Deus est ens *per essentiam*, et alia *per participationem*» [3].

Quae alio in loco uberius explicans, *subiungit*: «*similia* dicuntur quae habent *eandem formam et characterem*.

Sed est *duplex* similitudo. *Una* quae facit *similes perfecte*, quando scilicet duo *participant eandem formam unius rationis* [=univocorum similtudo].

Quaedam vero est *similitudo dissimilium* [=analogorum similitudo] quando videlicet forma invenitur in aliquo *vere* [et plene], et in aliquo per *remotam participationem*; et sic istud est simile illi, non quia habeat eandem formam, sed quia accedit ad hoc secundum *debilem participationem*. Et sic quae de Deo et de homine dicuntur similia, de homine dicuntur *per remota*, quasi dicat: Deus est, et tu [*es*]; sed *tuum* esse est *participatum*,

---

1 *De divinis nominibus*, cap 9, 7, MG. 3, 916A.
2 S. THOMAS, *In librum Dionysii de divinis nominibus*, lect. 3, in fine, ed. cit., p. 545.
3 I, 4, 3 ad 1 et 3.

suum vero *essentiale*. Et similiter de aliis. Et ideo haec *similitudo* est *dissimilium*»[1]. Eodem modo, «omnis *fortitudo* hominis Deo comparata *debilitas est*: unde quanto quis plus habet de cognitione Dei, tanto minus esse suam virtutem intelligit»; quia fortitudo Dei est infinita, dum humana est finita, et ideo «omne quantumcumque firmum est, Deo *incomparabile* est»[2].

196. *Deinde etiam manifestum huiusmodi participationem similitudinis et dissimilitudinis non stare in indivisibili; sed quandoque plus habere similitudinis quam dissimilitudinis, quandoque vero ex adverso plus dissimilitudinis quam similitudinis*: est enim de ratione medii plus accedere quandoque ad unum extremum, quandoque ad aliud oppositum.

Equidem, ut patet ex supra dictis[3], duplex est analogia: alia large et improprie dicta, quae est analogia inaequalitatis sive secundum esse tantum et non secundum intentionem; alia proprie et stricte sumpta, nempe attributionis et proportionalitatis, quae est secundum intentionem tantum et non secundum esse (=analogia attributionis ut sic), vel secundum intentionem et secundum esse simul (=analogia proportionis sive proportionalitatis).

197. Si ergo loquamur de analogia *inaequalitatis*, dicendum est eam plus participare similitudinem univocorum perfectissimorum quam dissimilitudinem pure aequivocorum; quia revera haec analogia est univocatio logica, licet sit analogia physica vel metaphysica. Haec enim analogia convenit speciebus sub eodem genere contentis, quae aequaliter participant intentionem communem generis, licet non secundum eundem modum, quia una est essentialiter perfectior altera: sicut homo est

---

1 *In Psalmum* 34, 7, n. 7, ed. Vives, t. 18, p. 429a.
2 *Ibid.*, paulo antea. Cf. etiam *De Verit.*, 2, 11 ad 1.
3 *Supra*, hoc art. 2, A, § I, p. 303.

essentialiter perfectior quam equus, licet uterque parificetur in communi ratione animalis, cum ambobus conveniat eadem definitio in quantum animalia sunt, scilicet substantia animata sensitiva: et sicut angelus est essentialiter perfectior homine, quamvis uterque sit substantia intellectualis, in cuis communi intentione conveniunt [1]. Unde S. Thomas: «diversitas secundum speciem semper habet *diversitatem naturalem concomitantem*, sicut in speciebus colorum unus est perfectior altero et similiter in aliis. Et hoc ideo, quia differentiae dividentes genus sunt contrariae. Contraria autem se habent secundum *perfectum* et *imperfectum*, quia principium contrarietatis est privatio et habitus» [2]. Quae quidem *naturalis* vel *physica diversitas* specierum vocatur ab ipso «*inaequalitas* naturalis» [3]. Quia tamen haec inaequalitas vel dissimilitudo est *concomitans* tantum, idest secundum *modum tantum* communicandi eandem rationem genericam, ideo analogiam habent diminutam: unde non simpliciter dicuntur analoga, sed *quasi* analoga [4].

198. Si vero sermo fiat de analogia *proprie et stricte dicta*, quae recedit a perfecta similitudine univocorum non solum in modo participandi, sed etiam in ipsa ratione communi participata, *dicendum est eam plus par-*

---

[1] «Natura autem intellectualis non aequaliter invenitur in angelis et in hominibus, sed in angelis multo nobilius» (*II Sent.*, d. 16, 2, 3 ad 1). Cf. etiam *in II Sent.*, d. 3, 1, 6c et ad 1; *De Anima*, 8 ad 17; *De natura generis*, cap. 6, ed. cit., t. I, pp. 294-295; cap. 14, p. 312; cap. 15, p. 316.

[2] I, 75, 7c.

[3] *Ibid.*, paulo infra.

[4] «Substantiae immateriales creatae sunt quidem in genere: et quamvis *logice* considerando conveniant cum istis sensibilibus *in genere remoto* quod est *substantiae*, *naturaliter* tamen loquendo *non conveniunt in eodem genere*» (*In librum Boetii de Trinitate*, 6, 3c). Et ibidem, paulo antea: «cum non sint unius generis *naturaliter* loquendo, et quidditas et omnia huiusmodi nomina fere aequivoce dicuntur de sensibilibus et de illis substantiis». «Cum quidditas de utrisque dicatur quasi *aequivoce*» (*Iibid.*, 6, 4 in fine). Patet autem ex modo loquendi S. Thomae et ex contextu ipsum sumere aequivoce pro analogice. Cf. etiam *in librum de causis*, lect. 7, ed. Vives, t. 26, p. 532.

ticipare dissimilitudinem aequivocorum quam similitudinem univocorum; quia tunc dissimilitudo afficit ipsam communem rationem sive definitionem significatam per nomen. Unde analoga eodem nomine adunata non habent eandem definitionem, sed diversam: ut substantia et accidens in quantum entia, et similiter Deus et creatura ut entia sunt. Qua de re S. Albertus Magnus egregie scribit: «in omni analogo *rationes* speciales *diversae* sunt. Ens enim communiter dictum de substantia, quantitate et qualitate, speciales habet *rationes*: dicitur enim substantia ens *vere et per se* ens; de quantitate ens, quia *mensura* entis; de qualitate dicitur ens, quia *dispositio* entis; et sic de aliis» [1]. Et alio in loco: «cum iustitia Dei pro certo in genere non sit et similiter essentia et substantia, iustitia autem hominis, essentia et substantia in genere est, eo quod omnis forma praedicabilis de aliquo creato in genere est; et id quod est in genere cum eo quod est extra genus nullo modo potest intelligi esse univocum, eo quod repugnantia intellectuum esset circa idem: ideo videtur dicendum quod nec univoce nec penitus aequivoce dicitur idem de creatura et Creatore, sed secundum communitatem analogiae, hoc est, secundum proportionem habitudinis ad unum commune secundum rationem. Sic enim Deus dicitur essentia qua ipse est, et homo essentia qua est, et esse Deo et creaturae commune est: et sic dicitur Deus substantia qua in se subsistit, alio non indigens creaturae modo; et creatura dicitur substantia qua in se subsistit, alio indigens creaturae modo; et sic dicitur Deus iustus iustitia qua retribuit, et quae est ipse suo modo; et homo dicitur iustus iustitia quae reddit unicuique quod suum est, et quae ipse non est suo modo» [2].

---

[1] S. ALBERTUS MAGNUS, *Summa theologica*, I P., tract. 6, q. 27, memb. 5c., ed. cit., t. 31, p. 285a. Cf. etiam *ibid.*, tract. 14, q. 59, memb. 4, ad 1-3 secundae quaestionis, p. 596b.

[2] *Op. cit.*, tract. 14, q. 59, memb. 4, ad q. 2, p. 596a.

199. Neque tamen haec similitudo dissimilis aequalis est in diversis analogiae modis. Maior enim est similitudo in analogis analogia attributionis quam in analogis analogia proportionis sive proportionalitatis, quae ideo magis remota sunt a perfectissima univocorum similitudine; nam in illis est dissimilis similitudo plurium habitudinum diversorum analogorum ad unum primum; in his autem est dissimilis similitudo plurium habitudinum diversorum analogorum ad diversa sibi invicem proportionata.

Quod quidem ita eleganter explicat S. Thomas: «proprietates divinae ostenduntur in creaturis dupliciter: vel secundum similitudinem *analogiae,* sicut vita, sapientia et huiusmodi, quae *analogice Deo* et creaturis conveniunt, et sic divinae proprietates *praecipue* ostenduntur *in rationali natura*[1]; vel secundum similitudinem *proportionalitatis,* secundum quod spirituales proprietates *corporalibus* metaphorice designantur, et hoc modo in *igne* ostenduntur proprietates divinae, ut in I libro dictum est. Sed haec similitudo non facit rationem imaginis. Unde Dionysius vocat eam in II cap. *Caelestis hierarchiae dissimilem similitudinem*»[2].

---

[1] S. THOMAS, «Similitudo divinae bonitatis, quantum ad nobilissimas participationes ipsius, non resultat in universo nisi ratione nobilissimarum partium eius quae sunt intellectuales naturae» (*II Sent.,* d. 16, 2 ad 3), utpote *imagines* Dei (*ibid.,* c. et ad 1, 2 et 4).

[2] *II Sent.,* d. 16, 2 ad 5. Utitur autem S. Doctor modo loquendi Pseudo-Dionysii, qui contradistinguit meram *similitudinem* ab *analogia* per quam intelligit proportionales participationes creaturarum a primo fonte Deo iuxta propriam uniuscuiusque capacitatem. Videsis V. LOSSKY, *La notion des "Analogies" chez Denys le Pseudo-Aréopagite,* apud «Archives d'histoire doctrinale et littéraire du moyen-age», 5 (1931), pp. 279-309. Qui etiam loquendi mos non raro invenitur etiam apud Aristotelem distinguentem ὁμωνυμιαν in eam quae fit κατ'ἀναλονίαν et in eam quae fit καθ'ὁμοιότητα (*VIII Physic.,* cap. 4, n. 11 [II, 340, 20-21]; *VIII Metaphysic.,* cap. 1, n. 39 [II, 563, 15-20].

Hanc vero analogiam dionysianam perspicue proponit S. ALBERTUS MAGNUS, scribens: «sicut dicit Dionysius, per illas [processiones a prima causa fluentes] ut per lumina quaedam et radios expandit et diffundit se super omnem naturae vultum, et immittit se simpliciter exsistentibus *secundum analogiam suae exsistentiae:* viventibus autem vitaliter, secundum *analogiam* qua participant vitam, sentientibus autem

Et alibi: «*duplex* est *similitudo* creaturae ad Creatorem. Una secundum *participationem* divinae bonitatis, sicut ab eo vivente omnia vitam participant; et sic creatura rationalis, in qua invenitur esse, vivere et intelligere, maxime Deo assimilatur: et haec similitudo requiritur ad assumptibilitatem. *Alia* similitudo est secundum *proportionalitatem*; ut si dicatur similitudo inter Deum et ignem, quia *sicut* ignis consumit corpus ita Deus consumit nequitiam. Et haec similitudo requiritur in figurativis locutionibus et appropriationibus, quam Dionysius in II cap. *Caelestis hierarchiae* vocat *dissimilem similitudinem*» [1].

Quod autem minor sit dissimilis similitudo in prima similitudine quam in secunda, patet non solum ex graduatione earum quae exhibet ipse textus, verum etiam quia, ut explicat idem S. Thomas, similitudo requisita ad assumptibilitatem naturae creatae a Verbo in unitatem personae, est similitudo *imaginis*, et non sufficit similitudo vestigii [2]. Porro, secundum ipsum S. Doctorem, maior est similitudo *imaginis*, quae est per conformitatem ad Deum, quam similitudo per analogiam *proportionalitatis*, etiam propriae, ideoque minor dissimilitudo similitudinis. Ait enim: «in cognitione, qua mens nostra cognoscit seipsam, est repraesentatio Trinitatis increatae

---

sensibiliter, et irrationalibilibus irrationabiliter et intellectualibus intellectualiter, secundum habitudinem qua se habent ad vitam, sensum, rationem et intellectum. Unde Deus, quando secundum aliquid nominatur, non potest uno nomine nominari sed multis, quia multis innotescit et non uno: quae cum omnia prehabet in seipso ut causa, et quae omnia est secundum quod in ipso sunt; et sic nominatur *mystice*, secundum Dionysium» (*Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 4, ad q. 1c., t. 31, p. 594): *symbolice* autem nominatur ex metaphoricis proportionalitatibus, ut ibidem adnotat. Quibus consentit S. Thomas, ut videre est in Commentario eius *super librum Dionysii de divinis nominibus*, prologo (ed. cit., t. 29, p. 394).

1 *III Sent.*, d. 2, 1, 1, qla. 1 ad 3, n. 24.

2 «Ad congruitatem assumptibilitatis requiritur similitudo *imaginis*, quia per hanc creatura rationalis *particeps* est divinae beatitudinis. Unde ad hanc congruitatem non sufficit similitudo *vestigii*, qualis in creaturis irrationalibus invenitur» et ex quibus sumi potest similitudo proportionalitatis metaphoricae (*Ibid* ad 2, n. 23).

secundum *analogiam* [proportionalitatis propriae] in quantum hoc modo mens cognoscens seipsam verbum sui gignit et ex utroque procedit amor *sicut* Pater seipsum dicens Verbum suum genuit ab aeterno et ex utroque procedit Spiritus Sanctus. Sed in cognitione ipsa, qua mens *ipsum Deum* cognoscit, mens ipsa Deo *conformatur,* sicut omne cognoscens in quantum huiusmodi assimilatur cognito. Maior autem est *similitudo* quae est per *conformitatem,* ut visus ad colorem, quam quae est per analogiam [proportionalitatis propriae], ut visus ad intellectum, *qui similiter ad sua obiecta comparantur* [nempe ita se habet visus ad visibile sicut intellectus ad intelligibile]. Unde *expressior similitudo* Trinitatis est in mente secundum quod cognoscit Deum quam secundum quod cognoscit seipsam; et ideo *proprie imago* Trinitatis in mente est secundum quod cognoscit *Deum primo et principaliter,* sed *quodam modo secundario* secundum quod cognoscit *seipsam,* et *praecipue prout seipsam considerat ut est imago Dei* ut sic eius consideratio non sistat in se sed procedat usque ad Deum. In consideratione vero rerum *temporalium* non invenitur imago, sed similitudo quaedam Trinitatis, quae magis potest ad *vestigium* pertinere, sicut et similitudo quam Augustinus [XI de Trinitate, cap. 6] assignat in potentiis *sensitivis*»[1].

200. Qua de causa, dum analogias Trinitatis expendit, ita exhibet similitudines ut instanter inculcet simul earum dissimilitudines. Enuntiata enim processione divinarum Personarum in Trinitate, addit: «cuius exemplum [=analogiam] *aliqualiter* in creaturis inveniri potest, licet *imperfectum*». Ac statim proponit analogiam duplicem: aliam processionis corporalis, aliam processionis spiritualis.

Corporalem quidem seu metaphoricam: «videmus enim quod a Sole radius procedit, et statim quando fuit

[1] *De Verit.,* 10, 7c.

Sol radius procedit ab eo nec unquam desinet radius procedere quandiu Sol erit. *Sic* autem Filius procedit a Patre *ut* radius a Sole; unde dicit Apostolus ad Heb. 1, 3: cum sit *splendor* gloriae eius. Spiritus autem Sanctus ab utroque procedit *sicut* calor a Sole et radio; unde dicitur in Psalmo 18, 7: nec est qui se abscondat a *calore* eius.

Sed hoc exemplum *deficit* quantum ad hoc quod Sol non semper fuit, et ideo nec radius eius semper ab eo processit: quia vero Deus Pater semper fuit, semper ab eo processit Filius et ab utroque Spiritus Sanctus».

Spiritualem autem sive *propriam*: «potest et aliud exemplum poni in anima humana, in qua verbum interius conceptum a memoria procedit, et ab utroque procedit amor; et *ita etiam* a Patre procedit Filius sicut Verbum eius, et Spiritus Sanctus sicut amor communis utriusque.

Sed hoc exemplum *deficit* in duobus. Primo quidem, quia intellectus humanus non semper fuit; secundo, quia non semper verbum in corde suo actualiter concipit: sed intellectus divinus semper fuit et semper absque intermissione intelligit; unde semper in eo oritur Verbum quod est Filius, et procedit Amor qui est Spiritus Sanctus» [1].

201. Quem *defectum* similitudinis perfectae amplius evolvit, tum in Commentario suo *super Evangelium Joannis* [2], tum praesertim data opera in genuino opusculo *De natura verbi intellectus* et *De differentia Verbi divini et humani* [3].

Et licet verba Dionysii celeberrima, ἀνομοίους ὁμοιότητας, dicta sint de analogia proportionalitatis metapho-

---

[1] *Expositio in I Decretalem*, ed. Vives, t. 27, pp. 428-429. Cf. etiam *in Evangelium secundum Ioannem*, cap. 1, lect. 1, ed. Marietti, p. 14a.
[2] *In Evangelium secundum Joannem*, cap. 1, lect. 1, ed. Marieetl, pp. 10-11.
[3] *Opuscula selecta*, ed. cit., t. I, pp. 492-501.

ricae, et in hoc sensu S. Thomas frequenter adducat illa, ut patet ex textibus paulo supra relatis, ea tamen extendit etiam ad analogiam proportionalitatis propriae et attributionis. Ita enim scribit: «*quaedam invisibilia* sunt quorum quidditas et natura perfecte exprimitur ex quidditatibus rerum sensibilium notis; et de talibus intelligibilibus possumus scire quid est, sed mediate: sicut ex hoc quod scitur quid est homo et quid est animal, sufficienter innotescit habitudo unius ad alterum; et ex hoc scitur quid est genus et quid es species. Naturae autem *sensibiles intellectae* non sufficienter exprimunt divinam essentiam; neque etiam aliquas essentias separatas [=angelos], cum non sint unius generis *naturaliter* loquendo et quidditas et omnia huiusmodi nomina *fere aequivoce* dicuntur de sensibilibus et de illis substantiis. Unde *similitudines* rerum sensibilium ad substantias immateriales translatas, vocat Dionysius, II cap. *Caelestis hierarchiae, dissimiles similationes, alio modo* intellectualibus habentibus quae *aliquo modo* sensibilibus distributa sunt; et sic per viam *similitudinis non sufficienter* illae substantiae ex his innotescunt» [1].

Et alio in loco: «ex rebus materialibus ascendere possumus in aliqualem cognitionem immaterialium rerum, *non* tamen in *perfectam*; quia *non est sufficiens comparatio* rerum materialium ad immateriales, sed *similitudines*, si quae a materialibus accipiuntur ad immaterialia intelligenda, *sunt multum dissimiles*, ut Dionysius dicit, *De Caelesti hierarchia*, cap. 2» [2].

Quibus consonant haec alia verba: «*similitudo* creaturae ad Deum non et per univocationem sed solum per analogiam. Sed cognitio quae fit per similitudinem analogiae est *imperfectissima*: sicut si aliquid cognosceretur per alterum *in quantum convenit cum illo in ente*» [3]. Nimirum *similitudo* medii *ex quo* aliquid cognoscitur cum

---

[1] *In librum Boetii de Trinitate*, 6, 3c.
[2] I, 88, 2 ad 1.
[3] *De Anima*, 20, obi. 9, quam concedit quantum ad hanc partem

eo quod cognoscitur et ipsa cognitio inde sequuta *proportionales* sunt, ita ut perfectae similitudini respondeat perfecta cognitio et imperfectae imperfecta. Dicere ergo quod cognitio Dei ex creaturis per analogiam proportionalitatis propriae, quatenus Deus et creaturae conveniunt *in ente*, est *imperfectissima*, est aequivalenter asserere *similitudinem* huiusce analogiae esse et ipsam *imperfectissimam*, idest *multum dissimilem.*

202. Praesertim vero hanc extensionem verborum Dionysii perspicue tradidit S. Albertus Magnus. *Una enim ex parte* docet quod «sicut dicit Dionysius, per *dissimiles similitudines* fit translatio symbolicorum, hoc est, per *dissimilium similitudines*; et hoc non potest esse nisi quando res comparatae dissimiles sunt et proprietates earum dissimiles. Est tamen *similitudo proportionis* ex hoc quod res una sub proprietate sua proportionatur ad aliquid et ad idem specie vel genere proportionatur res alia sub alia proprietate secundum eandem analogiam»; sicut «lapis dicitur *solidus*, et veritas *solida*, et Deus *solidus* et immobilis», quia omnia haec conveniunt in firmitate, unumquodque suo modo: «sicut ad firmitatem lapis habet se *duritia*; veritas autem non duritia habet se, sed veri *ratione* [*inconcussa*]; Deus autem aeternitate et *immutabilitate*»[1]. Et ideo nihil «prohibet quin dissimilium secundum dissimiles proprietates similis proportionalitatis fit translatio»[2]. Neque hoc est inconveniens vel impossibile, quia «dicuntur dissimiles similitudines ab uno et ab alio: dissimiles enim sunt, quia dissimilium et in dissimilibus proprietatibus; similitudines autem dicuntur a simili habitudine et proportione dissimilium ad unum»[3].

203. Quem translatonis modum, in verbis citatis adumbratum tantum, illustrat alibi et in propatulo ponit,

---

[1] S. Albertus Magnus, *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 1c et obi. 3, ed. cit., t. 31, pp. 587-588.
[2] *Ibid.*, ad 2, p. 588b.
[3] *Ibid.*, ad 4, p. 588b.

scribens: «quamvis huiusmodi symbola occultant veritatem in quantum sunt sensibilia quaedam, tamen, in quantum sunt *relata* ad spiritualia, *manifestant* eam. *Referuntur* autem symbola sensibilium in spiritualia per similitudinis inspectionem, ut dictum est; non quae sit secundum participationem eiusdem qualitatis, quia omnino differentes sunt qualitates corporalium et spiritualium; neque secundum proportionem ad illa quae improprotionabilia sunt; nec est eis quantitas eiusdem rationis; sed per similitudinem proportionalitatis, in qua oportet quatuor facere, scilicet:

a) accipere proprietatem rei sensibilis; et b) comparare eam ad suum actum; c) [accipere proprietatem rei spiritualis]; et d) similem comparationem invenire proprietatis rei spiritualis ad suum actum.

Sicut a) proprietas leonis est animositas; b) per quam vincit omnia animalia resistentia: c) similiter Deus sua virtute d) superbos et sibi resistentes deiicit.

Non est igitur neque virtus neque actus victoriae eiusdem rationis in Deo et leone, sed *tantum comparatio*: quia *sicut* se habet virtus leonis ad *suam* victoriam, *ita* virtus divina ad *suam*. Et haec est *similitudo proportionalitatis*, quae semper est ad minus inter quatuor, vel re, vel ratione quando uno utitur ut duobus; sicut si dicatur: sicut se habent quatuor ad duo, ita sex ad tria; vel sicut sex ad quatuor, ita decem ad sex» [1].

Ex alia vero docet: «quod increatum est, *dupliciter* considerari potest, *in se* scilicet sive *secundum se*, et *in habitudine* qua creatum se habet ad increatum. *In se* non cognoscitur nisi infinite... In habitudine autem qua creatum se habet ad ipsum, cognoscitur ut causa vel efficiens, vel formalis idealis [=exemplaris], vel finalis. *Efficiens*, ut producens essentiam effectus et finiens eam. *Formalis idealis*, ut exemplariter determinans et finiens esse effectus. *Finalis*, ut effectum in substantia et esse perfectum convertens ad se participandum. Dicit enim Philosophus

---

[1] *In Epistulam IX Dionysii*, § 1, Dubium, ad 4, ed. cit., t. 14, p. 989b.

quod omnia appetunt esse divinum et propter illud agunt quidquid agunt. Et sic est, et *ante* rem, et *cum* re, et *post* rem.

Et hoc modo *aliquam convenientiam*, non generis, vel speciei, vel differentiae, vel proprii, vel accidentis, [idest univocam], sed *analogiae sive proportionis habet ad creatum*, ut Dionysius dicit, *per relationem similitudinum ad dissimiles proprietates*: ut, *sicut* increatum se habet ad effectum vel ad opus proprietate increati secundum facere, *sic* creatum ad idem opus se habet secundum proprietatem creati et secundum fieri. Et hoc modo creatum, medium est quoad nos ad increatum cognoscendum»[1]. Nam «talis habitudo analogiae, qualis dicta est, sufficit ad ratiocinationem argumentationis qua syllogizatur causa eminens per effectum suum non convertibilem cum ipsa»[2]; et ideo possunt esse multa media et plures analogiae, quia «in declaratione causae per effectum non convertibilem nihil prohibet multa esse media»[3]. Immo et talis pluralitas est nobis in statu viae necessaria: «*oportet* enim ex *multis similitudinibus* sensibilium in divinam cognitionem pervenire, quia una non sufficit»[4]. Unde Deus quando secundum aliquid nominatur, non potest uno nomine nominari sed *multis, quia multis innotescit et non uno*»[5]: «nec tantum mysticis sed etiam symbolicis affirmativis, quando corporalium proprietates ad *dissimiles similitudines* referuntur»[6].

Et tamen haec diversitas sive dissimilitudo similitudinum quodammodo reducitur ad unum sive ad simile; nam «similitudo, quaedam unitas est»[7]. Et hoc pacto «est

---

1 *Summa theol.*, I P., tract. 3, q. 15, memb. 1, ad quaestionem, ed. cit., t. 31, p. 81a.

2 *Ibid.*, ad 2, p. 81a.

3 *Ibid.*, ad 3, p. 81a.

4 S. THOMAS, *in Evangelium secundum Ioannem*, cap. 1, lect. 1, ed. cit., p. 14a. Cf. etiam *IV Contra Gent.*, cap. 1.

5 S. ALBERTUS MAGNUS, *Summa theologica*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 4, q. 1c, p. 594b.

6 *Ibid.*, paulo infra, in fine corporis.

7 S. THOMAS, I, 93, 9c.

unitas proportionis diversorum ad *unum* [in analogia attributionis], vel ad *diversa similia* quae, in *quantum similia*, sunt *unum*: sicut habitudo rectoris civitatis *una* dicitur cum habitudine rectoris navis»[1]; quia «scilicet *una similitudine habitudinis* rector civitatis se habet ad civitatem et rector navis ad navem»; et ob id appellatur unitas proportionalis sive analogica[2].

204. Sed nec ista maior dissimilitudo quam similitudo rationis communis significatae per nomen analogum analogia proportionalitatis stat in indivisibili, quia *multo maior est dissimilitudo similitudinis in analogia proportionalitatis metaphoricae quam in analogia proportionalitatis propriae.*

Cuius ratio est, quia similitudo proportionalitatis *propriae* sumitur secundum *intrinseca et essentialia* rerum hoc modo proportionatarum; nam intrinsecae et essentiales sunt habitudo sensus ad sensibile et habitudo intellectus ad intelligibile, eo quod utrobique est habitudo propriae potentiae ad proprium obiectum, quae intrat in *definitionem* propriae potentiae. Quando ergo dico: ita se habet intellectus ad intelligibile *sicut* sensus ad sensibile, similitudo analoga huiusce proportionis est per se et essentialis, et similiter quando dico: *ita* se habet accidens ad suum esse sicut substantia ad suum, quia utrobique est habitudo propriae essentiae ad proprium esse, sicut propriae potentiae ad proprium actum, quae utique essentialis et per se est. Unde et substantia definitur: res, cuius quidditati debetur esse non in alio; accidens vero: res, cuius quidditati *debetur esse* in alio[3]. Magna quidem dissimilitudo est esse in alio et non esse in alio: at haec non officit quominus utrique *debeatur esse suum*, in quo debito assimilantur.

---

1 S. ALBERTUS MAGNUS, *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 24, memb. 1, c. 31, p. 197a.

2 *Ibid.*, pp. 196a et 197b in fine 198a.

3 S. THOMAS, III, 77, 1 ad 2.

205. Ex adverso, similitudo proportionalitatis *metaphoricae* sumitur secundum *extrinseca et secundaria* in uno extremo proportionis, non secundum essentialia vel propria nisi ex una parte tantum. Nam semper oportet ut ratio similitudinis in extremo principali ex quo sumitur metaphora sumatur secundum *propria*, licet in alio extremo sumatur secundum accidentalia vel appropriata, iuxta illud S. Thomae: «in his... quae translative dicuntur non accipitur metaphora secundum quamcumque similitudinem, sed secundum convenientiam in illo quod est de propria ratione rei cuius nomen transfertur; sicut nomen leonis in Deo non transfertur propter convenientiam quae est in sensibilitate, sed propter convenientiam in *aliqua* proprietate leonis», puta in *fortitudine*[1], *non tamen in omnibus proprietatibus*: «alias oporteret quod Deus, qui dicitur leo metaphorice, haberet ungulas et pilos» et dentes sicut leo[2]: vel «sicut aliquis metaphorice potest dici Achilles in quantum habet *aliquid de proprietatibus* Achillis, scilicet *fortitudinem*»[3].

Sed hanc differentiam similitudinis vel convenientiae inter utramque analogiam proportionalitatis *directe* ac perspicue expressit S. Doctor alio in loco, dum scribit: «hoc [scilicet secundum proportionalitatem assimilari sive convenire] dupliciter contingit. *Quandoque* enim illud nomen importat aliquid *principali* significatione in quo non potest attendi convenientia inter Deum et creaturam, etiam modo praedicto, sicut est in omnibus quae symbolice [=metaphorice] de Deo dicuntur, ut cum dicitur *leo* vel *sol* vel huiusmodi; quia in horum definitione cadit *materia*, quae Deo attribui non potest. *Quandoque* vero nomen quod de Deo et creatura dicitur nihil importat *principali* significato secundum quod non possit attendi praedictus convenientiae modus inter Deum et creaturam, sicut sunt omnia in quorum definitione non clau-

---

1 *De Verit.*, 7, 4c.
2 *Ibid.*, ad 5.
3 I, 13, 9c.

ditur defectus nec dependent a materia secundum esse, ut *ens*, *bonum* et alia huiusmodi» [1].

Nomen ergo analogum analogia proportionalitatis propriae dicitur de utroque extremo proportionis secundum rationem propriam et principalem significatam per nomen, licet utrobique *suo* modo; e contra, nomen analogum analogia proportionalitatis metaphoricae dicitur de uno extremo proportionis tantum secundum significationem propriam et principalem et plenam, de alio autem secundum significationem translatam et diminutam ob aliquam similitudinem cum ratione principaliter significata alterius extremi, docente S. Thomas: «per similitudinem [=metaphorice] communicabile est quod est communicabile secundum *aliquid* eorum quae includuntur in nominis significatione» propria et principali [2].

Denique notare iuvat similitudinem et dissimilitudinem tam analogiae proportionalitatis propriae quam metaphoricae multos suscipere gradus in suo quoque genere vel modo. Sunt enim analogiae metaphoricae plus minusve distantes vel propinquae seu aptatae, etiam respectu unius eiusdemque rei ad quam significandam transferuntur [3]: et similiter analogiae propriae, sicut aptiora sunt ad divina proportionaliter significanda nomina transcendentalia, ut ens, verum, bonum et pulchrum, quam nomina praedicamentalia, ut sapientia, scientia, prudentia, iustitia et alia huiusmodi. Propter quod S. Thomas nervose dicit quod nomen *Qui est* est maxime proprium Dei, magis etiam quam ipsum nomen *Deus*: «hoc nomen *Qui-est*, est magis proprium Dei quam hoc nomen *Deus*, quantum ad id a quo imponitur, scilicet ab *esse*, et quantum ad modum significandi et consignificandi» [4].

206. Semper tamen et ubique et in omnibus analogiis proprie dictis potior est dissimilitudo quam simili-

---

1 *De Verit.*, 2, 11c.
2 I, 13, 9c.
3 Cf. *supra*, § I, p. 323.
4 I, 13, 11 ad 1.

tudo. Unde S. Thomas iterum: «creaturae autem, quamvis *aliquam* Dei *similitudinem* gerant *in seipsis*, tamen *magna dissimilitudo subest*»[1]; «quia non potest esse tanta similitudo inter Creatorem et creaturam quin *maior* inveniatur ibi *dissimilitudo*, propter hoc quod creatura in infinitum distat a Deo»[2], Quod ceteroquin ipsa docet Ecclesia: «cum vero Veritas pro fidelibus suis orat ad Patrem, Volo, inquiens, ut ipsi sint *unum sicut* et nos *unum* sumus (Joan., 17, 22); hoc nomen *unum* pro fidelibus quidem accipitur ut intelligatur unio caritatis in gratia, pro personis vero divinis ut attendatur identitatis unitas in *natura*: quemadmodum alibi Veritas aït: estote... *perfecti, sicut* et Pater vester caelestis perfectus est, ac si diceret manifestius: estote perfecti perfectione *gratiae, sicut* Pater vester caelestis perfectus est perfectione *naturae, utraque videlicet suo modo*; quia inter Creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari quin inter eos *maior* sit *dissimilitudo notanda*»[3].

207. Quae cum ita sint, ex omnibus hucusque dictis apparet univoca perfectissima, ut sunt species atomae, esse: quorum nomen est idem, ratio vero significata per nomen est totaliter et absolute similis, idest aequalis. Pure aequivoca, e contra, esse: quorum nomen est idem, rationes autem significatae per nomen sunt totaliter et absolute dissimiles sive inaequales. Analoga vero, quae essentialiter media sunt inter perfecte univoca et perfecte aequivoca, esse: quorum nomen est idem, ratio autem per nomen significata est partim similis et partim dissimilis sive partim aequalis et partim inaequalis.

Et quidem analoga improprie dicta, quae revera sunt *genera*, sunt: quorum nomen est idem, ratio vero per nomen significata est simpliciter similis et dissimilis secundum quid.

Analoga autem proprie dicta sunt: quorum nomen est

---

1 *De Verit.*, 1, 10 ad 1 sed contra.
2 *In II Decretalem*, cap. 2, in fine, ed. Vives, t. 27, p. 438b.
3 CONCILIUM LATERANENSE IV (1215), Denz., n. 432.

idem, ratio vero per nomen significata est simpliciter dissimilis et similis secundum quid.

Quae enim supra dicta sunt [1] de identitate et diversitate rationis significatae per nomen univocum, aequivocum et analogum, eodem prorsus modo valent de similitudine et dissimilitudine: nam similitudo est quaedam unitas et dissimilitudo est quaedam diversitas. Quo fit ut ratio significata per nomen analogum est absolute inaequalís seu dissimilis, aequalis tamen relative seu proportionaliter.

Quam indubitatam doctrinam expressis fere verbis tradidit S. Albertus Magnus, dicens... «*similes, non simpliciter, sed secundum proportionalitatem quae est similitudo proportionum*; et est ad minus in quatuor, vel tribus uno in ratione duorum accepto. Et talis convenientia est corporalium ad spiritualia, sicut cum dicimus: *sicut* se habet rota ad motum in omnem partem, *sic* se habent Angeli ad obediendum Deo in omnibus; non autem communicant in participando eandem qualitatem in quo est similitudo» [2].

§ III

QUO IN SENSU INAEQUALITAS RATIONIS ANALOGICAE MEDIA ESSENTIALITER EST INTER PERFECTAM INAEQUALITATEM AEQUIVOCORUM ET AEQUALITATEM PERFECTAM UNIVOCORUM

208. Inde etiam facile est videre quomodo se habeat ratio significata per nomen analogum ad aequalitatem rationis importatae per nomen univocum et ad inaequalitatem rationis significatae per nomen aequivocum.

Ratio enim significata per nomen *univocum* est omnino eadem et aequalis in omnibus et singulis illo nomine univocatis, *aequalitate omnimoda*, totali, absoluta, aequiparantiae, ita ut de illis praedicetur *uniformiter*, idest uno eodemque modo: consequenter univoca *parificantur* in

---

[1] Cf. *supra*, § I, p. 333.
[2] S. ALBERTUS MAGNUS, *In librum Dionysii de Caelesti hierarchia*, cap. 2, § 3, ed. cit., t. 14, p. 39b.

ratione illa, *simulque* sunt secundum naturam eo nomine significatam, eodem prorsus modo quo parificantur simulque sunt in nomine quo nominantur, quod unum idemque est. Ita, ratio significata hoc nomine *homo*, nempe animal rationale, eadem omnino et aequalis est in omnibus et singulis hominibus ac de illis uniformiter praedicatur, ita quidem ut omnes homines parificentur simulque natura sint in ratione illa.

209. Haec siquidem nomina: aequalitas, paritas, simultas, uniformitas, eiusdem sunt valoris ac significationis. Dicitur enim *aequalis*, locus *planus*, non clivosus, sed ad libellam complanatus, iuxta illud Tullii Ciceronis: «*deiectus* vero qui potest esse quis, quam nisi in *inferiorem* locum de *superiore* motus? Potest pulsus, fugatus, eiectus denique: illud vero nullo modo potest, deiectus esse quisquam non modo qui non sit, sed ne aequo quidem et plano loco»[1].

210. Eodem modo «*par* dicitur quod in omnes aequabile est»[2]. «Nam et laetamur amicorum laetitia *aeque* atque nostra, et pariter dolemus angoribus»[3], «ut nostra in amicos benevolentia illorumque erga nos benevolentiae *pariter aequaliterque respondeat*»[4]. Unde et apud S. Thomam idem est velle *aequari* et velle *parificari* Deo[5], et paritas distinguit in paritatem absolutam seu quantitatis et paritatem comparatam seu proportionis, sicut ipsa aequalitas[6]. Similiter apud Averroem: «species, inquit, sunt *aequales* aut non magis neque minus; et intendit [Aristoteles] per *aequalitatem*, *paritatem*»[7]. Et

---

[1] TULLIUS CICERO, *Pro A. Caecina*, cap. 17, ed. cit., t. 4, p. 626. Et alibi: «sive *ex inferiore* loco, *sive ex aequo*, *sive ex superiore*» oratio fiat (*De Oratore*, lib. III, cap. 6, t. I, p. 317).

[2] TULLIUS CICERO, *De Inventione Rhetorica*, lib. II, cap. 22, t. I, pp. 84-85.

[3] TULLIUS CICERO, *I de finibus bonorum et malorum*, cap. 20, t. II, p. 126.

[4] TULLIUS CICERO, *De Amicitia*, cap. 16, t. III, p. 495.

[5] S. THOMAS, *In II Sent.* d. 22, 1, 2c.

[6] *In IV Sent.* d. 49, 3, 5, qla. 4 ad 1.

[7] AVERROES, *In I Metaph.*, n. 25, fol. 18r in fine. Lugduni 1542.

inde pleonasmus ille S. Augustini: *parilitas aequabilitatis*[1].

211. *Uniformitas* vero, sicut et «conformitas, ponit convenientiam duorum in forma *una*, sicut ipsum nomen ostendit»[2]; quin etiam «conformitas est *relatio aequiparantiae*, ponens similem habitudinem in utroque extremorum»[3]. Et sic dicitur motus *uniformis* qui *aequali* velocitate percurrit singulas partes distantiae inter terminum a quo et terminum ad quem. Quod quidem postulat cumulative aequalitatem virtutis moventis, aequalitatem mobilitatis corporis moti et aequalitatem continui per quod fit motus, ita ut in eadem maneat dispositione respectu moventis et mobilis. «Si enim movens non *semper et aequali virtute* moveat, sed quandoque maiori quandoque minori, fiet motus quandoque quidem velotior quandoque autem tardior; quia velocitas motus contingit ex hoc quod virtus moventis, propter suam magnitudinem, multum dominatur mobili. Et similiter, si corpus quod movetur, per aliquam alterationem non permaneat in *eadem dispositione*, non erit *aequaliter* subiectum virtuti moventis, et ita non erit *aequa velocitas motus*. Et similiter si fiat transmutatio circa utrumque, scilicet movens et mobile»[4].

212. Tandem *simultas* quasi similitas[5], aequalitatem nominat loci (=contigua), temporis (=coaetanea) vel na-

---

[1] S. AUGUSTINUS, *Enarratio in Psalm.*, 99, n. 10.
[2] S. THOMAS, *in I Sent.*, d. 48, 1, ob. 3.
[3] *Ibid.*, obi. 4.
[4] *In II de Caelo et Mundo,* lect. 8, n. 7.
[5] Eiusdem enim significationis fundamentalis sunt simile, simul, semel (cfr. A. ERNOUT et A. MEILLET, *Dictionnaire étymologique de la langue latine,* v. similis, pp. 941-942. Paris 1939). Unde et aliquando simul et semel iuxtaponuntur ad modum pleonasmi cuiusdam, ut videre est in his textibus S. THOMAE: «impossibile est quod [intellectus] simul et semel secundum diversas formas actu intelligat» (*De Verit.*, 8, 14c); «impossibile enim est eiusdem potentiae simul et semel esse plures motus, sicut nec una materia simul et semel est sub formis diversis disparatis» (*De Verit.*, 28, 9, obi. 1); «sicut materia prima simul et semel non informatur nisi una forma, ita intellectus possi-

turae (=coaequalia). Quam ob rem S. Bonaventura praeclare dixit: «ubi non est omnimoda *simultas*, non est perfecta *aequalitas*» [1]; et in Symbolo *Quicumque* confitemur: «in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totae tres personas *coaeternae* sibi sunt et *coaequales*» [2]; nam in Trinitate «*non est aliquis gradus*, sed omnes tres personae sunt *simul et aequaliter* Deus, et *simul et aequaliter* ipsum Bonum» [3].

At huiusmodi aequalitas sive parilitas sive uniformitas sive simultas intelligenda est *formaliter*, idest secundum rationem vel intentionem vel significationem vel praedicationem nominis; *non materialiter*, hoc est, secundum rem vel secundum esse vel secundum meram nominis suppositionem [4]. Nam bene stare potest una cum

---

bilis non intelligit nisi unum intelligibile» (*Quaest. disp. De Anima*, 18, ad 5); «virtus Dei simul et semel in omnibus operatur, et in singulis secundum proprium modum rerum» (*Quodlib.* XI, 1c); «non est possibile unius virtutis *simul et semel* esse plures actiones respectu eiusdem obiecti; contingit autem duos homines *simul et semel* unum et idem intelligibile intelligere...» (*De Spiritualibus creaturis*, 9c, ed. L. W. Keeler, S. J., p. 108, 15-18); et in hoc S. AUGUSTINI: «*semel* enim et *simul* congregabimur, ut accipiamus quod diversis temporibus et credidimus et desideravimus» (*Sermones post Maurinos reperti, Sermo* 13, n. 10, ed. G. Morin, O. S. B., Miscellanea Agostiniana, p. 64, 28-29, Romae, 1930). Simultas autem accipitur in sensu scholasticorum pro tertio postpraedicamento, non in sensu auctorum latinorum pro aemulatione vel corrivalitate.

1 S. BONAVENTURA, *In I Sent.*, d. 20, a. 2, q. 1, arg. 3 contra, ed. Quaracchi, t. I, p. 372a.

2 DENZ., n. 39.

3 S. THOMAS, *In librum Dionysii de divinis Nominibus*, cap. 1, lect. 3, ed. Vives, t. 29, p. 392a.

4 Sicut enim contraponuntur forma et materia quae *substat* formae, ita etiam in nominibus contraponuntur qualitas et *substantia* quasi forma et materia nominis; et similiter ratio vel intentio nominis et res vel esse quod *substat* rationi vel intentioni eius; ac denique signficatio sive praedicatio quae se habet ut formale et suppositio (*sub*-positio=*sub*-stantia), quae se habet ut materiale. Ad rem S. ALBERTUS MAGNUS: «*duo* sunt attendenda in nomine, scilicet *forma* sive *ratio* a qua imponitur, et illud *cui* imponitur; et haec vocantur a quibusdam significatum [=*significatio*] et suppositum [=*suppositio*], a grammaticis autem vocantur *qualitas* et *substantia*» (*In I Sent.*, d. 2, a. 11c, ed. Borgnet, t. 25, p. 66a). Et hoc ideo, «quia nomen dicit *rem a qua* imponitur et rem *cui* imponitur nomen: illa res *cui* imponitur nomen,

omnimoda aequalitate *formali* nominis inaequalitas quaedam *materialis* eius, ita ut secundum rem sive secundum esse dicatur secundum magis et minus sive secundum prius et posterius pro maiori et minori perfectione reali

---

apud grammaticum est *substantia* nominis; illa autem *a qua* imponitur, cum illa sit principium intelligendi id quod dicitur per nomen, est *qualitas* nominis» (*In I Sent.*, d. 22, a. 1c, p. 567a. Cf. etiam *De Praedicamentis*, tract. I, cap. 2, ed. cit., t. I, p. 152; *I Peripherm.*, tract. 2, cap. 1, ibid., p. 218a; *IV Metaph.*, tract. I, cap. 4, t. 6, p. 209a).

Eodem modo S. THOMAS: «hoc nomen, Deus, potest considerari dupliciter. Vel quantum ad id *a quo* nomen imponitur, quod est *qualitas* nominis...; vel quantum ad id *cui* imponitur, quod est *substantia* significata per nomen» (*In I Sent.*, d. 2, exp. litterae, ad 1. Cfr. etiam d. 9, 1, 2c). Et iterum: «cum dicitur quod *nomen* significat *substantiam cum qualitate*, non intelligitur qualitas et substantia proprie, secundum quod logicus accipit praedicamenta distinguens; sed grammaticus accipit substantiam quantum ad modum significandi, et similiter qualitatem. Et ideo, quia illud quod significatur per nomen, significatur ut aliquid subsistens [=subiectum] secundum quod *de eo* potest aliquid praedicari, quamvis secundum rem non sit subsistens ut albedo, dicit quod significat *substantiam*, ad differentiam *verbi* quod non significat ut aliquid subsistens. Et quia in quolibet nomine est considerare id *a quo* imponitur nomen quod est quasi principium innotescendi, ideo quantum ad hoc habet modum *qualitatis*, secundum quod *qualitas* vel forma est principium cognoscendi rem. Unde secundum Philosophum, V Metaph., uno modo *forma* substantialis *qualitas* dicitur. Nec refert quantum ad significationem nominis utrum principium innotescendi sit idem re cum eo quod nomine significatur ut in abstractis, vel diversum ut in [concretis, v. gr. in] hoc nomine *homo*.

Et quia Deus seipso cognoscitur, ideo potest significari per nomen quod habeat *qualitatem* quantum ad rationem *a qua* nomen imponitur et *substantiam* ad id *cui* imponitur» (*In I Sent.*, d. 22, 1 ad 3).

Est tamen intelligenda *qualitas* vel *forma* vel *ratio* nominis ab eo *a quo* imponitur, non quidem ex parte imponentis, sed ex parte rei cui imponitur; nam si sumatur ex parte imponentis tantum, non necessario importat formale et principale signifiqatum, ut egregie explicat S. Doctor hisce verbis: «nomen dicitur *ab aliquo* imponi dupliciter: aut ex parte *imponentis* nomen, aut ex parte *rei* cui imponitur. Ex parte autem *rei* nomen dicitur *ab illo* imponi *per quod completur ratio rei* quam nomen significat, et haec est *differentia specifica illius rei*; et hoc est quod *principaliter* significatur per nomen.

Sed quia differentiae essentiales sunt nobis ignotae, quandoque utimur accidentibus vel effectibus loco earum, ut VII Metaph. dicitur, et secundum hoc nominamus rem; et sic *illud quod loco differentiae essentialis sumitur est a quo imponitur nomen ex parte imponentis*, sicut lapis imponitur ab effectu qui est laedere pedem: *et hoc non oportet esse principaliter significatum per nomen, sed illud loco cuius ponitur*» (*De Vert.*, 4, 1 ad 8).

eorum quibus tale nomen applicatur quaeque tali nomine supponunt reali, non formali, suppositione.

213. Hoc ergo in sensu S. Thomas *aequalitatem* absolutam intentionis sive praedicationis attribuit saepis-

---

Si ergo sumatur qualitas nominis ab eo a quo imponitur nomen *formaliter*, idest ex parte *rei* cui imponitur, tunc qualitas nominis est eius formalis significatio, dum substantia nominis est eius suppositio, iuxta illud S. THOMAE: «significare *substantiam cum qualitate* est significare *suppositum cum natura vel forma* determinata in qua subsistit» (I, 13, 2 ad 3).

Quibus consentiunt haec alia verba: «aliquid significat dupliciter. Uno modo *formaliter*, et alio modo *materialiter*. *Formaliter* quidem significatur per nomen id *ad quod* significandum nomen est *principaliter* impositum, sicut hoc nomen *homo* significat aliquid compositum ex corpore et anima rationali. *Materialiter* vero significatur per nomen illud *in quo* talis ratio salvatur, sicut hoc nomen *homo* significat aliquid habens cor et cerebrum et huiusmodi partes sine quibus non potest esse corpus animatum anima rationali» (*De Potentia*, 9, 4c).

Et iterum: «in quolibet nomine est duo considerare, scilicet id *a quo* imponitur nomen, quod dicitur *qualitas* nominis; et id *cui* imponitur, quod dicitur *substantia* nominis. Et nomen, *proprie* loquendo, dicitur *significare formam sive qualitatem a qua* imponitur nomen; dicitur vero *supponere* pro eo *cui* imponitur» (*In III Sent.*, d. 6, 1, 3c, n. 55. Cfr. etiam *III Sent.*, d. 18, 4, qla. 1 ad 2, n. 88). Et quia qualitas se habet ad substantiam ut praedicatum sive attributum ad subiectum, ideo «termini in *praedicato* positi tenentur *formaliter*, in *subiecto* vero *materialiter*» (Ibid., ad 3, n. 59). Unde *significatio* nominis ut contraponitur suppositioni eius, «idem est ac eius *praedicatio*» (*Ibid.*» Cfr. etiam *III Sent.*, d. 1, 2, 5 ad 2, n. 146; et ad 5, n. 150.

Porro univocatio, aequivocatio et analogia nominum sumuntur secundum praedicationem vel significationem nominis, non secundum eius suppositionem, hoc est, secundum formalem, non secundum materialem, significationem.

Et inde S. THOMAS frequenter inculcat: «diversitas *suppositionis* non facit aequivocationem, sed *diversitas significationis*» (*III Sent.*, d. 6, 1, 3 ad 1, n. 57); «diversa autem *suppositio* non facit aequivocationem sed *diversa significatio*» (*De Pot.*, 9, 4 ad 6); «univocatio autem et aequivocatio non respicit *suppositum*, sed essentiam vel naturam quam *significat* definitio» (*Quodlib.* III, 2, 2 ad 1).

Et alio in loco: «aequivocatio inducitur ex diversa forma *significata* per nomen, non autem ex diversitate *suppositionis*. Non enim hoc nomen homo aequivoce sumitur ex eo quod quandoque *supponit* pro Platone quandoque pro Sorte. Hoc igitur nomen *homo* et de Christo et de aliis hominibus dictum semper eandem formam *significat*, scilicet naturam humanam. Unde univoce praedicatur de eis; sed *suppositio* tantum variatur in hoc quod quidem secundum quod pro Christo sumitur *supponit* hypostasim increatam, secundum vero quod pro

sime univocis tum in communi tum in particulari considerationis.

In communi quidem, quando dicit: «*universale* enim est secundum essentiam et completam virtutem in qualibet sua parte; unde *de omnibus aequaliter praedicatur*»[1]. «In omnibus enim *univocis* communis est ratio nominis utrique eorum de quibus nomen univoce praedicatur; et sic, quatum ad illius nominis *rationem*, univoca in aliquo *aequalia* sunt, quamvis, secundum esse, unum altero possit esse prius vel posterius: sicut in *ratione* numeri omnes numeri sunt *aequales*, quamvis secundum nomen rei unus altero prior sit»[2].

Et alio in loco: «quod praedicatur de aliquibus se-

---

aliis sumitur *supponit* hypostasim creatam» (IV *Contra Gent.*, cap. 49, ad 11).

Similiter: «univocatio et aequivocatio attenditur secundum quod *ratio* nominis est eadem vel non eadem: *ratio* autem nominis est quam significat *definitio*, et ideo aequivocatio et univocatio secundum *significationem* attenditur et non secundum *supposita*; et ideo hoc nomen *homo* univoce dicitur de Christo et de Petro, quia utrobique *significat* unam naturam, sed in Christo *supponit* suppositum aeternum, quod non *supponit* in Petro» (*De unione Verbi Incarnati*, 2 ad 4).

Postremo: «cum dicitur, *hic* homo, demonstrato Christo, importatur *suppositum* aeternum. Nec tamen propter hoc aequivoce dicitur hoc nomen *homo* de Christo et de aliis hominibus. Aequivocatio enim non attenditur secundum diversitatem *suppositionis*, sed secundum diversitatem significationis. Nomen autem *homo* attributum Petro et Christo idem *significat*, scilicet humanam naturam; sed non idem *supponit*; quia hic *supponit* suppositum aeternum Filii Dei, ibi autem suppositum creatum» (*Compendium Theologiae*, I P., cap. 211, circa finem).

Eodem sensu contraponuntur secundum *rationem* et secundum *esse* (*De principio individuationis*, Opuscula, ed. cit., t. I, pp. 258-259; I *Sent.*, d. 2, 1 arg. 3 sed contra; *De Verit.*, 2, 11c; *I Physicorum*, lect. 1, nn. 2-3); sive secundum *rationem* et secundum *rem* (*De Verit.*, 2, 11c; I-II, 29, 3 ad 1); secundum *intentionem* et secundum *esse* (I *Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1; d. 35, 4 ad 5; II *Sent.*, d. 3, 1, 1 ad 2; 1, 4c; 1, 5 ad 3; d. 12, 1 ad 1; III *Sent.*, d. 33, 1, 1 ad 2, n. 139; *in librum Boetii de Trinitate*, 6, 3c; *De Spiritualibus creaturis*, 2 ad 16) vel etiam secundum *intentionem* et secundum *rem* (I *Sent.*, d. 23, 3c; *De Pot.*, 9, 2 obi. 2-4 et resp., ubi contradistinctio est sicut inter *intentionem* et *subiectum* intentionis; I, 29, 1 obi. 3; 30, 4c); denique, secundum *praedicationem* et secundum *esse* (I, 77, 4 ad 1).

1 *II Sent.*, 9, 3 ad 1. Universale enim presse dictum idem est ac univocum (I *Contra Gent.*, cap. 32, arg. 3).

2 *De Verit.*, 2, 11c.

cundum prius et posterius, certum est univoce non praedicari; quia univoca praedicantur de suis univocatis «eodem ordine» [1], eo quod ratio nominis univoci «ex toto idem significat» in omnibus et singulis univocatis [2], nempe omnimoda aequalitate.

214. *In particulari etiam sive speciali* de singulis univocis, quae sunt quinque universalia [3].

Ita, *de genere* loquens, ait: «omne genus *univoce et aequaliter* praedicatur de suis speciebus» [4], idest «genus praedicatur *aequaliter* de speciebus quantum *ad intentionem*, sed non semper quantum ad *esse*, sicut patet in figura et numero, ut in III Metaph. dicitur» [5].

Et iterum: «genus *aequaliter* participatur a suis speciebus», licet non omnes species sint aequles, sicut «omnia animalia sunt *aequaliter* animalia, non tamen sunt *aequalia* animalia, sed unum animal est altero maius et perfectius« [6]; et similiter «in numeris, in quibus binarius secundum propriam rationem naturaliter est prior ternario, sed tamen *aequaliter* participat *rationem* generis sui, scilicet numeri: ita enim est ternarius multitudo mensurata per unum, sicut et binarius» [7].

215. Eodem modo *de differentia*. «*Differentiae* superiores participantur *uniformiter* ab his quae conveniunt in aliquo inferiori: sicut omne animal *aequaliter* se habet ut dicatur corporeum [8].

216. Pariter *de specie*. «Omnes homines *aequaliter* humanam naturam participant» [9], quia «natura ipsa... quantum ad rationem *speciei*... *aequaliter* in omnibus in-

---

1 *I Contra Gent.*, cap. 32, arg. 6.
2 *De principiis naturae*, circa finem, ed. cit., t. I, p. 388.
3 *I Contra Gent.*, cap. 32, arg. 3.
4 *II Sent.*, d. 3, 1, 5 obi. 3.
5 *Ibid.*, ad 3.
6 *De Malo*, 2, 9 obi. 16 et resp.
7 *In I Perihermenias*, lect., 8, n. 6.
8 *In II Sent.*, d. 19, 1 obi. 2.
9 *II Sent.*, d. 32, 1, 3 arg. 1 sed contra.

venitur»[1], et ideo «species praedicatur *aequaliter* de omnibus individuis, ut dicitur in III Metaph.»[2]. Semper enim verum est quod «*natura* rei est *tota* in qualibet parte [saltem totalitate essentiae], sicut *natura speciei* est *tota* in quolibet individuo»[3]; et consequenter «natura [humana] *aequaliter* est in omnibus hominibus»[4] et «*aequaliter* in omnibus invenitur»[5].

217. Idem docet *de proprio*, quod est accidens speciei. «Ea enim quae *sequuntur* naturam *aequaliter* inveniuntur in omnibus habentibus naturam illam ut risibile in hominibus»[6]; «*consequens* naturam, aequaliter invenitur in omnibus habentibus naturam illam»[7].

Quod quidem intelligendum est hoc in sensu: «ea quae consequuntur naturam, aequaliter inveniuntur in habentibus naturam illam *aequaliter*»[8]. Qua de causa, licet vis intellectiva sequatur naturam intellectualem, non tamen aequaliter convenit Deo et angelis et hominibus, quia ipsa «natura intellectualis non aequaliter invenitur [in Deo et] in angelis et in hominibus»[9]. Et idem dicendum est de libertate a coactione. Nam «in quibus invenitur natura una *aequaliter*, invenitur etiam *aequaliter* illud quod consequitur illam. Sed natura intellectiva non invenitur *aequaliter* in Deo, angelo et homini. Unde nec etiam libertas a coactione *aequaliter* in omnibus est»[10]. Ex adverso, intellectus principiorum, quantum ad lumen quod nominat ipsam vim nativam intelligendi, aequaliter invenitur in omnibus hominibus, quia aequaliter convenit eis natura ipsa

---

1 *II Sent.*, d. 32, 1, 3c. Idem exprimit cum dicit: «omnium convenientium in specie est eadem *relatio* ad naturam speciei» (II *Sent.*, d. 33, 1, 1 obi. 3 et resp.
2 *Quodlib.* III, 3, 1 ad abiecta.
3 *In I de Anima,* lect. 8, n. 116.
4 I-II, 82, 4 sed contra.
5 II-II, 5, 4 ad 3.
6 *II Sent.*, d. 16, 3 obi. 1. Cf. d. 25, 4 obi. 2.
7 *II Sent.*, d. 32, 1, 3 arg. 1 sed contra.
8 *II Sent.*, d. 16, 3 ad 1.
9 *II Sent.*, d. 16, 3, ad 1 et c. art.
10 *II Sent.*, d. 25, 4 ad 2.

intellectualis. Unde S. Thomas: «*intellectus principorum* consequitur ipsam humanam naturam, quae aequaliter in omnibus invenitur»[1]; et iterum: «quantum ad *communia principia* rationis sive speculativae sive practicae, est *eadem* veritas seu rectitudo apud omnes et *aequaliter* nota»[2]. Nam et «omnes humani intellectus sunt *unius gradus* in ordine naturae»[3].

218. Eandem doctrinam perspicuis verbis tradidit S. Albertus Magnus, cuius nonnullos textus exscribere placet. «*Univoca* autem sunt quae a tali forma imposita sunt ad quam omnium participantium eam est *respectus unus secundum rem et rationem sine magis et minus,* sicut animal participatur a speciebus animalium et homo participatur ab individuis quae sunt sub ipso»[4]. «Quia nec *genus* secundum magis et minus praedicatur de eo cuius est genus...; non enim animal secundum magis praedicatur de homine et secundum minus de asino, sed *aeque* de utroque: nec *differentiae* generis quae dividunt genus et cum genere constituunt speciem, secundum magis et minus praedicantur de speciebus quarum sunt differentiae; quia homo non est magis rationale et asinus minus irrationale, sed *aeque*»[5].

Idem fatendum est *de proprio,* quia «tam *genus* quam *proprium non secundum magis et minus* praedicantur de speciebus, de quibus praedicantur quae ipsum proprium participant. *Participare* autem hic large sumimus, non proprie: *proprie* enim participant inferiora sua superiora, quae in substantiis eorum sunt nomine et essentia et ratione, ut dicit Aristoteles; sed hic large sumimus participationem prout tunc proprium participat speciem ut sui causam et subiectum. *Aequaliter enim et non secundum magis et minus* homo et bos, qui sunt species ani-

---

1 II-II, 5, 4 ad 3.
2 I-II, 94, 4c.
3 I, 117, 1c, circa finem.
4 S. Albertus Magnus, *De Praedicabilibus,* tract. I, cap. 5, ed. Borgnet, t. II, p. 11a.
5 *Op. cit.,* tract. V, cap. 2, p. 87a.

malis, sunt animal, quod est *genus*, participantes; et *aequaliter* Cato et Cicero, qui sunt speciei hominis individua, sunt risibile, quod est *proprium* hominis, participantes, large dicta participatione, *nec* participant suae speciei *proprium secundum magis et minus*»[1].

Ideo ergo «commune est *aequaliter et non secundum magis et minus* praedicari de illis, quarum est *genus*, speciebus; et *proprium aequaliter et non secundum magis et minus* praedicari de his quae illo participant, large accepta participatione. *Aequaliter enim et non secundum magis et minus* homo et bos sunt animal, et Cato et Cicero resibile. Commune adhuc est eis scilicet generi et proprio, *univoce* praedicari de his quorum sunt»[2].

Et alibi profunde scribit: «natura enim ponit *aequalitatem*. Quae enim unam habent naturam, in natura illa et in omnibus consequentibus illam naturam *aequalia* sunt, et secundum *aeque et coaequaeve* habent eam et non unum primo et alterum secundo»[3].

219. Eodem iure S. Thomas docet *parilitatem* absolutam univocorum secundum rationem vel intentionem nominis communis, sicut species *parificantur* in intentione generis et individua in intentione speciei[4]. Et alio in loco ait: «si enim anima et angelus *parificantur* in natura, angelus non est prior anima secundum ordinem naturae, [quod falsum est]; nisi dicantur *parificari* in natura, quia *conveniunt in natura* non quidem speciei sed *generis*. Non autem oportet quod omnium quae conveniunt in natura generis vel speciei, id quod est prius sit causa omnium aliorum. Et quidem in eadem *specie* non potest unum esse prius altero proprie loquendo, ordine naturae, quia species praedicatur *aequaliter* de omnibus individuis, ut dicitur in III Metaphysicorum. In *generi-*

---

1 *Op. cit.*, tract., VIII, cap. 6, p. 132.
2 *Ibid.*, p. 133b.
3 *Summa Theol.*, I P., tract. IX, q. 41, memb. 2, a. 3 ad quaest., ed. cit., t. 31, p. 439a.
4 S. THOMAS, *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1.

bus autem non sic; nam inter species unius generis una est naturaliter prior et perfectior altera. Est autem in *individuis* unius speciei unum altero tempore prius», non natura [1]. Item: «angelus et anima sunt *pares in natura generis,* in quantum utrumque est intellectualis substantia; sed angelus natura *speciei* est superior» [2].

220. Docet etiam totalem *uniformitatem* tan in communi quam in speciali.

In communi quidem, quando scribit: «dicitur universale natura illa sub intentione universalitatis sibi attributa; et sic propter *uniformitatem* rationis inventam in intentione, quae fit per remotionem a materialibus conditionibus et omni diversitate, est unum in multis, sic enim [omnes] homines sunt unus homo et unum animal» [3].

221. *In speciali* quoque. Ita, *de genere* ait: «unde in substantia solum est convenientia *in intentione,* in qua est *uniformitas* ad omnia quae sunt in genere substantiae... Cum igitur *genus* de specie praedicetur et ratione *uniformitatis* communiter se habeat ad omnia contenta sub eo, necesse est ipsum praedicari *univoce,* quod est praedicari secundum nomen et secundum rationem. Non enim est alia ratio animalis quando praedicatur de homine et alia quando praedicatur de equo, immo una et eadem est ratio per quam de utroque praedicatur, sicut et nomen idem est. Et hoc facile est videre, si consideretur natura animalis vel alterius superioris quod praedicatur de inferioribus suis, quod natura absoluta praedicabilis est, sed recipit unitatem vel pluralitatem a subiectis. Naturam igitur animalis praedicari, est quod dicat *totum* respectu illius de quo praedicatur et non partem, quia pars non praedicatur de toto: non autem accipitur ut totum integrale, quia tale non praedicatur nisi de om-

---

[1] *Quodlib.* III, 6 ad obiecta. «Manifestum est quod inter individua unius speciei non est unum primum et aliud posterius secundum naturam, sed solum tempore» (*In III Metaph.*, lect. 8, n.« 438).

[2] *De Spiritualibus creaturis,* 2 ad 11.

[3] *De natura generis,* cap. 5, ed. cit., t. I, p. 293.

nibus partibus simul sumptis, sed ut totum *universale* quod praedicatur de *qualibet* parte. Sic igitur accepto animali, nihil potest sibi attribui nisi quod per se est de ratione eius, ut substantia animata sensibilis» [1]. Itaque «ratio *generis* addit ordinem ad contenta sub eo, qui quidem ordo importatur in *uniformitate* eius ad inferiora» [2].

Et alibi: «quaecumque sunt in aliquo *genere* uno, communicant *uniformiter* principia illius generis» secundum intentionem eius [3], quia «omne genus *univoce et aequaliter* praedicatur de suis speciebus» quantum ad *intentionem* [4].

222. Similiter *de specie* ait: «ipsa enim natura humana habet esse in intellectu abstractum ab omnibus individuantibus, et ideo habet rationem *uniformem* ad omnia individua quae sunt extra animam prout *aequaliter* est similitudo omnium et inducens in omnium cognitionem *in quantum sunt homines*; et ex hoc quod talem relationem habet ad omnia individua, intellectus adinvenit rationem *speciei* et attribuit sibi» [5].

Quod rursus, loquens de forma rei sensibilis, explicat uberius, dicens: «ideo, quantum est de natura sua, *com-*

---

1 *Op. cit.*, cap. 9, p. 300.
2 *Ibid.*, p. 302.
3 *II Sent.*, d. 3, 1, 1 obi. 2 et resp.
4 *II Sent.*, d. 3, 1, 5 obi. 3 et resp.
5 *De ente et essentia*, cap. 4, ed. L. Baur, p. 34, 1-7; ed. M. D. Roland-Gosselin, O. P., p. 28, 2-8. Quae verba ita perspicue illustrat CAIETANUS: «ipsa enim natura habet esse in intellectu agente vel possibili tam obiective quam subiective abstractum ab omnibus individualibus; et habet rationem *uniformem* obiective in praedicando, subiective in repraesentando, ad omnia individua quae sunt extra, prout essentialiter est *similitudo* omnium obiective in essendo, subiective in repraesentando, inducens in cognitionem omnium in quantum sunt homines, quia ut sic *assimilantur*. Et ex hoc quod talem relationem, scilicet *uniformitatis* et *similitudinis* essentialis vel repraesentativae habet natura ad omnia individua, intellectus adinvenit rationem *speciei*, idest secundam intentionem quae est *species*, et attribuit ipsi naturae *uniformiter* se habenti ad individua ex hoc quod repraesentatur *absque omni individuantium difformitate*» (*In h. l.*, ed. Laurent, O. P., p. 108. Taurini, 1934).

municabilis est et in multis recipi potest et recipitur secundum *unam rationem, cum una sit ratio speciei in omnibus individuis*. Sed quia ipsa *esse* non habet... quia *esse* est solius *suppositi*... et suppositum incommunicabile est..., ideo ipsa forma materialis *diversificatur* secundum multa *esse* incommunicabilia, manens *una* secundum *rationem* multis communicatum: sua autem receptio est in materia, quia ipsa materialis est. Ex quo patet quod de natura sua sibi relinquitur *unitas rationis* in communicatione sua, et quod redditur incommunicabilis per receptionem suam in materia... *Ratio* enim formae in diversis materiis est *una*, licet secundum *esse* sit *diversa*»[1].

Et clarius adhuc: «omnis forma vel natura, quae recipitur in diversis gradibus potentiarum, recipitur secundum prius et posterius secundum *esse*. *Impossibile est autem naturam speciei communicari ab individuis per prius et posterius nec secundum esse nec secundum intentionem*, quamvis hoc [=secundum esse] sit possibile in natura generis, ut dicitur in III Metaphysicorum»[2].

Ac post pauca: «genus praedicatur *aequaliter* de speciebus quantum ad *intentionem* sed non semper quantum ad *esse*, sicut in figura et numero, ut in III Metaph. dicitur. *Sed hoc in speciebus non contingit*, ut ibidem dicitur»[3]. Ac revera, «omnes species generum inveniuntur differre secundum perfectius et minus perfectum et, per consequens, secundum prius et posterius secundum naturam...; sed manifestum est quod inter individua unius speciei non est unum primum et aliud posterius secundum naturam, sed solum tempore»[4].

223. Denique tradit perfectam *simultatem* univocorum in communi ratione significata per idem nomen. Ita enim scribit: «ea quae dividunt aliquod commune *uni-*

---

1 *De principio individuationis*, Opuscula, ed. cit., t. I, pp. 258-259.
2 *II Sent.*, d. 3, 1, 4c in fine.
3 *II Sent.*, d. 3, 1, 5 ad 3.
4 *In III Metaph.*, lect. 8, n. 438.

vocum, *simul* sunt quantum ad *intentionem* generis, quamvis unum possit esse causa alterius quantum ad *esse*; sicut motus localis est causa aliorum motuum contra quos dividitur»[1].

Et iterum: «alicuius generis species se habent secundum prius et posterius, sicut numeri et figura, quantum ad *esse*, licet *simul* esse dicantur in quantum suscipiunt communis generis *praedicationem*»[2]. Et hac ratione, «quia [enuntiatio affirmativa et enuntiatio negativa] sunt species *ex aequo* dividentes genus, sunt *simul natura*»[3].

Rursus: «in his quae ex opposito dividuntur, quaedam inveniuntur quae sunt *naturaliter* simul et secundum *rem* et secundum *rationem*, sicut duae species animalis vel duae species coloris; quaedam vero sunt *simul* secundum *rationem*, sed unum *realiter* est prius altero et causa eius, sicut patet in speciebus numerorum, figurarum et motuum»[4].

Postremo: «partibus subiectivis [=speciebus] *singulis* adest *tota* virtus totius [=generis], et *simul*, et *aequaliter*; sicut *tota* virtus animalis, *in quantum est animal* salvatur in *qualibet* specie animalis, quae *simul et aequaliter* dividunt animal»[5].

Sic igitur, *formaliter* loquendo, univocorum in quantum huiusmodi est una communis ratio omnino aequalis et uniformis, parilitate et simultate perfecta.

224. Ex adverso, *pure aequivoca*, licet nomen habeant omnino idem et aequale, rationem tamen significatam per nomen habent omnino diversam et disparatam[6], absque

---

[1] *III Sent.*, d. 33, 2, 1, qla. 1 ad 2, n. 139.
[2] I, 77, 4 ad 1.
[3] *In I Perih.*, lect. 1, n. 10.
[4] I-II, 29, 2 ad 1.
[5] III, 90, 3c.
[6] *Disparatum* non sumitur hic in sensu oppositionis contradictoriae, ut est apud TULLIUM CICERONM: «disparatum autem est id quod aliqua re per oppositionem negationis separatur hoc modo: sapere et non sapere» (*I De Inventione Rhetor.*, cap. 28, t. I, p. 30), quem sequitur QUINTILIANUS (*Inst. Orat.*, lib. V, cap. II, n. 31, ed. cit., t. II, p. 299);

ullo ordine vel respectu unius ad aliud et absque ulla similitudine et unitate[1].

Cum ergo *aequalitas* sit *unitas* quaedam —est enim aequalitas, *unitas* in quantitate dimensiva, et consequenter in quantitate virtuali formarum et rationum—, remota omni unitate a ratione significata per nomen pure aequivocum, eo ipso removetur ab ea omnis aequalitas; ac loco eius sufficitur perfecta et totalis *inaequalitas*. Unde S. Thomas saepe contradistinguit aequalitatem et disparitatem, ut cum dicit: «ponit aequalem et negat *disparem vel inaequalem*»[2]; «*contra* disparitatem, aequalitatem»[3]; «*ne* autem tollatur aequalitas, vitandum est nomen disparitatis»[4].

Consequenter, ratio significata per nomen pure aequivocum non est una sed multiplex, nec tamen aliquo modo

---

sed in sensu scholasticorum, pro oppositione large et improprie dicta, et quemadmodum disparata definit Boetius, ex quo scholastici mutuo acceperunt, scilicet, «*disparata* autem ea voco quae tantum a se diversa sunt, nulla contrarietate pugnantia, veluti terra, vestis, ignis» (*De Syllogismo hypothetico*, lib. I, cap. 2, ML. 64, 834). Quibus comparari possunt haec verba Averrois: «nomina disparata ... sunt ea, quorum unumquodque significat super rem aliam ab ea quam significat aliud, sicut substantia et quantitas et situs» (*Epithoma Averrois in libros Logicae Aristotelis, interprete Abrahamo de Balmes*, ed. Lugduni 1543, fol. 157, col. 1). Et sic intelliget hoc verbum ipse S. Thomas, cum scribit: «ea quae sunt ad invicem *disparata* non praedicantur de se invicem nisi per hoc quod conveniunt in uno supposito, sicut dicimus quod album est dulce, propter unitatem subiecti», puta sacchari (*Quodlib.* IX, 2 sed contra). Quae quidem est praedicatio *pure materialis* sive per *identitatem* rei in qua uniuntur illa disparata, nullo autem modo est praedicatio *formalis* sive per informationem; et tamen propria praedicatio debet esse formalis, «quia termini in praedicato tenentur *formaliter*» (*III Sent.*, d. 5, expositio textus, n. 131. Cf. *ibid.*, n. 133).

Hoc etiam sensu scholastici posterioris aetatis sumebant *impertinentia*, ut patet ex eorum distinctione terminorum in pertinentes sequela sive connexione et repugnantia sive oppositione et *impertinentes* seu *disparatos*, quos definiebant: «quorum unus nec alterum infert nec alteri repugnat, ut album et dulce, doctus et iustus» (Joannes a S. Thoma, O.P., Logica, I P. Summul., lib. I, cap. 4, ed. Reiser, t. I, p. 13b), idest nec alteri connexus est neque oppositus.

1 Cf. *I Contra Gent.*, cap. 33.

2 *I Sent.*, d. 24, 2, 1c in fine.

3 *De Pot.*, 9, 8c.

4 I, 31, 2c

adunata et ordinata sed omnino disparata et dispersa; quia revera nomen aequivocum non unam sed plures ut plures rationes primo et per se et principaliter significat. Nulla igitur inter diversas et penitus disparatas significationes eius datur convenientia et comparatio. Qua de causa, *inaequalitas* eius non est comparabilis neque commensurabilis secundum maius et minus vel secundum prius et posterius, quia magis et minus sicut et prius ac posterius sunt modi inaequalitatis *relativae*; at inaequalitas aequivocorum est *absoluta et totalis*.

Itaque tam ratio significata per nomen univocum quam ratio importata per nomen pure aequivocum excludunt, *ut sic*, magis et minus, prius et posterius, opposita tamen ac penitus contraria de causa. Nam in ipsa ratione significata per nomen univocum non datur magis et minus neque prius et posterius ob *excessum* uniformitatis eius, cum sit omnino eadem: ex adverso, ratio significata per nomen pure aequivocum non suscipit magis et minus neque prius et posterius ob *defectum* unitatis et uniformitatis eius, cum sit penitus diversa et disparata.

225. *Analoga* vero media essentialiter consistunt inter univoca et pure aequivoca; et quidem medietate, non per solam extremorum abnegationem sed per veram eorundem participationem, ut patet ex dictis [1]. Oportet ergo quod ratio significata per nomen analogum simul participet aequalitatem rationis univocorum et inaequalitatem rationis aequivocorum.

Quo autem modo quave mensura sit intelligenda huiusmodi participatio, iudicari debet secundum dicta supra [2] de participatione identitatis et diversitatis itemque similitudinis et dissimilitudinis univocorum et aequivocorum ab analogis. Eadem enim est ratio utrobique, cum eadem sit proportio; siquidem ita se habet aequalitas rationis univocorum ad analogiam sicut se habent eorum unitas

1 *Supra*, hoc art. 2, A, § I, pp. 290-295.
2 *Supra*, hoc art. 2, § I et § II.

et similitudo, ac similiter ita se habet inaequalitas rationis aequivocorum ad eandem analogiam sicut se habent eorum diversitas et dissimilitudo.

Ac revera, participatio haec triplici tantum modo concipi potest: aut *totalis ex utraque parte*, ita scilicet ut simul totam rationem utriusque extremi suscipiat; aut *partialis ex utraque parte*, ita nempe ut simul partem rationis unius et partem rationis alterius extremi induat; aut *totalis ex una parte et partialis ex alia*, quatenus videlicet *totam* rationem unius extremi simulque *partem* alterius tantum involvat.

226. *Atqui non potest esse totalis ex utraque parte simul.* Quod quidem constat triplici ratione.

Prima, quia verum medium participare debet extrema per modum medii, non per modum extremorum, ut supra ostensum est[1]: nimirum, in casu praesenti, analogia participare debet aequalitatem univocorum et inaequalitatem aequivocorum per modum analogiae, non per modum univocationis neque aequivocationis purae. Atqui participatio totalis ex utraque parte simul est participatio extremorum per modum extremorum, non per modum medii: nam totalis inaequalitas rationis significatae per nomen est inaequalitas per modum aequivocationis purae; aequalitas item absoluta et totalis rationis per nomen importatae est aequalitas per modum univocationis. Ergo analogia, quae verum medium est inter univocitatem et aequivocitatem puram, nequit participare simul totam inaequalitatem aequivocorum et totam univocorum aequalitatem.

227. *Secunda*, quia participatio *totius* rationis alicuius est propria partis *subiectivae* sub toto universali *univoco*, sicut species participat *totam* rationem generis et individuum *totam* rationem speciei, iuxta illud S. Thomae: totum universale «adest *cuilibet* parti secundum

1 *Supra*, hoc art. 2, A, § I, pp. 290-295.

totam suam essentiam et virtutem; unde proprie praedicatur de suis partibus, ut cum dicitur: homo est animal»[1]; et illud: «*singulis* partibus *subiectivis* adest *tota* virtus *totius* [universalis] et *simul* et *aequaliter*, sicut *tota* virtus animalis in quantum est animal salvatur in *qualibet* specie animalis, quae *simul* et *aequaliter* dividunt animal»[2]. Atqui analogum non est pars subiectiva univoci neque pure aequivoci. *Non univoci*, quia non est species neque individuum eius; secus, esset vere et proprie univocum. *Neque pure aequivoci*, cum non sit species neque individuum ipsius; alioquin, esset vere et proprie aequivocum: ac insuper, pure aequivocum *nequit habere partes subiectivas, cum non sit verum universale* univocum, sed ei e diametro oppositum. Et tamen constat analogum non esse vere et proprie univocum neque vere et proprie aequivocum, sed ab utroque essentialiter distinctum. Impossibile est ergo analogum simul participare *totam* rationem univocorum et totam rationem aequivocorum.

Quae ratio ex eo etiam *confirmari* potest quod, in hac hypothesi, analogum esset simul et aequaliter sub genere vel specie univocationis et sub genere vel specie aequivocationis purae; quae tamen sunt primo diversae et irreductibiles, et quidem multo magis quam duo genera *vel* praedicamenta. Atqui nequit idem simul et ex aequo esse in duobus vel pluribus generibus primo diversis et non subalternatim positis[3]. Multo ergo minus poterit analogum simul et ex aequo esse sub univoco et sub pure aequivoco.

228. *Tertia*, quia ratio totaliter aequalis et ratio totaliter inaequalis opponuntur contrarie. Atqui contraria

---

[1] *De Spiritualibus creaturis*, 11 ad 2.

[2] III, 9, 3c. De particulari autem scribit: «*particulare* dicitur ex eo quod *particulatur* in ipso natura communis, cuius partem accipit secundum *virtutem* qua potest esse *in pluribus*; quamvis accipiat *totam rationem* eius» (*I Sent.*, d. 23, 2 ad 4).

[3] ARISTOTELES, *Categoriae*, cap. 2, n. 4 (I, 2, 11-16); *II Post. Analit.*, cap. 12 (I, 164-167); *VI Topic.* (I, 235-255); S. THOMAS, *in III Sent.*, d. 34, 3, 1, qla. 1, arg. 1 sed contra, n. 269.

excluduntur ab eadem definitione et ab eodem definito, sicut excluduntur ab eadem essentia et ab eodem subiecto, iuxta illud S. Thomae: «non omnis diversitas, proprie loquendo, habet rationem contrarietatis; sed ad hoc quod aliqua diversa sint contraria, *duo* requiruntur. Quorum *unum* est quod sint nata aliqualiter *esse in eodem subiecto* vel proximo vel saltem remoto: calor enim contrariatur frigori, quod tamen non est natum esse in igne [qui est subiectum proximum caloris], sed est natum esse in materia ignis, quae est primum subiectum. *Secundo*, requiritur quod diversa quae sunt contraria, *non possint esse simul sed mutuo se expellant*; unde album et nigrum, secundum quod sunt in materia, sunt contraria mutuo se expellentia» [1]. Quibus addendum est *tertium* quod est ratio ceterorum, scilicet contraria esse «quae maxime distant in eodem genere» [2]; et ideo Tullius Cicero ex hoc uno tertio definit contraria, dicens: «contrarium est quod, positum in genere diverso ab eodem cui contrarium esse dicitur, *plurimum distat*, ut frigus calori, vitae mors» [3]. Ergo totalis aequalitas univocorum et totalis inaequalitas aequivocorum se mutuo excludunt ab eadem definitione analogiae et ab eodem definito analogo.

229. *Neque potest esse totalis ex una parte et partialis tantum ex alia*: sive sumamus *totam* rationem univocationis et *partem* tantum rationis aequivocorum, sive ex adverso accipiamus *totam* rationem aequivocationis purae et *partem* tantum univocationis.

Quod quidem ostenditur duplici ratione. *Prima* sumitur ex medio *proprio*, idest ex ipsa oppositione inter rationem significatam per nomen univocum et rationem importatam per nomen pure aequivocum. Oppositio enim contrarietatis, quae viget inter rationes significatas per huismodi nomina, sumenda est non tam ex parte *rerum* contrariarum, scilicet aequalitatis et inaequalitatis, quam ex parte *modi* sive *rationis* earum, nimirum *totalitatis*

---

1 *In II de Caelo et Mundo*, lect. 10, n. 3.
2 II-II, 21, 3 ad 2; *I Perih.*, lect. 11, n. 6.
3 Tullius Cicero, *I de Invent. Rhetorica*, cap. 28, t. I, p. 30.

utriusque: siquidem *materiale* in hac oppositione est aequalitas et inaequalitas, *formale* vero est totalitas aequalitatis et inaequalitatis; quia per hanc *totalitatem*, quasi per ultimam differentiam, trahitur quasi genus aequalitatis et inaequalitatis ad speciem aequalitatis univocorum et ad speciem inaequalitatis aequivocorum. Non enim de essentia rationis significatae per nomen univocum est aequalitas quaecumque, sed *totalis et absoluta*; sicut de essentia rationis significatae per nomen pure aequivocum non est quaecumque inaequalitas, sed *absoluta et totalis*. Consequenter, oppositio contrarietatis inter has rationes non est qualiscumque, sed *totalis et absoluta*; hoc in sensu, quod aequalitas univocorum opponitur inaequalitati aequivocorum non solum *tota* sed et *totaliter*.

Atqui de ratione contrarie oppositorum est mutuo se excludere ab eadem definitione et ab eodem definito sicut et ab eodem subiecto; et quidem secundum modum talis contrarietatis, quia in his quae sunt per se sicut se habet simpliciter ad simpliciter ita se habet tale ad tale [1]. Quando ergo rationes contrariae opponuntur non solum *totae* sed et *totaliter*, ab eadem definitione et definito excludi debent nedum *totae* sed et *totaliter*. Hoc igitur modo excluduntur ab eadem definitione analogiae et ab eodem analogo definito ratio aequalitatis univocorum et ratio inaequalitatis aequivocorum, nempe *totae* et *totaliter*, sicut *totae* et *totaliter* opponuntur contrarie.

Quo fit ut, semel participata *tota* ratione univocorum, *nihil* rationis aequivocorum, simul participari possit; ac vicissim, semel participata tota ratione aequivocorum, *nihil* univocorum possit simul participari: quando enim aliquid excluditur nedum *totum* sed et *totaliter*, *nihil* eius, idest nec totum nec pars, amplius manere potest.

Nimirum, si quid inaequalitatis participaretur ab aequalitate totali, eo ipso aequalitas desineret esse totalis; ac vicissim, si quid aequalitatis participaretur ab inaequalitate totali, ipso facto inaequalitas non esset amplius

---

[1] *III Contra Gent.*, cap. 139, § Non est autem simile.

totalis. Quantum enim aequalitas susciperet de inaequalitate, tantum ei de aequalitate deesset; et vicissim, quantum inaequalitas de aequalitate participaret, tantum amitteret de inaequalitate. *Totum* siquidem nominat *omne*[1]: porro «qui *omnia* dicit, *nihil* excludit»[2].

230. *Secunda* ratio procedit ex medio *analogico*, nempe ex proportione quae viget inter talem modum participationis et duas propositiones contradictorias.

Ita enim se habent participatio totalis rationis univocorum et participatio partialis rationis aequivocorum; vel ex adverso, participatio totalis rationis aequivocorum et participatio partialis rationis univocorum; sicut se habent duae propositiones contraditoriae, scilicet una universalis affirmativa et alia particularis negativa, vel e contra una universalis negativa et alia particularis affirmativa[3]. Universale siquidem se habet ad particulare sicut totum ad partem; aequalitas vero ad inaequalitatem, sicut affirmatio ad negationem. Totalis ergo participatio aequalitatis univocorum se habet ad participationem partialem inaequalitatis aequivocorum, sicut propositio universalis affirmativa ad propositionem particularem negativam; et vicissim, totalis participatio inaequalitatis aequivocorum se habet ad partialem participationem aequalitatis univocorum, sicut propositio universalis negativa ad propositionem particularem affirmativam.

Atqui duae propositiones contradictoriae non possunt simul esse, quia nequeunt esse simul verae nec simul falsae[4]; sed «in his quae sunt vere contradictoriae semper una est vera et altera falsa»[5].

---

[1] *In I de Caelo et Mundo*, lect. 2, n. 8.

[2] *In I Sent.*, d. 42, 2, 2 obi. 5.

[3] «Universali affirmationi contradictorie opponitur particularis negativa, et particulari affimativae universalis negativa» (*In I Perih.*, lec. 11, n. 4. Cf *ibid.*, n. 3; *in I de Caelo et Mundo*, lect. 27, n. 1).

[4] «Impossibile est contradictoria simul esse vera vel falsa» (*In I Perih.*, lect. 15, n. 3).

[5] *In I Perih.*, lect. 12, n. 6. «Semper necesse est quod una sit vera et altera falsa; neque enim contingit esse simul veras aut simul falsas» (*Ibid.*, lect. 11, n. 7).

Ergo similiter analogum non potest simul participare totam aequalitatem univocorum et partem inaequalitatis aequivocorum, neque totam inaequalitatem aequivocorum et partem aequalitatis univocorum.

231. *Remanet igitur ut unice verus tertius modus participationis, scilicet partialis ex utraque parte*; et sic medium analogiae necessario et essentialiter participat ambo extrema univocationis et aequivocationis purae secundum partem et partem hinc et inde, ita quidem ut eius ratio essentialiter sit partim aequalis et partim inaequalis, sicut essentialiter est partim eadem et partim diversa, partim similis et partim dissimilis [1]. Ut enim apposite scribit S. Bonaventura, «modus dicendi analogus... *partim* tenet de natura univoci, *partim* de natura aequivoci» [2]; quia ita «medium habet naturam extremorum» [3], ut neutrum neque alterutrum sit totaliter. Unde et mobile quod, dum actu movetur, medium essentialiter est inter terminum a quo et terminum ad quem motus, debet necessario esse partim in termino a quo et partim in termino ad quem, iuxta illud S. Thomae: «oportet quod illud quod movetur, totaliter non sit in altero terminorum [multoque minus in utroque simul], sed partim in uno et partim in altero» [4].

Hoc autem est aequivalenter dicere quod ratio significata per nomen est simul et essentialiter aequalis et inaequalis, non quidem aequalitate et inaequalitate absolutis et totalibus sed relativis tantum et partialibus, idest mere proportionalibus. Quo fit ut quemadmodum analogorum est similitudo dissimilis et dissimilis similitu-

---

[1] Cf. *supra*, hoc art. 2, § I et § II.
[2] S. BONAVENTURA, *In I Sent.*, d. 14, a. 1, q. 2c. Opera, ed. Quaracchi, t. I, p. 248a.
[3] S. THOMAS, *II Sent.*, d. 2, 1, 2, arg. 1 sed contra.
[4] I, 53, 1 ad 1

do[1], ita eorum sit aequalitas inaequalis et inaequalis aequalitas.

Iam vero ubicumque essentialiter est aequalitas et inaequalitas relativa sive mere proportionalis in ipsa communi ratione significata per nomen, ibi essentialiter est *gradatio* quaedam in eadem ratione communi, quae ideo necessario dicitur secundum magis et minus sive secundum prius et posterius de diversis tali nomine nominatis[2]. *Aequalitas* enim essentialiter importat *unitatem* quandam[3], quae ratio est *communitatis*; *inaequalitas* vero inclusa in ipsa aequalitate relativa essentialiter involvit *diversitatem sive pluralitatem* quandam in unitate et aequalitate, ideoque maius et minus sive prius et posterius.

Ergo ipsa ratio communis significata per nomen analogum est essentialiter ordinata secundum gradus maio-

---

1 Cf. *supra*, hoc art. 2, A, § II, pp. 358-359.

2 Gradatio namque duplici modo fieri potest: aut secundum prius et posterius, sicut in simplici ambulatione, qua veluti per passus gradimur; aut secundum superius et inferius, ut in ascensu et descensu, quibus scalam percurrimus. Et inde transfertur nomen ad significandam figuram rhetoricam, quae κλίμαξ seu gradatio dicitur (Cf. QUINTILIANUS, *Inst. Orat.*, lib. 9, cap. 3, nn. 54-57, ed. cit., t. III, pp. 414-416; Auctor *Rhetoricae ad Herennium*, lib. 4, cap. 25, inter opera supposititia Ciceronis, ed. cit., t. IX, p. 240; TULLIUS CICERO, *De Oratore*, lib. 3, cap. 6, t. I, pp. 374-375); sive simplex sit, ut est illud Tullii Ciceronis in Catilinam: «nihil *agis*, nihil *moliris*, nihil *cogitas*, quod ego non modo non *audiam*, sed etiam non *videam*, planeque *sentiam*» (*Oratio I in Catilinam*, cap. 3 in fine, ed. cit., t. V, p. 199); sive una cum verborum concatenatione, ut in illo APOSTOLI: «gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit» (*Rom.* 5, 3-5), ubi «quatuor per ordinem ponit» (S. THOMAS, *in h. l.*, lect. 1, ed. Marietti, p 68a), scilicet tribulationem, patientiam, probationem et spem; vel in illo QUINTILIANI: «Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria aemulos comparavit» (*Op. et loc. cit.*, n. 56, p. 415); aut in illo S. AUGUSTINI: «cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit adimadvertere, noluit punire; si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere» (*Enarratio secunda in Psalmum* XXXI, n. 9, ML. 36, 264).

3 Est enim «aequale, *unum* in quantitate» (*In IV Metaph.*, lect. 2, n. 561), et «aequalitas est relatio quaedam fundata supra *unitatem* quantitatis» (*In I Sent.*, d. 31, 1, 1c).

ris et minoris perfectionis sive prioris et posterioris secundum naturam in analogatis rationem illam participantibus seu communicantibus.

Quo in sensu, nomen aliquod praedicari de pluribus analogice, idem est ac de illis inaequaliter praedicari, inaequalitate tamen relativa, idest graduata et ordinata secundum magis et minus sive secundum prius et posterius: non quidem mere materialiter tantum vel secundum esse, sed formaliter vel secundum ipsam communem intentionem nominis.

Unde S. Thomas haec tria simul et vere docuit: et quod analoga dicuntur essentialiter secundum magis et minus, per contrapositionem ad modum quo univoca dicuntur aequaliter vel pariliter; et quod analoga praedicantur secundum prius et posterius, per contrapositionem ad modum quo univoca simulter praedicantur; et quod analoga dicuntur multiformiter sive multipliciter, per contrapositionem ad modum univocorum quae dicuntur uniformiter. Sicut enim se habent magis et minus ad aequale cui contradistinguitur, ita se habent prius et posterius ad simultaneum, et multiforme ad uniforme. Quo fit, ut quemadmodum aequaliter, pariliter, simulter et uniformiter eiusdem sunt significationis, ita etiam magis et prius minus et posterius, et utrinque dispariliter et multipliciter, eiusdem significationis sint [1]. Ideo S. Tho-

---

[1] Haec enim nomina: excedens et excessum, magnum et parvum, maius et minus, melius et peius, perfectius et minus perfectum, magis et minus, plus et minus, indicant species *inaequalitatis*. Ad rem S. THOMAS: «aequalitas est etiam medium secundum rem inter plus et minus» (*III Sent.*, d. 33, 1, 3, qla. 2, arg. 2 sed contra, n. 85); «aequalitas autem media est inter maius et minus» (*Ibid.*, qla. 1c, n. 92), «non est inconveniens quod duo contraria ad invicem contrarientur eidem, sicut magnum et parvum aequali» (*IV Sent.*, d. 42, 1, 1 ad 4); «aequale et commensurabile opponitur quodammodo duobus, scilicet excellenti et ei quod excellitur sive magno et parvo» (*In VIII Physic.*, lect. 15, n. 6); «...neque maius neque minus secundum dimensionem, sed aequale» (*In IV Physic.*, lect. 5, n. 8); «inaequalitatis autem sunt duae species, scilicet excedens et excessum, et magis et minus» (*In V Metaph.*, lect. 17, n. 1008); «dicimus aequale esse quod nec est maius neque minus» (*In X Metaph.*, lect. 7, n. 2069), sive «quod nec magnum nec parvum est» (*ibid.*, nn. 2.070-2.071); «aequale est medium

mas: «omnes species generum inveniuntur differre secundum perfectius et minus perfectum, et, per consequens ,secundum prius et posterius secundum naturam...; quia in quibuscumque invenitur unum alio melius, sem-

---

inter plus, quod pertinet ad superabundantiam, et minus, quod pertinet ad defectum» (*In II Ethic.*, lect. 6, n. 310); «aequale enim opponitur utrique, scilicet et ei quod est in plus et ei quod est in minus» (*In V Ethic.*, lect. 1, n. 896; cf. etiam lect. 6, n. 955; lect. 10, n. 992); et sic «medium est inter magnum et parvum» (*In IV Ethic.*, lect. 5, n. 837); «quia, secundum Philosophum in X Metaph., aequale dicitur quasi per negationem minoris et maioris» (I, 42, 1c): inaequale autem «est commune ad plus et minus» (*In V Ethic.*, lect. 1, n. 898), et ideo est «secundum plus et secundum minus» (*ibid.*, lect. 4, n. 993); «...non aequaliter..., sed secundum magis et minus» (*In II Sent.*, d. 9, 5 ad 3).

Cum hac tamen differentia, quod excedens et excessum, magnum et parvum, maius et minus, proprie dicuntur de speciebus inaequalitatis quantitatis *dimensivae*; dum magis et minus, plus et minus, melius et peius, perfectius et minus perfectum, dicuntur potius de speciebus inaequalitatis quantitatis *virtualis*, iuxta illud S. Augustini: «in his quae non mole magna sunt, hoc est maius esse quod melius esse» (*De Trinitate*, lib. VI, cap 8, n. 9. ML. 42, 929. Cf. I, 42, 1 ad 1; I-II, 53, 1c; *De Virtutibus in communi*, 11c). Ideo S. Thomas recte scribit: «in passionibus [=quantitatibus tertiae speciei], cum passio plus inest aut qualitercumque est excellens, dicitur *magis*, ut puta magis album vel magis sanum; in quantitate autem, cum fuerit excellens, dicitur *maius*, ut maius corpus aut maior superficies» (*In VIII Physic.*, lect. 8, n. 16). Cui omnino consonat id quod dicit Armandus de Belvezer, O.P. († 1340): «proprie loquendo, maius et minus convenit per se quantitati dimensivae, non autem quantitati virtuali, nisi per accidens; magis autem et minus non convenit nisi quantitati virtuali» (*Declaratio difficilium terminorum Theologiae, Philosophiae atque Logicae*, tract. II, cap. 260, p. 303. Venetiis, 1576).

Prius autem et posterius, sicut et simul cui contraponuntur, primo dicta sunt de relationibus quantitatis dimensivae tum per se (=loci) tum per accidens (=motus et temporis), ac dein extensa sunt analogice ad similes significandas relationes quantitatis virtualis sive perfectionis vel naturae. Ita, *simul* dictum est primo de *loco*, ut cum asserimus quod *contigua* sunt *simul*; nam «tangere se dicuntur quorum sunt ultima *simul* (*In V Physic.*, lect. 5, n. 2), quia «*proprie tangere* est habere ultima *simul*» (*In I Sent.*, d. 37, 3, 1c), et *contacta* sive contigua dicuntur «quorum ultima sunt *simul*» (*In VI Physic.*, lect. 1, n. 2; *in VII Physic.*, lect. 3, n. 1). *Separata* vero sive *distantia* vocamus ea quae non sunt simul, utpote non se contingentia in eodem loco, sed locis distinctis seorsum posita: et haec ordinamus secundum prius et posterius, distinguentes ea in propinqua sive proxima et remota; ac insuper, si de loco naturali potissimum agatur, distinguimus sex distantias binas et binas, nempe sursum et deorsum, ante et retro, detrorsum et sinistrorsum (*In V Physic.*, lect. 5, n. 2; *in IV Physic.*, lect. 1, n. 7; *in V Metaph.*, lect. 13, n. 938).

per illud quod est melius est prius secundum naturam», et id quod est peius est posterius [1].

232. Si ergo loquamur *formaliter*, idest secundum rationem, intentionem vel significationem nominis, dici

---

Et *inde* tam simul quam prius et posterius dicta sunt de *motu locali* per relationem ad simul et prius ac posterius quantitatis localis sive corporis locati quod movetur; et *consequenter* ad simul et prius ac posterius *temporis*, quo motus localis mensuratur. Ut enim profunde scribit S. Doctor, «sunt trium rerum ordines sese consequentes, scilicet magnitudinis, motus et temporis; nam, secundum prius et posterius in magnitudine, est prius et posterius in motu [locali] et secundum prius et posterius in motu [locali], est prius et posterius in tempore» (*In V Metaph.*, lect. 14, n. 19; *In I Sent.*, d. 8, 3, 3c ad 4).
Postmodum vero eadem nomina extensa sunt ad relationes quantitatis *virtualis* significandas. Et hoc modo distinguimus simul et prius ac posterius in diversis *causarum* habitudinibus cum diversi tum etiam eiusdem generis causae. Nam, inter causas per se ordinatas, ut sunt quatuor *genera* causarum, una est prior et alia posterior in causando; et sic prima omnium est causa finalis, dein causa efficiens, tertio causa materialis, tandem causa formalis: et in *eodem* genere causae datur prius et posterius in causando inter diversas causas per se *subordinatas. Simul* etiam causalitate dicuntur duae vel plures causae partiales tam efficientes quam finales concurrentes ad eundem effectum, sicut duo vel plures aequi trahentes currum, aut duo vel plures fines partiales operandi.

Et quia omnis vera cognitio intellectualis est secundum causas, *inde* dicimus aliqua esse simul *cognitione,* idest definitione vel divisione, ut correlativa in quantum huiusmodi sunt simul definitione, et species immediate dividentes genus sunt simul divisione; alia vero priora vel posteriora iuxta diversum genus vel diversum modum causae quo sunt cognoscibilia.

Tandem extenduntur ad ipsam rerum *naturam*: quo in sensu dicimus aliqua esse simul natura, alia vero priora vel posteriora. Nam et natura rei pendet ex propriis causis eius.

Tertio, multiforme contraponitur uniformi sicut multiplex uni (*De Verit.*, 5, 2, obi. 2-3 et resp.) vel diversitas identitati (II-II, 180, 6c et ad 2. Cf. etiam *I Sent.*, d. 37, 4, 1; *I Sent.*, d. 14, 4c; *De Verit.*, 8, 15 ad 3; *in librum Dionysii de divinis nominibus*, cap. 4, lect. 7, ed. Vives, t. 29, pp. 445-447; *in Psalm.* 26, n. 6, t. 18, p. 376b), iuxta illud S. THOMAE: «quae [=perfectio] in Deo simpliciter et uniformiter invenitur, in universitate creaturarum inveniri non potuit nisi difformiter et multipliciter» (II-II, 183, 2c); et illud: «hoc quidem *uniformiter*, hoc autem *multipliciter*; et hoc quidem in corpore, hoc autem incorporaliter» (*In librum de causis*, lect. 24, ed. Vives, t. 26, p. 561b).

Postremo, imparitas contraponitur paritati ut inaequalitas aequalitati (*In II Sent.*, d. 32, 2, 3 ad 2).

[1] *In III Metaph.*, lect. 8, nn. 438-439.

multipliciter sive diversimode secundum prius et posterius vel secundum magis et minus est proprium et constitutivum analogorum eorumque distinctivum ab univocis et a pure aequivocis, ut S. Thomas perpetuo docuit, quemadmodum videre est in textibus sequentibus.

233. *De fallaciis*:

«Secunda species [vel modus aequivocationis] est quando unum nomen *principaliter* unum significat et aliud *metaphorice vel transumptive*: sicut hoc verbum *ridet* principaliter significat actum hominis proprium, metaphorice autem sive transumptive significat prati floritionem... Et ad hanc speciem reducitur *multiplicitas* nominum *analogorum, quae dicuntur secundum prius et posterius*: sicut sanum dicitur aliquando de animali [per prius, et per posterius de] urina et diaeta»[1].

234. *De natura generis*:

«Ens [reale] genus non est, sed est de omnibus communiter praedicabile *per analogiam*»[2]; «dicitur enim ens de Deo et de creatura, sed *per prius* de Deo et *per posterius* de creatura»[3]. Et similiter de substantia et accidenti; «quia accidens est *imperfecta* pars entis, sed *perfecta* ratio entis in substantia reperitur»[4].

235. *De natura accidentis*:

«Sciendum est igitur quod ens non dicitur de accidente hoc nisi mediante substantia, de qua *per prius* dicitur; haec enim est *natura omnis analogi*, quod illud de quo *primo* dicitur erit in ratione omnium quae sunt *post*: sicut sanum, quod *prius* dicitur de animali quam de urina vel medicina, et ideo sanitas animalis cadit in definitione utriusque sanitatis. Urina enim dicitur sana in quantum est *signum* sanitatis in animali, et similiter

---

[1] *De fallaciis*, cap. 4, ed. cit., t. I, p. 199.
[2] *De natura generis*, cap. 1 in fine, ed. cit., t. I, p. 286.
[3] *Ibid.*, paulo antea, p. 285.
[4] *Op. cit.*, cap. 3 circa finem, p. 290.

medicina quae est *causa* sanitatis animalis. Per quem modum, cum ens dicatur *per prius* de substantia quam de accidente, ideo ratio entis in substantia necessario cadit in definitione entis in accidente: dicitur enim quantitas ens quia est *mensura* per se entis, idest substantiae; et qualitas quia est *dispositio* per se entis dicitur ens, et sic universaliter de aliis» [1].

236. *De principiis naturae*:

«Et ideo *ens dicitur per prius* de substantia et *per posterius* de aliis; et ideo ens non est genus [=univocum] substantiae et aliorum praedicamentorum, quia *nullum genus* [=nullum univocum] *praedicatur secundum prius et posterius de suis speciebus* [=univocatis], sed *ens praedicatur analogice*: et hoc est quod dicimus, quod substantia et quantitas differunt genere, sed sunt idem secundum analogiam» [2].

237. *De ente et essentia*:

«Quia ens *absolute et per prius* dicitur de substantiis et *per posterius et secundum quid* de accidentibus, inde est quod essentia *vere et proprie* est in substantiis sed in accidentibus est *quodammodo et secundum quid*» [3]. Et iterum: «ens *diversimode, secundum prius et posterius*, de decem generibus praedicatur; sicut dicitur quantitas ex eo quod est *mensura* substantiae, et qualitas secundum quod est *dispositio* substantiae, et sic de aliis» [4].

---

[1] *De natura accidentis*, cap. 1, ed. cit., t. I, p. 330.

[2] *De principiis naturae*, circa finem, ed. cit., t. I, p. 389.

[3] *De ente et essentia*, cap. 2, ed. L. Baur, pp. 14, 13-16; ed. Roland-Gosselin, p. 5, 1-5.

[4] *Op. cit.*, cap. 7, ed. L. Baur, p. 58, 18-22; ed. Roland-Gosselin, p. 46, 29-33, ubi textus sat differens habetur, nempe: «ens diversimode, secundum prius aut posterius, dicitur de decem generibus praedicamentorum; sicut dicitur quantitas secundum quod est mensura substantiae, et qualitas secundum quod dicitur dispositio substantiae, et sic de aliis». Lectio tamen L. Baur melior esse videtur, quae ceteroquin ex amussin respondet textui vulgato, ut videre est in ed. Venetiana 1519, fol 143b, et Piana (1569), fol. 34rb, quas sequuntur de Maria (ed. cit., t. I, p. 253), J. Sestilli (p. 33, Taurini 1926) et H. Laurent, O.P. (Taurini, 1934, p. 248).

238. *Scriptum super Sententiis, Lib. I.*

«Quaecumque conveniunt in uno genere *univoce vel analogice*, participant aliquid idem: *vel secundum prius et posterius*, sicut substantia et accidens rationem entis; *vel aequaliter*, sicut equus et bos rationem animalis»[1].

Item, «omnis natura quae invenitur in pluribus *secundum prius et posterius*, oportet quod descendat ab uno primo in quo perfecte habeatur; unitas enim principiati attestatur unitati principii: sicut omnis calor originatur ab uno calidissimo, quod est ignis. Sed *entitas invenitur in pluribus secundum prius et posterius*. Ergo oportet esse unum primum ens perfectissimum a quo omnia entia habent esse, et hic est Deus»[2].

Similiter, nomen *potentia* dicitur de potentia generandi et de potentia creandi «*non univoce sed secundum prius et posterius*; et potentia generandi erit prior secundum rationem intelligendi quam potentia creandi, sicut generatio est prior creatione»[3].

Praeterea, Deus est causa analoga creaturarum. Nam causa dicitur analoga «cum effectus et causa *aliquo modo conveniunt* in nomine et ratione, licet *secundum prius et posterius*: sicut Deus sua Sapientia facit nos sapientes, ita tamen quod sapientia nostra semper deficit a ratione Sapientiae suae, sicut accidens [deficit] a ratione entis secundum quod est in substantia»[4].

Eodem modo, scientia «*non* praedicatur *univoce* de Deo et de aliis, *sed secundum prius et posterius*», idest analogice[5]. Non tamen analogia duorum ad unum tertium summum quod superius et prius est, sed analogia unius posterioris et participati ad aliud unum primum et per essentiam quod imperfecte et diminute imitatur. Quod quidem ita explicat alio in loco: «scientia *analogice* dici-

---

1 *I Sent.*, prolog., 1, 2 obi. 2. Cf. ibid. resp.
2 *I Sent.*, d. 2, 1, arg. 1 sed contra.
3 *I Sent.*, d. 7, 1, 3c. Cf. *ibid.* obi. 4 et resp.
4 *I Sent.*, d. 8, 1, 2c.
5 *I Sent.*, d. 8, 4, 3 ad 1.

tur de Deo et creatura, et similiter omnia huiusmodi. Sed duplex est analogia. Quaedam secundum convenientiam in aliquo uno quod eis *per prius et posterius* convenit: et haec analogia non potest esse inter Deum et creaturam, sicut nec univocatio. Alia analogia est secundum quod *unum imitatur aliud quantum potest, nec perfecte ipsum assequitur*: et haec analogia est creaturae ad creatorem»[1]. Nam scientia *Dei non* est mensura *coaequata* scientiae nostrae, sed *excedens*; et ideo *non* sequitur quod sit *eiusdem rationis secundum univocationem, sed secundum analogiam*»[2].

Veritas etiam dicitur secundum prius et posterius de iudicio intellectus, et de signo eius quod est enuntiatio, et de causa ipsius quae est ipsum esse rei cognitae: sicut sanitas dicitur secundum prius et posterius de sanitate animalis, et de signis sanitatis eius quae sunt color, pulsus, alia, et de causis eius quae sunt cibus, calor, alia. «Ratio *veritatis per prius* invenitur in intellectu quam in re: sicut etiam calidum et frigidum et aliae causae sanitatis, sunt causa sanitatis quae est in animali, et tamen *animal per prius* dicitur *sanum*; et *signa* sanitatis et causa sanitatis dicuntur sana *secundum analogiam* ad sanum quod de animali dicitur. Unde dico quod *verum*

---

[1] *I Sent.*, d. 35, 4c. Nimirum, ut alibi clarius expendit, loquens de analogia entis realis: «in ente autem sic accepto duplex analogia reperitur. Dicitur enim ens de Deo et de creatura, sed per prius de Deo et per posterius de creatura; licet verius sit Deum esse super omne ens quam esse ens, sicut dicit Dionysius et Damascenus: propter hanc tamen analogiam non sequitur ens esse prius utroque, Deo scilicet et creatura, sicut prius est ens substantia et accidente de quibus analogice dicitur. Ad cuius evidentiam est sciendum quod quando tota ratio analogi reperitur in altero de quibus praedicatur, sicut tota ratio entis absolute in Deo reperitur, tunc non erit praedicatum prius utroque, cum praedicatum non excedat subiectum: cum vero tota ratio praedicati in neutro subiectorum est, necesse erit praedicatum prius esse et communius utroque subiecto; sicut tota ratio entis non salvatur in substantia quae est genus primum, cum ens divinum non includat» (*De natura generis*, cap. 1, ed. cit., t. I, p. 885, cf. etiam *in II Sent.*, d. 16, 1 obi. 3 et resp.). Deus enim est *Primum* Ens, et «ante primum non potest esse aliquid prius» (*In III Sent.*, d. 5, 1, 1, qla. 3, arg. sed contra, n. 21).

[2] *Ibid.*, ad 2. Cf. etiam *I Sent.*, d. 36, 1, 1c.

per prius dicitur de veritate *intellectus* [iudicantis], et de *enunciatione* dicitur in quantum est causa»[1]. Ideo «verum dicitur analogice de illis in quibus est veritas, sicut sanitas de omnibus sanis»[2]. Et quidem eo modo eaque ratione quibus aliquid analogice dicitur, dicitur quoque secundum prius et posterius, ut luculenter apparet in hoc textu celeberrimo: «aliquid dicitur secundum *analogiam* tripliciter:

Vel *secundum intentionem tantum* et non secundum esse; et hoc est quando una *intentio* refertur ad plura *per prius et posterius,* quae tamen non habent esse nisi in uno: sicut *intentio* sanitatis refertur ad animal, urinam et diaetam *diversimode, secundum prius et posterius*; non tamen secundum diversum esse, quia esse sanitatis non est nisi in animali.

Vel *secundum esse* [*tantum*] et non secundum intentionem; et hoc contingit quando plura *parificantur in intentione* alicuius communis sed illud commune *non habet esse eiusdem rationis in omnibus*: sicut omnia corpora *parificantur in intentione* corporeitatis; unde logicus, qui considerat *intentiones tantum,* dicit hoc nomen corpus de omnibus *univoce* praedicari: sed *esse* huius naturae *non est eiusdem rationis* in corporibus corruptibilibus et incorruptibilibus; unde quantum ad metaphysicum et naturalem, qui considerant res secundum suum *esse, nec* hoc nomen corpus nec aliquid aliud *dicitur univoce* de corruptibilibus et incorruptibilibus, ut patet X Metaph. ex Philosopho [=Aristotele] et Commentatore [=Averroe]

Vel *secundum intentionem et secundum esse*; et hoc est quando *neque parificantur in intentione* communi *neque in esse,* sicut ens dicitur de substantia et accidente; et de talibus oportet quod natura communis habeat aliquod *esse in unoquoque eorum de quibus dicitur, sed differens secundum rationem maioris vel minoris per-*

---

[1] *I Sent.*, d. 19, 5, 1c.
[2] *Ibid.*, art 2, obi. 1.

fectionis. Et similiter dico quod veritas et bonitas et omnia huiusmodi dicuntur *analogice* de Deo et creaturis: unde oportet quod, *secundum suum esse*, omnia haec in Deo sint et in creaturis, *secundum rationem maioris perfectionis et minoris*: ex quo sequitur, cum non possint esse secundum unum esse utrobique, quod sint *diversae veritates*»[1].

Nimirum analoga secundum intentionem tantum et non secundum esse, dicuntur secundum prius et posterius secundum intentionem tantum et non secundum esse; analoga secundum esse tantum et non secundum intentionem, dicuntur secundum prius et posterius sive secundum magis et minus perfectum secundum esse tantum et non secundum intentionem, in qua univocantur, idest parificantur vel coaequantur; analoga secundum intentionem et secundum esse simul, dicuntur secundum magis et minus perfectum sive secundum prius et posterius tam secundum rationem quam secundum esse, eo quod «*neque* parificantur in intentione communi *neque* in esse».

Ulterius: «quidquid dicitur de aliquibus *per prius et posterius*, magis proprie convenit ei de quo *per prius* dicitur; sicut ens *per prius* convenit substantiae quam accidenti. Sed quaedam sunt quae *per prius* dicuntur de Deo quam de creaturis: sicut paternitas, ut habetur Ephes. 3, 15: ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur: et eadem ratione bonitas, et cetera. Ergo videtur quod huiusmodi nomina etiam *magis proprie* dicantur de ipso quam de creaturis»[2]. Nam «quantum ad *rem* significatam, *per prius* est paternitas in Deo quam in creatura; sed quantum ad *modum* significandi per nomen quod est a nobis impositum, *per prius* creaturae convenit, et inde ad creatorem translatum est»[3].

Idem docet de nomine *persona*: «persona dicitur de

---

1 *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1.
2 *I Sent.*, d. 22, 2, arg. 1 sed contra. Cf. etiam a. 4c.
3 *I Sent.*, d. 34, expositio textus, in fine.

Deo et creaturis, non univoce nec aequivoce, sed *secundum analogiam*; et quantum ad *rem* significatam, *per prius* est in Deo quam in creaturis, sed quantum ad *modum* significandi est e converos: *sicut est etiam de omnibus aliis nominibus quae de Deo et creaturis analogice dicuntur*»[1]. Et paulo post: «hoc nomen *persona*, quantum ad *rem* significatam, *prius et verius* est in Deo quam in creaturis; sed, quantum ad *modum* significandi et impositionem nominis, familiarius convenit creaturis»[2]. Qua ratione «nomina personarum dicuntur et de divinis et de rebus creatis, *non quidem univoce sed secundum prius et posterius*; unde secundum alium modum est paternitas et filiatio in creaturis et in divinis»[3].

Similiter nomen *processionis* analogice dicitur de processione ad intra, qua una persona Trinitatis procedit ab alia, et de processione ad extra, qua creaturae procedunt a Deo: tum quia processio ad intra est aeterna, dum processio ad extra est temporalis; «aeterno autem et temporali nihil potest esse univocum»[4]: tum etiam quia «processio creaturarum *exemplatur* a processione divinarum personarum. Unde *per prius* dicitur principium respectu personae quam respectu creaturae»[5], sicut per prius dicebatur potentia generandi quam potentia creandi[6], nam potentia «in ratione sua principium includit»[7].

Liber II. «Omnis forma vel natura, quae recipitur in diversis gradibus potentiarum, recipitur *secundum prius et posterius secundum esse*. Impossibile est autem naturam *speciei* communicari ab individuis *per prius et posterius, nec secundum esse nec secundum intentionem* quamvis hoc [=secundum esse tantum et non secundum intentionem] sit possibile in natura *generis*, ut dicitur

1 *I Sent*., d. 25, 2c.
2 *I Sent*., d. 34, q. 2c.
3 *Ibid*., ad 3.
4 *I Sent*., d. 29, 2, qla. 1, arg. 1 sed contra.
5 *Ibid*., qla. 2c.
6 Cf. *I Sent*., d. 7, 1, 3c.
7 *I Sent*., d 34, q. 2c.

in III Metaphysicorum»[1]; quia genus est analogum secundum esse, licet sit univocum secundum intentionem[2], ut explicat alio in loco, dicens: «*genus* praedicatur *aequaliter* de speciebus quantum ad *intentionem*[3], sed *non* semper quantum ad *esse*, sicut in figura et numero, ut in III Metaph. dicitur; *sed hoc in speciebus non contingit*»[4].

Et iterum: «omne quod convenit aliquibus *secundum* prius et posterius, non convenit eis secundum eandem rationem», idest univoce[5].

Praesertim vero quando scribit: «secundum quod aliqua habent esse, possunt definiri, ut in VII Metaph. dicitur; unde, quia *ens per prius* de substantia dicitur quae *perfecte* rationem entis habet, ideo nihil *perfecte* definitur nisi substantia: accidentia autem, sicut *incomplete* rationem entis participant, ita et definitionem absolutam non habent, quia in definitionibus eorum ponitur aliquid quod est extra genus eorum, scilicet subiectum ipsorum. Similiter etiam, cum ens *quodammodo* dicatur de privationibus et negationibus, ut in IV Metaph. dicitur, earum etiam potest esse aliquis modus definitionis *incompletissimus*, qui est quasi exponens nominis significationem, non essentiam indicans quam nullam habent»[6].

Et infra: «*ens* invenitur in pluribus *secundum prius et posterius*. Illud tamen *verissime et primo* dicitur ens, cuius esse est ipsum quod est; quia esse eius non est receptum, sed per se subsistens. In omnibus autem quae *secundum prius et posterius* dicuntur, primum eorum quae sunt, potest esse causa; et per se dictum, est causa eius quod per participationem dicitur: et ideo oportet quod illud ens, quod non per participationem alicuius esse quod sit aliud quam ipsum, dicitur ens quod pri-

---

1 *II Sent.*, d. 3, 1, 4c. in fine.
2 Cf. *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1.
3 «Omne genus univoce et aequaliter praedicatur de suis speciebus» (*II Sent.*, d. 3, 1, 5 obi. 3).
4 *II Sent.*, d. 3, 1, 5 ad 3.
5 *II Sent.*, d. 15, 4, 2 obi. 2, quam concedit in hac parte.
6 *II Sent.*, d. 35, 2 ad 1.

mum inter entia est, sit causa omnium aliorum entium. Alia autem entia dicuntur *per posterius*, in quantum aliquod esse participant, quod non est idem quod ipsa sunt; et haec procedunt usque ad ultima entium, ita quod quancumque rationem essendi aliquid habeat, non sit sibi nisi a Deo»[1].

Similiter nomen, *malum*, dicitur *analogice* de malo culpae et de malo paenae: «malum *per prius* de culpa dicitur quam de paena, et *magis* culpae quam paenae ratio mali convenit...; quia *prior* est recessus a fine in culpa quae rationem mali habet secundum quod ab *operante* exit, quam in paena quae rationem mali habet secundum quod in *patiente* efficitur defectus quidam per aliquam actionem vel eiusdem vel alterius»[2]. Et insuper ex eo «quod quidquid invenitur in causa et causato, *per prius* est in causa quam in causato. Unde, cum hoc nocumentum, quod est paena, sit per culpam inductum, ratio nocuitatis *prius* invenitur in culpa quam in paena, quamvis paena sit ipsum nocumentum: quia hoc ipsum quod paena nocumentum est, a nocuitate culpae procedit»[3].

Quin etiam malum culpae sive peccatum dicitur analogice, idest per prius et posterius, de culpa mortali, de culpa veniali et de culpa originali. «Peccatum *non* dicitur *univoce* de omnibus generibus peccatorum, *sed per prius de peccato actuali mortali*, a quo peccatum *veniale deficit* ex hoc quod *non omnino a fine deordinat, sed aliquo modo a fine retardat*, ordine ad finem salvato: unde deficit ex parte illa ex qua peccatum *formaliter* rationem *mali* habet. *Originale* autem *deficit* ab eo ex parte ipsius substantiae actus. Actuale enim mortale est voluntarium voluntate *propria* illius in quo est, sed originale est voluntate *alterius*: unde deficit ex parte illa ex qua peccatum habet rationem *culpae*. Et ideo non oportet quod definitio peccati in genere conveniat nisi illi peccato in quo

---

1 *II Sent.*, d. 37, 1, 2c.
2 *II Sent.*, d. 37, 3, 2c.
3 *Ibid.*, ad 5.

perfecte ratio generis invenitur. Potest autem et definitio peccati in genere eis *secundum quid* convenire, sicut et ratio generis in eis *per posterius* invenitur»[1].

Et alibi uberius: «divisio peccati in mortale et veniale *non* est *univoci* divisio, quia sic mortale et veniale dicerentur duae *species* peccatorum; *sed* est divisio *analogi*: et propter hoc dicuntur mortale et veniale esse *genera* peccatorum, *quasi non communicantia unum genus*»[2]. Quod quidem amplius explicat, dicens: «duplex est modus dividendi commune in ea quae sub ipso sunt, sicut es duplex communitatis modus. Est enim quaedam divisio *univoci* in *species* per differentias quibus *aequaliter* natura generis in speciebus participatur; sicut animal dividitur in hominem et equum, et huiusmodi. Alia vero est divisio eius quod est commune *per analogiam*, quod quidem secundum *perfectam* rationem praedicatur de uno dividentium et de altero *imperfecte* et *secundum quid*: sicut *ens* dividitur in substantiam et accidens, et in ens actu et ens in potentia. Et haec divisio est *quasi media inter aequivocum et univocum*: et talis divisio est peccati in mortale et veniale; quia ratio peccati *perfecte* in mortali invenitur, in veniali vero nonnisi *imperfecte et secundum quid*. Unde *minimum*, quod potest esse de ratione peccati in aliquo actu, est in veniali: sicut *minimum*, quod potest esse de natura entis, est in ente in potentia et in ente per accidens. *Et hoc ipsa nomina ostendunt*: quia *venia* non debetur peccato nisi secundum aliquam *imperfectionem* peccati habet; *mors* autem debetur peccato *in quantum peccatum* est: et ideo *mortale* peccatum, *perfectum* quid in genere peccati dicit; *veniale* autem, *imperfectum*»[3]. Itaque dicendum est «quod oppositio venialis et mortalis est *secundum perfectum et imperfectum*»[4].

---

1 *II Sent.*, d. 35, 2 ad 2.

2 *II Sent.*, d. 42, expositio primae partis textus, in fine. Cf. *ibid.*, q. 1, a. 3 ad 1.

3 *II Sent.*, d. 42, 1, 3c.

4 *Ibid.*, ad 3.

Analogiam vero inter peccatum mortale et peccatum originale evolvit egregie in *III Sent.* clarius distinguens duas peccati rationes, scilicet rationem specificativam *mali* et rationem reduplicativam *peccati*, quas breviter tetigerat in *II Sent.*[1]. Si ergo comparentur secundum rationem materialem et specificativam *mali*, tunc maius est peccatum originale quam actuale mortale; et ideo, specificative *ut malum*, per prius dicitur de originali et per posterius de actuali mortali. Sin autem comparentur secundum rationem formalem et reduplicativam *peccati*, idest *culpae*, sic maius est peccatum actuale mortale quam originale; unde specificative *ut peccatum*, per prius dicitur de actuali mortali quam de originali.

En verba S. Doctoris: «quantitas originalis et actualis mortalis potest *dupliciter* attendi: vel quantum ad principium, vel quantum ad bonum quod per utrumque privatur. *Principium* autem actualis peccati voluntas propria est: principium autem originalis in isto, est origo eius vitiata. Unde originale *quodam modo* est necessarium; sed actuale est *omnino* voluntarium: unde habet *plus* de ratione *culpae*. *Bonum* autem quod per peccatum actuale corrumpitur est bonum *huius* personae, cui *praeponderat* bonum *totius* naturae; quia bonum *gentis* est divinius quam bonum *unius hominis*, ut dicitur I Ethicorum: unde et originale *peius* erit quam actuale. Ut sic possit dici quod *actuale* est *magis culpa*; et *originale*, *magis malum*»[2].

Idem docet de *praedestinatione*, quae non univoce sed analogice dicitur de praedestinatione Christi et de praedestinatione nostra. Nam ratio praedestinationis sumitur ex parte termini *ad quem*, unde sumitur eius species. «Id autem *ad quod* est praedestinatio, non est unius rationis in Christo et in nobis; quia praedestinatio Christi est ad unionem in *persona*, praedestinatio autem nostra est ad unionem per *operationem* aut per habitum assimilantem:

---

[1] *II Sent.*, d. 35, 2 ad 2.
[2] *III Sent.*, d. 1, 1, 2 ad 6, nn. 43-44.

et hae duae uniones *non* sunt *unius rationis, sed* se habent *secundum prius et posterius, et perfectum et diminutum* [vel ut substantialis et accidentalis; nam unio in persona est substantialis, unio vero per operationem vel habitum est accidentalis]. Et ideo praedestinatio Christi et nostra *non est unius rationis secundum univocationem, sed secundum analogiam*» [1]: e contra, praedestinatio Petri et praedestinatio Pauli sunt eiusdem speciei, ideoque unius rationis secundum univocationem.

Eodem modo nomen *virtutis* cum dicitur de prudentia et de aliis virtutibus moralibus: «quando aliqua condividuntur, *aequaliter* recipientia communis praedicationem, [ut sunt species dividentes genus univocum], tunc unum non ponitur in definitione alterius; sed quando commune praedicatur de eis *per prius et posterius,* [ut est commune analogum], tunc *primum* ponitur in definitione *aliorum,* sicut substantia in definitione accidentium. Et propter hoc prudentia ponitur in definitione aliarum virtutum, in qua *per prius* bonum rationis et, per consequens, ratio virtutis invenitur; quia *prius* est quod est *per essentiam* quam quod est *per participationem*» [2].

Et paulo post: «ea quae dividunt aliquod commune *univocum, simul* sunt *quantum ad intentionem generis,* quamvis unum possit esse *causa* alterius quantum ad *esse* [et consequenter prius]: sicut motus localis est causa aliorum motuum contra quos dividitur. Sed ea quae dividunt aliquod commune *analogum,* se habent *secundum prius et posterius, etiam quantum ad intentionem comumnis quod dividitur*: sicut patet de substantia et accidente» [3].

Liber IV. Sacramentum dicitur analogice de sacramentis veteris et novae Legis. «Sacramentum, inquit, non dividitur per sacramenta veteris et novae Legis sicut genus per species, sed *sicut analogum in suas partes*: ut

---

1 *III Sent.*, d. 10, 3, 1, qla. 2, n. 117.
2 *III Sent.*, d. 33, 1, 1, qla. 2 ad 1, nn. 29-30.
3 *III Sent.*, d. 33, 2, 1, qla. 1 ad 2, nn. 139-140.

sanum in habens sanitatem et significans eam. Sacramel tum autem *simpliciter* est quod *causat* sanctitatem: quo autem *significat tantum,* non est sacramentum nisi s *cundum quid»* [1].

Et de divisione voti in commune et singulare ai «divisio illa, qua votum dividitur in singulare et coı mune, est divisio *analogi, quod praedicatur per prius posterius de suis dividentibus,* sicut ens de substantia accidente. Cum enim votum sit obligatio ex voluntate fa ta, necessitas autem voluntarium excludat, illud volitu quod nihil habet necessitatis dicitur *per prius* votuı quasi habens *complete* rationem voti: et hoc est votu singulare, quod est de illis ad quae non tenemur. Illı autem votum quod habet aliquid necessitatis, habet i *complete* rationem voti, et ideo dicitur *per posterius* v tum: et hoc est votum commune, quod est de his ; quae omnes tenentur, quorum est necessitas conditioı ta, non absoluta» [2].

Et ad obiectionem, quod «divisum debet *secundu eandem rationem* praedicari de dividentibus», respond «quod ratio illa procedit de divisione univoci: et ta non est haec» [3].

239. *Quaestiones disputatae de Veritate.*

Veritas dicitur analogice de *cognitione* vera, de vera, de *propositione* vera; et quidem per prius de (gnitione, et per posterius de rebus et de propositionibı nam de cognitione dicitur formaliter sicut de subie(proprio, de rebus dicitur fundamentaliter et materiali sicut de causa veritatis cognitionis, et de propositio bus sicut de signo eius; ac de ipsa cognitione dicitur] prius de cognitione perfecta et formata, quae est iu cium, et per posterius de cognitione imperfecta et inf mi quae est simplex apprehensio.

---

1 *IV Sent.*, d. 1, 1, 1, qla. 3 ad 5.
2 *IV Sent.*, d. 38, 1, 2, qla. 1c.
3 *Ibid.*, ad 1.

En verba S. Doctoris profundissima: «in illis quae dicuntur *per prius et posterius* de multis, non semper oportet quod id quod *per prius* recipit praedicationem communis sit *ut causa* aliorum, sed illud in quo *primo* ratio illius communis *completa* invenitur. Sicut sanum *per prius* dicitur de animali, *in quo primo perfecta ratio* sanitatis invenitur; quamvis medicina dicatur sana *ut effectiva* [=causa] sanitatis. Et ideo, cum verum dicatur de pluribus *per prius et posterius,* oportet quod in illo *per prius* dicatur in quo invenitur *perfecta ratio* veritatis. *Complementum* autem cuiuslibet motus est in suo *termino*: motus autem *cognitivae* virtutis *terminatur* ad *animam*: oportet enim ut cognitum sit *in cognoscente* per modum cognoscentis» [1]. Et ideo «verum dicitur *per prius* de *intellectu,* et *per posterius* de *re* sibi adaequata» [2].

Rursus, «*sicut* verum *per prius* invenitur in *intellectu* quam in *rebus, ita* etiam *per prius* invenitur in actu intellectus componentis et dividentis quam in actu intellectus *quidditates* rerum formantis. Veri enim *ratio* consistit in *adaequatione* rei et intellectus: idem autem non adaequatur sibi ipsi, sed aequalitas diversorum est. Unde ibi *primo* invenitur *ratio* veritatis ubi *primo* intellectus incipit aliquid *proprium* habere quod res extra animam non habet, sed aliquid ei *correspondens,* inter quae *adaequatio* attendi potest.

Intellectus autem formans *quidditates* non habet nisi *similitudinem* rei exsistentis extra animam, sicut et *sensus* in quantum accipit speciem rei sensibilis: sed, quando incipit *iudicare* de re aprehensa, tunc ipsum *iudicium* intellectus est quoddam *proprium* ei, quod non invenitur extra in re; sed, quando adaequatur ei quod est extra in re, dicitur *iudicium verum* esse, Tunc autem *iudicat* intellectus de re apprehensa quando *dicit* quod aliquid est vel non est: quod est intellectus *componentis vel dividentis*: unde et Philosophus dicit VI Metaph. quod com-

---

1 *De Verit.,* 1. 2c.

positio et divisio est in intellectu, et non in rebus. Et inde est quod veritas *per prius* invenitur *in compositione et divisione intellectus*, secundario autem dicitur verum et *per posterius* in intellectu formante *definitiones*. Unde *definitio* dicitur vera vel falsa *ratione compositionis verae vel falsae*: ut quando scilicet dicitur *esse* definitio eius cuius *non est*, sicut si definitio circuli assignatur triangulo; vel etiam quando partes definitionis *non possunt componi ad invicem*, ut si dicatur definitio alicuius rei animalis insensibilis: haec enim *compositio* quae *implicatur*, scilicet quod aliquod *animal* est *insensibile*, est falsa. Et *definitio non dicitur vera vel falsa nisi per ordinem ad compositionem*: *sicut et res dicitur vera per ordinem ad intellectum*.

Patet ergo ex dictis quod verum *per prius* dicitur *de compositione et divisione* intellectus; *secundo*, de *definitionibus* rerum, *secundum quod in eis implicatur compositio vera vel falsa*; *tertio*, de *rebus*, *secundum quod adaequantur intellectui divino, vel aptae natae sunt adaequari intellectui humano*: *quarto*, de *homine*, qui est electivus orationum suarum verarum vel falsarum, *vel* qui *facit aestimationem* de se vel de aliis veram vel falsam per ea quae *dicit vel facit*: *voces* autem eodem modo recipiunt veritatis praedicationem sicut intellectus quos *significant*» [1].

Quae cum ita sint, a primo ad ultimum, dicendum est quod «*veritas proprie* [=formaliter] invenitur *in intellectu* humano vel divino, *sicut sanitas* [invenitur proprie et formaliter] *in animali*; *in rebus* autem aliis invenitur *per relationem ad intellectum*, sicut et sanitas dicitur de quibusdam aliis in quantum sunt *effectiva vel conservativa sanitatis animalis*.

Ergo est in *intellectu divino* quidem veritas *proprie et primo*; in intellectu vero *humano proprie quidem et secundario*; in *rebus* autem *improprie* [=materialiter et *secundario*, quia *nonnisi per respectum ad alterutrum*

---

[1] *De Verit.*, 1, 3c.

duarum veritatum «divini vel humani intellectus: *per prius* tamen inest *rei* veritas *per comparationem ad intellectum divinum quam humanum,* cum ad intellectum divinum comparetur *quasi al causam*: ad *humanum* autem *quodammodo quasi ad effectum,* in quantum intellectus [humanus] *a rebus scientiam accipit»* [1]. «Unde *sicut* scientia in nobis est sigillatio rerum in animabus nostris, *ita* e converso formae rerum non sunt nisi quaedam sigillatio divinae scientiae in rebus» [2].

Quod autem dicitur de veritate, proportionaliter valet de verbo. Dicitur enim verbum analogice de verbo interiori sive mentis et de verbo exteriori seu oris; nam verbum mentis habet rationem signi *formalis,* dum verbum oris solum habet rationem signi *instrumentalis,* et quidem non naturalis sed *ad placitum.* Ideo S. Doctor scribit: «verbum interius *per prius* habet rationem significationis quam verbum exterius; quia verbum exterius non instituitur ad significandum nisi per interius verbum» [3], quod est eius causa efficiens et finalis [4].

240. *Summa contra Gentiles.*

Hoc in opere nervose ait: «*quod praedicatur de aliquibus secundum prius et posterius, certum est univoce non praedicari*; nam prius in definitione posterioris, includitur, sicut substantia in definitione accidentis quod est ens» [5]: sed analogice. «In huiusmodi autem *analogica* praedicatione ordo attenditur idem secundum nomen et secundum rem quandoque, quandoque vero non idem: nam ordo nominis sequitur ordinem cognitionis, quia est signum intelligibilis conceptionis. Quando igitur id quod est *prius* secundum *rem* invenitur etiam *cognitione prius,* idem invenitur prius et secundum nominis rationem et secundum rei naturam: sicut substantia est prior acci-

---

1 *De Verit.,* 1, 4c.
2 *De Verit.,* 2, 1 ad 6.
3 *De Verit.,* 4, 1 ad 7.
4 *Ibid.,* corp.
5 *I Contra Gent.,* cap. 32, arg. 6.

dente, *et natura,* in quantum substantia est causa acc dentis; *et cognitione,* in quantum substantia in definiti ne accidentis ponitur. Et ideo ens dicitur *prius* de sul stantia quam de accidente, et secundum rei naturam, (secundum nominis rationem. Quando vero id quod e: *prius* secundum *naturam,* est *posterius* secundum *cogn tionem,* tunc in analogicis non est idem ordo secundu rem et secundum nominis rationem: sicut virtus sanan quae est in sanativis, *prior* est *naturaliter* sanitate qu: est in animali, sicut causa effectu; sed quia hanc virt tem per effectum cognoscimus, ideo etiam ex effec nominamus. Et inde est quod sanativum est *prius* ordi rei, sed animal dicitur *prius* sanum *secundum nomin rationem*»[1].

241. *Expositio in decem libros Ethicorum ad Ni machum.*

«Ea in quibus invenitur *prius et posterius non* vid tur esse *unius ordinis,* et, per consequens, *nec aequali* unam ideam participare. Sed *in bonis* invenitur *prius posterius.* Quod manifestat ex hoc, quod bonum invenit in eo quod quid est, idest substantia, et similiter in q litate, et etiam in aliis generibus. Manifestum est aut quod illud quod est ens per seipsum, scilicet substant est naturaliter *prius* omnibus his quae non habent e: nisi in comparatione ad substantiam, sicut est quanti quae est mensura substantiae, et qualitas quae est dis sitio substantiae, et ad aliquid quae est habitudo subst tiae; et idem est in aliis generibus, quae omnia assi lantur propagini entis, idest substantiae, quae est *p cipaliter* ens, a qua propaginantur et derivantur om alia genera. Quae etiam in tantum dicuntur entia, in qu tum *accidunt* substantiae. Et ex hoc concludit quod potest esse quaedam communis [=univoca] idea bon

Ac revera, «*diversorum* praedicamentorum *non*

---

1 *I Contra Gent.,* cap. 34.
2 *In I Ethicorum,* lect. 6, n. 80.

una ratio communis; *nihil* enim *univoce* de eis praedicatur. Bonum autem, sicut et ens, cum convertatur cum eo, invenitur in quolibet praedicamento: sicut in quod quid est, idest substantia, bonum dicitur Deus in quo non cadit malitia, et Intellectus [=Intelligentia Separata, hoc est, Angelus] qui semper est rectus; in qualitate autem virtus, quae bonum facit habentem; in quantitate autem commensuratum, quod est bonum in quolibet quod subditur mensurae; in ad aliquid autem bonum quod est utile, quod est bonum relatum in debitum finem; in quando autem tempus, scilicet opportunum; et in ubi locus congruus ad ambulandum...; et idem patet in aliis generibus. Manifestum est ergo quod non est aliquid unum bonum, quod scilicet sit idea vel ratio communis univoca omnium bonorum: alioquin oporteret quod bonum non inveniretur in omnibus praedicamentis, sed in uno solo»[1].

242. *Expositio in duodecim libros Metaphysicae Aristotelis.*

«Ea, quae in hac scientia considerantur, sunt *omnibus communia, nec dicuntur univoce sed secundum prius et posterius de diversis*»[2].

Et sic «*definitio* dicitur *multipliciter*, sicut et *quod quid est*. Ipsum enim *quod quid est* uno modo significat substantiam et hoc aliquid; alio modo significat singula aliorum praedicamentorum, sicut qualitatem et quantitatem et alia huiusmodi talia. *Sicut* autem *ens* praedicatur de omnibus praedicamentis, *non* autem *similiter sed primum de substantia et per posterius de aliis praedicamentis*; *ita* et quod quid est *simpliciter* convenit substantiae, aliis autem alio modo, idest *secundum quid*»[3]. «Quapropter id quod dictum est de *definitione et quod quid est* in substantia et accidentibus, est manifestum: scilicet quod *quod quid erat esse primo et simpliciter* inest sub-

---

1 *Ibid.*, n. 81.
2 *In V Metaph.*, lect. 1, n. 749.
3 *In VII Metaph.*, lect. 4, n. 1.331.

stantiae, et *consequenter* aliis; non quidem ita qu aliis sit simpliciter *quod quid erat esse*, sed *quod qu esse* huic vel illi, scilicet quantitati vel qualitati. festum est enim quod oportet definitionem et *quo est* vel aequivoce praedicari in substantia et accide vel *addentes* et *auferentes* secundum *magis* et *min* secundum *prius* et *posterius*, ut ens dicitur de sub et accidente. Et *sicut* dicimus quod non-scibile est *secundum quid*, scilicet *per posterius*, quia de non hoc scire possumus quod non scitur; *sic* de non-e dicere possumus quia non est. Non enim est rectu *quod quid est et definitio* dicatur de substantia et a tibus *neque aequivoce neque simpliciter et eodem* idest *univoce*, [sed analogice]: sicut medicabile de diversis particularibus per respectum ad u idem, non tamen significat unum et idem de o de quibus dicitur, nec etiam dicitur aequivoce»[1].

243. *Expositio in duos libros Perihermeneias telis.*

«*Ens* non dicitur proprie aequivoce [aequivo pura], sed *secundum prius et posterius* [=ana unde *simpliciter* dictum intelligitur de eo quod *p* dicitur», scilicet de substantia, de accidenti vero per posterius et secundum quid[2].

244. *Quaestiones disputatae de Malo.*

«Quod dicitur de aliquo *formaliter*, *verius* co quam quod dicitur de aliquo *causaliter*: sicut *v* citur sanum animal quam medicina»[3]; et sic m citur verius et per prius de malo culpae quam paenae, quia «malum *non* dicitur de culpa *solu liter, sed etiam formaliter*, et *principalius* quam na»[4], nam maiori et meliori bono opponitur, (

---

1 *Ibid.*, nn 1336-1337.
2 *In I Periherm.*, lect. 5, n. 19.
3 *De Malo*, 1. 5 obi. 8, Cf. obi. 7.
4 *Ibid.*, ad. 7.

bonum honestum, dum malum paenae solum opponitur bono delectabili [1].

Insuper, «quando aliquid secundum *analogiam* dicitur de pluribus, de illo videtur *prius* dici quod magis est famosum tale»; et hoc modo dicitur malum de culpa, secundum rei veritatem, licet quoad impositionem nominis ex parte imponentis prius fuerit nominatum malum paenae quam malum culpae. Nam «aliquod nomen dicitur *per prius* de uno quam de alio dupliciter: uno modo, quantum ad *nominis impositionem*; alio modo, quantum ad *rei naturam*: sicut nomina dicta de Deo et creaturis, quantum ad nominum impositionem *per prius* dicuntur de creaturis; quantum vero ad *rei naturam per prius* dicuntur de Deo, a quo in creaturas omnis perfectio derivatur.

Et similiter, nihil prohibet quin malum *per prius* dicatur secundum nominis impositionem de paena, *posterius* vero secundum rei veritatem» [2]; et ex adverso, malum culpae dicatur per prius secundum rei veritatem sive ex parte rei cui nomen imponitur, licet per posterius dicatur secundum impositionem nominis ex parte imponentis [3].

Eodem iure malum culpae dicitur analogice, idest per prius et posterius, de peccato mortali et de peccato veniali. Etenim «duplex est divisio: una, qua dividitur genus *univocum* in suas species quae *ex aequo* participant genus, sicut animal in bovem et equum; alia est divisio communis *analogi* in ea de quibus dicitur *secundum prius et posterius*, sicut ens dividitur per substantiam et accidens et per potentiam et actum: et talis ratio communis *perfecte* salvatur in uno, in aliis autem *secundum quid et per posterius*; et talis est divisio peccati per veniale et mortale. Unde... definitio peccati *perfecte* quidem convenit peccato mortali, et *secundum quid* peccato venia-

---

1 *Ibid.*, arg. 3 sed contra.
2 *De Malo*, 1, 5 obi. 19 et resp.
3 *Cf. De Verit.*, 4, 2 ad 8 et 11.

li»[1]: nam «veniale est differentia *diminuens* de *rati* peccati, et talis differentia invenitur in omnibus q participant aliquod commune *imperfecte et secund quid*»[2].

245. *Summma Theologica.*

«*Bonum* non dividitur in ista tria, [scilicet honest utile et delectabile] sicut *univocum aequaliter* de eis p dicatum, sed sicut *analogum* quod praedicatur *secund prius et posterius*; *per prius* enim praedicatur de ho to, et *secundario* de delectabili, *tertio* de utili»[3].

Similiter *verum* dicitur per prius et posterius, i analogice, de veritate intellectus, de veritate rei et de v tate enunciationis. «Ad cuius evidentiam sciendum quod quando aliquid praedicatur *univoce* de multis, il *in quolibet eorum secundum propriam rationem* [for liter] *unvenitur*: sicut animal in qualibet specie ani lis. Sed quando aliquid dicitur *analogice* de multis, il invenitur *secundum propriam rationem in uno eo* de animali et urina et medicina, non quod sanitas sit *tantum*, a quo alia denominantur: sicut sanum dic in animali tantum, sed a sanitate animalis denomin medicina sana in quantum est sanitatis effectiva, et u in quantum est illius sanitatis significativa; et qua sanitas non sit in medicina neque in urina, tame utroque est aliquid per quod illud quidem facit, i autem significat sanitatem. Dictum est autem [a. 1] q veritas *per prius* est in intellectu et *per posterius* i bus»[4]. Nam, «licet veritas intellectus nostri a re caus non tamen oportet quod in re per prius inveniatur r veritatis, sicut neque in medicina *per prius* invenitu *tio* sanitatis quam in animali: *virtus* enim medici *non sanitas* eius, *causat sanitatem* [animalis], cum

---

1 *De Malo*. 7, 1 ad 1.
2 *Ibid.*, ad 2. Cf. etiam ad 7.
3 I, 5, 6 ad 3.
4 I, 16, 6c.

sit agens univocum; *et similiter, esse rei, non veritas eius, causat veritatem intellectus*»[1].

Pariter, «veritas enuntiabilium non est aliud quam veritas intellectus: enuntiabile enim est in intellectu et est in voce. Secundum autem quod est in *intellectu,* habet *per se* veritatem [formaliter]; sed secundum quod est in *voce,* dicitur verum enuntiabile secundum quod *significat* aliquam veritatem intellectus, non propter aliquam veritatem in enuntiabili exsistentem sicut in subiecto: sicut urina dicitur sana, non a sanitate quae in ipsa sit, sed a sanitate animalis quam significat»[2].

Ita etiam nomina analogica quae de Deo et de creaturis *proprie* dicuntur, per prius conveniunt Deo quantum ad rem et rationem significatam per nomen, licet per prius conveniant creaturis quantum ad impositionem nominis et modum significandi[3]. Cuius ratio est, quia «in omnibus nominibus quae de pluribus *analogice* dicuntur, necesse est quod omnia dicantur per respectum ad unum, et ideo illud unum oportet quod ponatur in definitione omnium. Et quia ratio, quam significat nomen, est definitio, ut dictur in IV Metaph. necesse est quod illud nomen *primo* dicatur de eo quod ponitur in definitione aliorum, et *per posterius* de aliis secundum ordinem quo appropinquant ad illud primum vel magis vel minus: sicut sanum, quod dicitur de animali, cadit in definitione sani quod dicitur de medicina, quae dicitur sana in quantum causat sanitatem in animali, et in definitione sani quod dicitur de urina, quae dicitur sana in quantum est signum sanitatis animalis»[4]. Et hoc modo *paternitas* per prius dicitur de Deo quam de creaturis, secundum illud: «ex quo [Deo Patre] omnis paternitas in caelo et in terra nominatur»[5]. Nam «nomen generationis et paternitatis,

---

[1] I, 16, 1 ad 3.
[2] I, 16 ,7c.
[3] I, 13, 3c; 6c.
[4] I, 13, 6c.
[5] Ephes. 3 ,14. Quem in locum S. THOMAS adnotat: «nomen alicuius rei nominatae a nobis dupliciter potest accipi. Quia vel est expressivum aut significativum *conceptus intellectus,* quia voces sunt notae

sicut ea alia nomina quae proprie dicuntur in divinis, *per prius* dicuntur de Deo quam de creaturis quantum ad rem significatam, licet non quantum ad modum significandi»[1]. «Et eadem ratio videtur de nominibus aliis quae de Deo et creaturis dicuntur»[2], v. gr., bonitas, sapientia, vita[3].

E contra, «nomina quae *metaphorice* de Deo dicuntur, *per prius* de creaturis dicuntur [omnibus modis] quam de Deo, quia dicta de Deo nihil aliud significant quam similitudinem ad tales creaturas. *Sicut* enim *ridere* dictum de prato nihil aliud significat quam quod pratum similiter se habet in decore cum floret sicut homo cum ridet, secundum similitudinem proportionis; *sic* nomen leonis dictum de Deo nihil aliud significat quam quod Deus similiter se habet ut fortiter operetur in suis operibus sicut leo in suis. Et sic patet quod, secundum quod dicuntur de Deo, eorum significatio definiri non potest nisi per illud quod de creaturis dicitur»[4]. Et huius ratio est, quia «*per prius* dicitur nomen de illo in quo salvatur *tota ratio* nominis *perfecte* quam de illo in quo salvatur *secundum aliquid*: de hoc enim dicitur per similitudinem ad id in quo *perfecte* salvatur, quia omnia *imperfecta* sumuntur a *perfectis*. Et inde est quod hoc nomen *leo per prius* dicitur de animali in quo *tota ratio*

---

vel signa passionum vel conceptuum qui sunt in anima; et sic nomen *prius* est in creaturis quam in Deo: *aut* in quantum est manifestativum *quidditatis* rei nominatae exterius, et sic *prius* est in Deo. Unde hoc nomen paternitas, secundum quod significat *conceptionem intellectus* nominantis rem, sic *per prius* invenitur in creaturis quam in Deo, quia *per prius* creatura *innotescit* nobis quam Deus: secundum autem quod significat ipsam rem nominatam, sic *per prius* est in Deo quam in nobis, quia certe omnis virtus generativa in nobis est a Deo. Et ideo dicit: *ex quo* omnis paternitas in caelo et in terra nominatur, quasi dicat: *paternitas*, quae est in ipsis *creaturis*, est *quasi nominalis seu vocalis*; sed illa Paternitas *divina*, qua Pater dat totam naturam Filio absque omni imperfectione, est *vera* paternitas» (lect. 4, ed. Marietti, p. 40).

[1] I, 33, 2c.

[2] I, 13, 6, arg. sed contra.

[3] I, 13, 3c; 6c.

[4] I, 13, 6c.

leonis salvatur, quod *proprie* dicitur leo, quam de aliquo homine in quo invenitur *aliquid de ratione leonis*, ut puta audacia vel fortitudo vel aliquid huiusmodi: de hoc enim *per similitudinem* dicitur»[1].

Similiter *amor* praedicatur analogice de amore amicitiae et de amore concupiscentiae, quia haec amoris «divisio est *secundum prius et posterius*. Nam id quod amatur amore amicitiae, *simpliciter et per se* amatur; quod autem amatur amore concupiscentiae, *non simpliciter et secundum se amatur, sed amatur alteri. Sicut* enim *ens per se simpliciter* est *quod* habet esse [=substantia], ens autem *secundum quid* quod est in alio [=accidens]; *ita bonum*, quod convertitur cum ente, *simpliciter* quidem est quod *ipsam* habet bonitatem, quod autem est bonum *alterius* est bonum *secundum quid*: et, per consequens, amor quo amatur aliquid ut *ei* sit bonum, est amor simpliciter; amor autem quo amatur aliquid ut sit bonum *alterius* est amor *secundum quid*»[2].

Eodem modo *virtus* de quatuor virtutibus cardinalibus. «Quando genus *univocum* dividitur in suas species, tunc partes divisionis *ex aequo* se habent *secundum rationem generis*; licet *secundum naturam rei* una species sit principalior et perfectior alia, sicut homo aliis animalibus: sed quando est divisio alicuius *analogi* quod dicitur de pluribus *secundum prius et posterius*, tunc nihil prohibet unum esse *principalius* altero, *etiam secundum communem rationem*; sicut substantia *principalius* dicitur ens quam accidens. Et talis est divisio virtutum in diversa genera virtutum, eo quod bonum rationis *non secundum eundem ordinem* invenitur in omnibus»[3]. Nam

---

[1] I, 33, 3c.

[2] I-II, 26, 4c. Cf. etiam I, 60, 3c; *in librum Dionysii de divinis Nominibus*, cap. 4, lect. 9, ed. Vives, t. 29, pp. 451-452; lect. 10, pp. 456-457.

[3] I-II, 61, 1 ad 1. *Idem ordo* hoc in loco, ut patet ex contextu, nominat aequalitatem seu aequiparantiam. Ceterum, hic loquendi modus non semel occurrit apud S. Thomam, v. gr., quando scribit: «ponit [Dionysius] modum quo aequalia amant aequalia, et dicit quod coordinata, idest ea quae sunt *unius ordinis*, amant coordinata, idest *ae-*

«hoc bonum *essentialiter* quidem habet prudentia, qu est perfectio rationis; iustitia autem est huius boni f tiva, in quantum scilicet ad ipsam pertinet ordinem tionis in omnibus rebus humanis: aliae autem virtu sunt *conservativae* huius boni, in quantum scilicet n derantur passiones *ne abducant* hominem a bono rat nis. Et in ordine harum fortitudo tenet locum *prae puum*, quia timor periculorum mortis *maxime* est effic ad hoc quod hominem faciat *recedere* a bono ration *post* quam ordinatur temperantia, quia etiam delectat nes tactus *maxime* inter cetera impediunt bonum ratior Id autem quod *essentialiter* dicitur *potius* est eo qu dicitur *effective*; et hoc etiam *potius* est eo quod dici *conservative* secundum remotionem impedimenti. Un inter virtutes cardinales *potior* est prudentia, *secun* iustitia, *tertia* fortitudo, *quarta* temperantia; et *post* h ceterae virtutes»[1].

Tandem *malum* dividitur analogice de malo culp et de malo paenae, eo quod plus de ratione mali hal culpa quam paena, et ideo per prius dicitur malum culpa quam de paena[2]; et malum culpae analogice di ditur in peccatum mortale et in peccatum veniale. « visio peccati in veniale et mortale non est divisio *gene in* species quae *aequaliter* participant rationem gene sed *analogi* in ea de quibus praedicatur *secundum pri et posterius*. Et ideo *perfecta ratio* peccati quam Aug

---

qualia, communicative, idest in quantum communicant cum eis in specie vel in quocumque ordine» (*In librum Dionysii de divi Nominibus*, cap. 4, lect. 9, ed. Vives, t. 29, p. 452); et cum dicit bon amatum esse «*eiusdem ordinis* cum amante», quando scilicet amat non est superius neque inferius amante sed aequale (*Ibid.*, lect. p. 457); et cum asserit quod «*nihil* de Deo et rebus aliis praedica *eodem ordine* (=univoce, aequaliter), *sed secundum prius et posteri* (*I Contra Gent.*, cap. 32, arg. 6).

[1] II-II, 123, 12c.

[2] I, 48, 6. Quem in locum recte adnotat BAÑEZ: «divisio mali culpam et paenam est divisio *analogica*, sicuti divisio boni in hor tum et delectabile et utile; quia malum culpae est simpliciter omnibus modis malum, at paena est malum imperfectum et qu secundum respectu culpae» (*In I*, 48, 6, ed. Venetiis 1585, col. 697).

tinus ponit [in sua definitione] convenit peccato *mortali*. Peccatum autem *veniale* dicitur peccatum secundum *rationem imperfectam et in ordine ad peccatum mortale: sicut accidens* dicitur *ens in ordine ad substantiam, secundum imperfectam rationem entis*»[1].

246. *Compendium theologiae.*

Hoc in opere de novo repetit quod nomina communia Deo et creaturis non dicuntur univoce neque pure aequivoce, sed «*secundum analogiam, idest secundum proportionem ad unum.* Ex eo enim quod alias res *comparamus* ad Deum sicut ad suum Primum Originem, huiusmodi nomina, quae significant perfectiones aliarum, Deo *attribuimus.* Ex quo patet quod, licet quantum ad *nominis impositionem,* huiusmodi nomina *per prius de creaturis* dicantur, eo quod ex creaturis intellectus nomina imponens ascendit in Deum; tamen, *secundum rem significatam per nomen, per prius* dicuntur de Deo, a quo perfectiones descendunt in alia res»[2].

247. Idem etiam docuit saepissime S. Albertus Magnus, cuius liceat nonnulla tantum verba proferre. «Creatori et creaturae, inquit, nihil est commune univoce, nec etiam *per analogiam* talem quod idem participetur *per prius et per posterius* a creatore et creatura; quia creator nihil habet per participationem, sed per essentiam et substantiam: sed est ibi *communitas proportionis ad unum,* quod substantialiter *primo* convenit Creatori; ab illo autem, et *posterius* sub illo, et ad illud, convenit creaturae; sicut vita, sapientia et bonum conveniunt creatori et creaturae»[3]. Quando ergo res dividuntur in fruibiles et utibiles, haec divisio non est univoca neque pure aequivoca, sed analogica; eo quod divisum, ides bonum, membris dividentibus «*per prius et posterius* convenit, secundum determinatum modum *prioris et posterioris*»[4].

---

[1] I-II, 88, 1 ad 1.
[2] *Comp. theol.* I, P., cap. 27.
[3] S. ALBERTUS MAGNUS, *I Sent.*, d. 1, 8c, ed. cit., t. 25, p. 25a.
[4] *Ibid.*, ad 2 et 3.

Et alio in loco: «sicut pluries dictum est, *non* est aliquid *univocum* creaturae et creatori sicut *unius rationis* exsistens *in utroque, sed* convenire potest aliquid *secundum prius et posterius*. Sed, cum *prius et posterius* dicatur tripliciter, ut videtur Philosophus dicere in IV Primae Philosophiae, scilicet: vel quod participatur *fortiori et debiliori* differentia, ut ens de substantia et accidente; vel sicut in ordine ad actum efficientis qui *per se* est unius et alia *per aliud* appropinquante modo causalitatis efficientis, sicut medicus dicitur medicus per se et vetula imitando vel instrumenta medicinalia ut per quae exercetur actus; vel per diversum respectum ad finem unum, quia *uno modo per se* inducitur in univoco et *alia diversimode* operantur ad inductionem eius, sicut sanum in complexionantibus per se et urina sana quia indicans et diaeta sana ut conservans et medicina ut naturam coadiuvans. Cum, inquam, ita sit, nullo istorum modorum *analogia* est in Deo et creatura; sed hoc modo, quod ens et huiusmodi *per se substantialiter* sunt in Deo, et in creaturis *per aliud et participative*: et non ita quod Deus diversimode se habeat ad creata, vel ad aliquid unum ad quod se habeat Creator et creatura *per prius et posterius*, sicut patet in exemplis praehabitis; sed quia inferiora *diversimode* se habent ad Creatorem. Licet enim Primum uno modo se habeat ad omnia, secundum Dionysium et Philosophum, non tamen [haec omnia] uno modo se habent ad ipsum. Sic ergo penes hanc analogiam potest dici quod aliquid commune est Creatori et creaturae» [1].

Semper tamen «in istis nominibus, quae de Deo dicuntur [etiam proprie], est duo considerare, scilicet id *cui* imponuntur et *rationem impositionis*, quae est principium deveniendi in id quod significatur. Quantum igitur ad id *quod* significatur per nomen, *per prius* conveniunt Deo, in quo illud *primo* invenitur. *Ratio tamen impositionis familiarior* est nobis; *imponentes* enim haec no-

---

[1] *I Sent.*, d. 8, 7 ad 3, p. 229a.

mina respiciebant ad ea quae apud nos sunt: sicut *paternitas per prius* est in Deo quam in inferioribus, modus tamen significandi *magis* congruit inferioribus»[1]. Et eadem ratione nomen *persona* Deo et creaturis inferioribus «convenit *per prius et posterius*: et res quidem *per prius* est in Deo quam in inferioribus, secundum usum tamen nominis *per prius* est in inferioribus»[2].

Hac etiam de causa, hoc nomen, *aeternum,* non dicitur univoce de Deo et creaturis, sed analogice. «Dicitur enim *aeternum* duobus modis, per essentiam scilicet et per participationem. *Per essentiam* solus Deus aeternus est, et sibi proprium est esse aternum, et incommunicabile est hoc nomen aliis. *Participatione* autem dicitur aeternum esse quod aeternitatis aliquam proprietatem participat.

Participare enim dicitur aliquid *duobus modis,* scilicet *naturam aliquam communem secundum totam essentiam accipere,* et secundum ambitum suae potestatis ad partem suae communitatis determinare: et hoc modo species participat suum superius.

Alio modo dicitur *participare,* non naturam secundum veritatem essentiae accipere, sed *naturae proprietatem, et illam ad quendam modum essendi determinare*: et tale commune sic participatum a diversis nec univoce nec aequivoce dicitur de illis, sed *per analogiam,* sicut ens dicitur de substantia et accidentibus; et hoc modo participantia aeternitatem *per prius et posterius* dicuntur *aeterna*»[3].

Et idem dic de aliis nominibus quibus Deus *proprie* nominatur, ut ens, verum, bonum, pulchrum, sapiens, iustus[4].

---

1 *In librum Dionysii de Caelesti hierarchia,* cap. 2, § 7, dub. 1, solutio, ed. cit., t. 14, p. 43a.

2 *I Sent.,* d. 24, 2c, t. 25, p. 629a.

3 *Summa theol.,* I P., tract. V, q. 23, memb. 1, art. 2, partic. 1, ed. cit., p. 31, p. 173b.

4 *Summa theol.,* I P. tract. VI, q. 26, memb. 1, a. 1, pp. 232-234; tract. XIV, q. 59, memb. 2, p. 589.

Ad propositionem autem: quaecumque dividunt : quod commune, definiuntur *una ratione* data secund: nomen illud commune quod dividunt, respondet «qu hoc est verum de dividentibus *genus* commune [id univocum]; sed originale; veniale et mortale *non* d dunt peccatum *ut species genus dividit, sed sicut* ; *prius et posterius participantia ipsum,* sicut potentia actus dividunt ens: potentia enim nullam differenti positivam addit enti, sed addit ei modum quo dividi contra actum, contra quem non dividitur ens; sed ac dividit per differentiam constitutivam, et ideo partici secundum perfectionem. Et ita etiam, cum dividitur p catum per veniale et mortale et originale, veniale n addit aliquid super peccatum quod sit de esse pecc quia minimum in quo salvatur ratio peccati veniale e sed originale aliquid addit, sed id quod addit non est esse peccati sed potius facit ad diminutionem peccati, dit enim tractum ex natura et ex necessitate, et dimir peccatum; mortale autem addit id quod perficit e peccati, eo modo quo peccatum dici potest perfici. Et i patet quod, licet ista tria dividant peccatum, non tar suam essentiam participant *secundum idem*», idest aequo, sed secundum magis et minus sive secundum pı et posterius [1].

Ac specialiter inquirens «utrum peccatum *per un rationem* dicatur de mortali et veniali, vel *per prius posterius*», respondet quod «ista duo [scilicet aversi bono incommutabili et conversio ad bonum commut le] in una ratione non constituunt peccatum veniale mortale, sed sunt in eis *per prius et posterius,* sicut] catum praedicatur de eis *per prius et posterius*» [2]. Si liter de cultu latriae, hyperduliae et duliae ait quod nomen cultus sive pietas «dicitur multipliciter, et aequivoce nec univoce, sed secundum prius et posteri idest analogice [3].

---

[1] *II Sent.*, d. 35, 2 ad 1, t. 27, p. 563a.
[2] *II Sent.*, d. 42, 3 ad 1, p. 538.
[3] *III Sent.*, d. 9, 8c, t. 28, p. 178b.

Eodem modo quaestioni: utrum *secundum unam rationem* [=univoce] *votum* dicatur de voto communi et proprio; respondet «quod *secundum prius et posterius* dicitur votum de communi et singulari; et est divisio *analogi*, et non pure univoci» [1].

Quod quidem ostendit sequenti argumento: «quandocumque aliqua *in una ratione* participant genus, *unum non magis proprie* recipit praedicationem illius generis *quam aliud*. Sed votum singulare *magis priprie* recipit praedicationem voti. Ergo [votum] *non univoce* dicitur de voto communi et singulari.

Prima [=Maior] patet per se. *Secunda* [= Minor] probatur ex hoc, quod commune votum non est de voluntariis sed de necessariis; votum autem dicitur a voluntate» [2].

Et ad obiectionem: «quaecumque dividunt unum commune, illa sunt *unius rationis* in nomine illius communis», respondet: «divisio dicitur dupliciter. Quaedam enim dividunt commune *per differentias* quae sunt in illo communi potestate, et de illis est... propositio [obiecta]. Quaedam autem non dividunt ipsum proprie, sed dicunt *diversos modos* ipsius: et talia sunt *analoga* in nomine divisi, et talis divisio est hic» [3].

Addit autem de voto stultorum «quod illud minus habet inter tria de ratione voti; tamen *per posterius et non omnino aequivoce* accipit praedicationem voti» [4].

Pariter loquens de syllogismo et inductione, in quo dividitur ratiocinatio dialectica et appellari solent *species* eius, adnotat: «quae non ideo dicuntur species [proprie dictae] quod *ex aequo* dividant ratiocinationem dialecticam; quia syllogismus *per prius* participat nomen ratiocinationis dialecticae, et inductio *per posterius*. Sed ideo dicuntur species [large sumptae], quia sunt *modi*

---

1 *IV Sent.*, d. 38, 7c, t. 30, p. 406a.
2 *Ibid.*, arg. 1 sed contra, p 405b.
3 *Ibid.*, obi. 1 et resp. pp. 405a, 406a.
4 *Ibid.*, ad quaest., p. 406a.

eiusdem ratiocinationis *communitate analogiae dictae* (*ipsis*» [1].

Et alio in loco universaliter docet transcendentali utpote analoga, non dici aequaliter de diversis analogat sub eis contentis, ut dicuntur univoca seu praedicament sed secundum prius et posterius. «Sunt iterum, inqu quaedam non ad unum genus reducibilia, sed sunt in o nibus, sicut ens et unum et res et aliquid, quae dicunt non genera sed ut principia quaedam *per prius et pos rius* de generibus illis dicta. Et ista genera primae part dicuntur illorum [transcendentalium]; *et illa non aequ liter praedicantur de istis, sed secundum prius et pos rius dicta*; ita quod sunt in uno *recte et vere*, [scilic in substantia], et non in aliis nisi per analogiam et p portionem habitudinis, quia se habent ad unum prin pium» [2]. Nam, «cum ens praedicatur de substantia, v res, vel unum, vel aliquid, *non* praedicatur praedicatio *generis*, cum *non* sit *una ratione* praedicatum de his quibus praedicatur, *sed per prius et posterius*: et ta praedicantur praedicatione *principii, non generis*», substantia [3].

Licet autem omnes modi analogiae suscipiant prae cationem secundum prius et posterius [4], maxime tam hoc convenit analogiae unius ab uno, ita quidem ut ra significata per nomen sit in uno per essentiam et in a per participationem: hic enim modus analogiae prae cationis est per antonomasim praedicatio secundum pri et posterius. Ita enim scribit: «est alius modus ana giae, quo id quod praedicatur in uno est excellenter eminenter, et in aliis nonnisi ab illo, sicut ens eminent et excellenter est in substantia, in generibus autem ac dentium non est nisi quia sunt in substantia et a su

---

[1] *I Topic.*, tract. III, cap. 4, ed. cit., t. II, p. 273a.

[2] *De Praedicamentis*, tract. I, cap. 7, t. I, p. 164 ab. Cf. eti cap. 1, pp .151-152; *De Praedicabilibus*, tract. IV, cap. 3, p. 65a.

[3] *De Praedicabilibus*, tract. IV, cap. 3, p. 64b.

[4] *Summa theol.*, I P., tract. VI, q. 26, memb. 1, art. 1, ad quae t. 31, pp. 232-234.

stantia: et *hic modus consuevit vocari per prius et posterius.* Et hoc modo praedicatur bonum de Prima Causa boni et de bonis creatis quae bona sunt per participationem: Prima enim Causa *a se et secundum ipsam* bonum est, et essentia sua est bonitas sua, ut dicit Augustinus; bonum autem creatum *participatione* Primi Boni bonum est *et non a se,* et bonitas sua non est essentia sua» [1].

248. Ceterum, hic loquendi modus erat communis inter Magistros illius temporis, ut videre est in Alexandro Halensi et in S. Bonaventura.

Ita, exempli gratia, dicit Alexander Halensis: «aeternitas dicta de Deo, de angelo, de paena aeterna et de tempore [diuturno], dicitur *analogice, scilicet secundum prius et posterius*» [2]. Et iterum: «potentia non dicitur in Deo aequivoce cum dicitur de potentia generandi et intelligendi et creandi, sed *analogice, hoc est per prius et posterius* secundum rationem intelligendi» [3].

Rursus: «persona non dicitur communiter [communitate univocationis] de persona creata et increata, sed [communitate analogiae, idest] *per prius et posterius*». Licet ergo sit «aliquo modo» una ratio utriusque, «illa tamen ratio est communis, et dicitur *secundum prius et posterius* de Deo et de creaturis» [4].

Denique: «liberum arbitrium commune est Creatori et creaturae, non tamen dicitur univoce nec omnino aequivoce, sed *analogice,* scilicet *per prius et posterius; per prius* enim dicitur de Creatore, *per posterius* de creatura» [5].

Eodem modo S. Bonaventura: «ubi est *analogia,* ibi

---

1 *Ibid.,* p. 233a.

2 ALEXANDER HALENSIS, *Summa theologica,* lib. I, I P., inq. 1, tract. 2, q. 4, memb. 1, cap. 1, art. 2c, ed. Quaracchi, 1924, t. I, n. 57, p. 85b.

3 *Ibid.,* tract. 4, q. 1, memb 1, cap. 2c, n. 132, p. 243a.

4 *Op. cit.* P. II, inq. 2, sect. 1, q. 1, memb. 1, cap. 4, art. 1 ad 2, n. 388, p. 572b.

5 *Op. cit.,* Liber II, inq. 4, tract. 1, sect. 2, q. 3, memb. 3, cap. 1c, n. 402, t. 2, p. 479b.

est *prius et posterius*»[1]; «ubi autem est *analogia*, ibi est comparatio ad aliquid unum *secundum prius et posterius, maxime ubi est dicere proprie analogia*» [2]; et ideo communitas analogiae est «*secundum magis et minus, et prius et posterius*» [3]. Et sic peccatum non dicitur univoce de peccato mortali, veniali et originali, «sed *analogice*, quia in his [causa et effectu] non communicant *aequaliter, sed secundum prius et posterius*» [4].

249. Hanc vero terminologiam ex arabibus mutuo acceperunt Doctores Scholastici, nimirum ex Avicenna et Algazele.

Scribit enim Avicenna: «quamvis *ens*, sicut scisti, *non sit genus nec praedicatum aequaliter* de hiis quae sub eo sunt, *tamen est intentio in qua conveniunt secundum prius et posterius. Primum* autem est quidditati quae est in substantia, *dein* ei quae est *post ipsum*. Postquam autem una intentio est ens secundum hoc quod assignavimus, sequuntur illud accidentalia quae ei sunt propria, sicut supra docuimus; et ideo eget aliqua scientia in qua tractetur de eo, *sicut* omni sanativo necessaria est aliqua scientia» [5].

Et alibi: «dicam igitur quod unum dicitur *ambigue* de intentionibus quae sic conveniunt quod in eis non est divisio in effectu, in quantum unumquodque eorum est id quod est. Haec autem intentio est in eis *secundum prius et posterius*» [6].

---

[1] S. Bonaventura, *I Sent.*, d. 19, a. 1, q. 2, obi. 4, quam concedit ex hac parte.

[2] *III Sent.*, d. 34, II P., dub. 1 circa litteram, t. III, p. 768a.

[3] *II Sent.*, d. 13, a. 2, q. 2 ad 3, t. I, p. 321b.

[4] *II Sent.*, d. 35, dub. 3 circa litteram, p. 837b.

[5] Avicenna, *Metaphysica Avicennae sive eius Philosophia Prima optime castigata per Reverendum Sacrae Theologiae bachalarium fratrem Franciscum de Macerata, ordinis Minorum, et per excellentissimum Artium Doctorem dominum Antonium Frachantianum, vicentinum, Philosophiam legentem in gymnasio patavino*, impressa Venetiis per Bernardum Venetum, expensis viri Jeronymi Duranti, anno Domini 1495, die 26 martii: lib. II, cap. 1 post medium, sine numeratione foliorum.

[6] *Metaphysica*, lib. III, cap. 2, initio. *Ambiguum* apud arabos idem sonat ac *analogum* apud nos, analogia praesertim attributionis, ut

Item: «*sicut* ens et unum sunt de hiis quae sunt communia praedicamentis, scilicet *secundum prius et posterius*, similiter est hoc quod res habent quidditatem et definitionem; *non enim est in eis eodem ordine*. Substantia enim est cui *primo* datur sua definitio et *vere*: cetera vero, quoniam quidditas eorum pendet ex substantia vel ex substantiali forma, sicut iam definimus; formarum autem naturalium iam nosti dispositionem et figuram, et mensuram» [1]. E contra, «rationalitas praedicatur de rationalitate Socratis et Platonis univoce; sensus quoque praedicatur de auditu et visu univoce» [2].

Immo, «quamvis prioritas et posterioritas dicantur multis modis, tamen fortasse conveniunt in uno secundum *ambiguitatem*» [3].

Similiter Algazel: «Si autem quaeritur an esse dicatur de his decem [praedicamentis] univoce vel aequivoce, respondebimus quod nec univoce nec aequivoce» [4]. Et, postquam impugnat asserentes illud aequivoce praedicari, probat non esse univocum, scribens: «si autem dixerint, postquam non est aequivocum, sic ergo univocum hoc nomen esse ad decem, respondebimus quod nomen non dicitur univocum nisi quod convenit multis suis ap-

---

constat ex hoc textu Avicennae et ex lib. IV, cap. 1 statim citando; et ex textu Algazelis infra citando (*Metaphysica*, 1, 2, 4, p. 26, 9); et ex hoc textu AVERROIS: nomen, *bonum*, non dicitur de diversis bonis univoce neque pure aequivoce, sed «convenientius est ut nomen dictum de ipso sit ex speciebus participationis quae nominatur *ambiguitas*, si sit ut nomen *ambiguum* quod dicitur de rebus multis; *aut* quia veniunt omnino ab intentione una, *aut* quia tendunt ad finem unum, *aut* qua dicuntur de rebus multis consimilibus...» (*In I Ethic.*, cap. 6, Opera, ed. Venetiis, 1550, t. III, fol. 4). Merito ergo CAIETANUS dixit, loquens de analogis analogia attributionis, quod «*ambigua* apud arabos haec dicuntur» (*De nominum analogia*, cap. 2, n. 22, ed. cit., p. 22).

1 *Metaphysica* lib. V, cap. 5, circa medium.

2 *Op. cit.*, lib. V, cap. 6, paulo post initium.

3 *Op. cit.*, lib. IV, cap. 1, initio.

4 ALGAZEL, *Metaphysica*, I P., tract. I, div. 1, cap. 4, p. 20, 19-20, ed. J. J. Muckle, C.S.B. [=Algazel's Metaphysics a Medieval translation], Toronto 1933.

pellatis[1] *eodem modo, sine differentia potentiae et debilitatis et sine prius et posterius*; sicut animal homini et equo et sicut homo Petro et Joanni[2], non enim est uni eorum sine alio nec in uno fortius vel plenius quam in alio. Esse vero prius est substantiae, et deinde quantitati et qualitati mediante substantia; ceteris vero praedicamentis convenit esse mediantibus his duobus, quantitate et qualitate: sic ergo accidit eis *prius et posterius.* Diversitas autem potentiae et debilitatis est haec, quod esse nigredinis quod est dispositio permanens, non est sicut esse motus et permutationis et temporis quae non habent permanentiam: immo esse motus, temporis hylae [=materiae], debilius est quam esse aliorum.

Haec igitur decem conveniunt in esse uno modo et differunt in esse alio modo, et propter hoc sunt media inter aequivoca et univoca; et idcirco nomen huiusmodi quod est ens, vocatur nomen *ambiguum,* eo quod aptatur omnibus»[3].

250. At si *materialiter* loquamur, hoc est, secundum rem, secundum esse vel secundum meram nominis suppositionem, dici multipliciter secundum magis et minus sive secundum prius et posterius non est proprium et exclusivum analogorum, sed convenit etiam univocis: non quidem ut formaliter et reduplicative sunt univoca, sed ut specificative et materialiter participant modum aliquem analogorum; quia nimirum participant aliquo modo inaequalitatem analogorum, non sane secundum

---

1 In textu (Cod. Vat. lat. 4481) quem sequitur editor, legitur: *multis sensibus appellativis*; quod manifeste sensu caret. Ideo praetulimus lectionem Cod. Paris. Nat. lat. 6552, quam ipsemet editor refert inter variantes lectiones in Appendice B, pp. 216-217. Nam dictio: multis sensibus appellativis, correspondet phrasi l. 2 eiusdem paginae: diversis sensibus appellativis, quae in Cod. Parisiensi ita effertur: diversis suis appellatis. Patet autem quod phrasis: *multis* suis appellatis, aequivalet huic: *multis* suis univocatis, idest eodem nomine nominatis, sicut phrasis: *diversis* suis appellatis, dicta de nomine canis, aequivalet isti: *diversis* suis aequivocatis.

2 Textus editoris habet: et *vel* Joanni; quod tamen iure omittit Cod. Paris. Nat. R. 809, ut editor refert, p. 217.

3 *Metaphysica,* loc. cit., pp. 25, 26-35; 26, 1-10.

communem intentionem in qua univocantur sed secundum propriam suppositionem et realitatem in qua non univocantur. Quod quidem bifariam fieri potest. Uno modo, per se, secundum inaequalitatem formalem et quidditativam, respondentem differentiis specificis dividentibus genus et constituentibus species inaequales secundum rem intra idem genus divisum. Alio modo, quasi per accidens, secundum inaequalitatem mere materialem et individualem, respondentem differentiis mere individualibus intra eandem speciem atomam et fundantibus individua inaequalia eiusdem speciei. Prima inaequalitas non mutat genus, ideoque non impedit univocationem eius; at mutat species sub genere contentas, et consequenter impedit univocationem speciei, introducendo analogiam earum secundum rem. Secunda inaequalitas non mutat speciem, proindeque non impedit eius univocationem multoque minus univocationem generis, licet modum quendam diminutum analogiae realis fundet si illae differentiae individuales considerentur sub quadam indeterminatione respondente individuo vago: non tamen sub ratione essentiae et ordinis quidditativi, ut in priori inaequalitate, sed sub ratione exsistentiae et ordinis suppositalis, quatenus exsistentia est propria individuorum sive suppositorum. Non enim communitas individui vagi est communitas transcendentalis, quod est universale large dictum et analogum presse sumptum: sed communitas quaedam sui generis, quae non est communitas intentionis tantum sicut communitas univocorum; neque communitas intentionis et rei simul sicut communitas analogorum presse dictorum sive transcendentalium; sed communitas rei tantum sub quadam indeterminatione vel confusione, quae exprimitur per hoc quod dicitur individuum [=res] vagum [=indeterminatum, confusum]. Ideo S. Thomas, cum de nomine *persona* in communi seu indeterminate dixisset illud esse nomen rei tantum, non nomen intentionis neque nomen rei et intentionis simul [1], statim sub-

---

1 S. THOMAS, *I Sent.*, d. 25, 3c; *De Pot.*, 8, 2 ad 2; I, 30, 4c.

iungit: «ratio personae in quantum persona est, qu
vis non nominet intentionem, tamen est communis,
quod non dicit specialem rationem distinctionis [si
persona vel individuum signatum] sed generalem; si
etiam individuum vagum, aliquis homo, est aliquo m
commune, prout non dicit hanc vel illam rationem ind
duationis, sed individuationem tantum in commun
Quo fit, ut aequalitas speciei et inaequalitas individuo
est in linea suppositali: e contra, aequalitas generis
inaequalitas specierum sunt in eadem linea quidditat
licet illa sit secundum intentionem et haec secundum r

251. Et quia analogia proprie dicta respicit lin
quidditativam sicut et univocatio, non proprie lin
suppositalem [2], consequens est ut, proprie et stricte
quendo, analogia secundum esse tantum vel secund
rem et non secundum intentionem sit in linea quiddi
va tantum specierum inaequalium sub genere, non in li
suppositali individuorum inaequalium sub una spe
Quo in sensu rectissime dixit Báñez quod individua «
veniunt in una natura specifica, quae univoca est ad
inferiora non solum logice sed et physice loquendo, [i
secundum intentionem et secundum rem]; natura
generica, quamvis habeat univocationem logicam in
dine ad naturas specificas, habet tamen aequivocatio
[=analogiam] physicam propter diversas perfectic
specificas eorum quae continentur sub genere» [3].

252. Rationen huius doctrinae profundam dedi
Thomas cum scribit: «duplex distinctio invenitur in
bus. Una *formalis*, in his quae differunt *specie*. Alia
terialis, in his quae differunt *numero tantum*. Cum au
materia sit propter formam, distinctio materialis est p
ter formalem. Unde videmus quod in rebus incorr
bilibus non est nisi unum individuum unius speciei,

[1] *I Sent.*, d. 25, 3 ad 4.

[2] «Univocatio autem et aequivocatio non respicit suppositum
essentiam vel naturam, quam significat definitio» (*Quodlib.* III, 4 a

[3] Báñez, *In I*, 85, 7, Dubium unicum, ad 2, ed. Venetiis
col. 1482D.

species sufficienter conservatur in uno: in generabilibus autem et corruptibilibus sunt multa individua unius speciei, ad conservationem speciei. Ex quo patet quod principalior est distinctio formalis quam materialis.

Distinctio autem formalis semper requirit inaequalitatem; quia, ut dicitur in VIII Metaph., formae rerum sunt sicut numeri, in quibus species variantur *per additionem vel substractionem* unitatis. Unde in rebus naturalibus *gradatim* species *ordinatae* esse videntur: sicut mixta perfectiora sunt elementis, et plantae corporibus mineralibus, et animalia plantis, et homines aliis animalibus; et in singulis horum una species perfectior aliis invenitur» [1].

Et alibi clarius dicit quod haec distinctio formalis sive specifica «*sine graduum diversitate esse non potest*, quin talis divisio reducatur ad *privationem et formam*; et sic oportet quod altera formarum condivisarum sit *melior* et altera vilior» [2]. «Unde in formis differentia esse non potest nisi secundum quod una *perfectior* exsistit quam alia: propter quod Aristoteles, in VIII Metaph., definitiones, per quas naturae rerum et formae, assimilat numeris in quibus species variantur per *additionem vel substractionem* unitatis, ut ex hoc detur intelligi quod *formarum diversitas diversum gradum perfectionis requirit.*

Et hoc evidenter apparet naturas rerum speculanti. Inveniet enim, si quis diligenter consideret, gradatim rerum diversitatem compleri: nam supra inanimata corpora inveniet plantas, et super has irrationalia animalia, et super has intellectuales substantias; et in singulis horum inveniet diversitatem secundum quod quaedam sunt aliis perfectiora, in tantum quod ea quae sunt suprema inferioris generis videatur propinqua superiori generi et e converso, sicut animalia immobilia sunt similia plantis...

---

1 S. THOMAS, I, 47, 2c.
2 *II Contra Gent.*, cap. 44, arg. 8, Cf. etiam cap. 95, § scire oportet.

Unde patet quod rerum diversitas exigit quod *non* sint omnia *aequalia, sed* sit *ordo* in rebus *et gradus*»[1].

Quam veluti inductivam demonstrationem complet alibi hisce verbis: «in substantiis autem materialibus diversi gradus perfectionis naturae diversitatem speciei constituunt.

Et hoc quidem facile patet, si quis ipsa genera materialium substantiarum consideret. Manifestum est enim quod corpora mixta supergrediuntur ordine perfectionis elementa, plantae autem corpora mineralia, et animalia plantas.

Et in singulis generibus, secundum gradum perfectionis naturalis diversitas specierum invenitur. Nam in elementis terra est infimum, ignis vero nobilissimum; similiter autem in mineralibus gradatim natura invenitur per diversas species proficere usque ad speciem auri; in plantis etiam usque ad speciem arborum perfectarum; et in animalibus usque ad speciem hominis; cum tamen quaedam animalia sint platis propinquissima, ut immobilia, quae habent solum tactum; et similiter plantarum quaedam sunt inanimatis propinquae»[2].

253. Tandem fundamentum ultimum huius inaequalitatis aperit dicens: «formalis diversitas secundum *contrarietatem* est; dividitur enim genus in diversas species differentiis *contrariis.* In *contrarietate* autem *ordinem* necesse est esse; nam semper alterum contrariorum *perfectius* est»[3]. Et hoc ideo, «quia omnis contrarietas invenitur habere *privationem* alterius contrariorum: semper enim duorum contrariorum unum est *defectivum* respectu alterius»[4]. «Dicendum est igitur quod *contrarietas* differentiarum, quae est *in omnibus generibus,* attenditur *secundum communem radicem contrarietatis,* quae quidem est *excellentia et defectus,* ad quam oppositionem

---

1 *III Contra. Gent.*, cap. 97, post initium.
2 *Quaestio disp. de Anima*, 7c.
3 *Compendium theol.*, I P., cap. 72.
4 *In X Metaph.*, lect. 6, n. 2.054.

omnia contraria reducuntur...: *omnes enim differentiae dividentes aliquod genus, hoc modo se habent, quod una earum est ut abundans et alia ut deficiens respectu alterius...*; sunt enim formae diversarum specierum ab invicem differentes secundum excellentiam et defectum, in quantum una forma est nobilior alia»[1]. «Sicut enim in numeris unus est maior alio secundum propriam speciem —unde inaequales numeri secundum speciem differunt—, ita in formis tam materialibus quam a materia separatis una est perfectior alia secundum rationem propriae naturae, in quantum scilicet propria ratio speciei in tali gradu perfectionis consistit»[2].

254. Sic ergo magis et minus sive prius et posterius potest dupliciter intelligi. Uno modo, in ipsa forma vel intentione communi significata per nomen ut substantia et accidens in ratione entis; et tunc est proprium analogorum, quia mutat genus ideoque tollit omnem univocationem, iuxta illud S. Thomae: «quae differunt generibus generalissimis non univocantur in aliquo»[3]. Alio modo, citra formam vel intentionem communem importatam per nomen, ut substantia corporea et incorporea in ratione substantiae finitae, vel rationale et irrationale in ra-

---

1 *In V Physic.*, lect. 3, n. 5; «omnes enim formae substantiales differunt secundum magis et minus perfectum: unde in VIII Metaph. dicitur quod species rerum sunt sicut numeri, quorum species variantur secundum additionem et substractionem» (*In I de Generatione et Corruptione*, lect. 8, n. 5). Et alio in loco: «in unoquoque genere invenitur aliquid dupliciter, scilicet secundum perfectionem et imperfectionem. Sicut in genere substantiae unum est ut forma et aliud ut privatio; et in genere qualitatis hoc est quod est perfectum, ut album quod habet perfectum colorem, et hoc est ut nigrum quod est imperfectum in genere coloris; et in quantitate unum est perfectum quod dicitur magnum, et aliud imperfectum quod dicitur parvum; et in ubi in quo est locatio, idest motus localis, est sursum et deorsum, et grave et leve, secundum quod grave dicitur quod actu subsidet, et leve quod actu supereminet, et horum unum est ut perfectum et aliud ut imperfectum. Et ratio huius est, quia omnia genera dividuntur per contrarias differentias: contrariorum autem semper alterum est ut perfectum, alterum ut imperfectum» (*In XI Metaph.*, lect. 9, n. 2.292). Cf. etiam *De quatuor oppositis*, cap. 2, ed. cit., t. I, p. 177.

2 *De substantiis separatis*, cap. 7, Opuscula, ed. cit., t. III, p. 229.

3 *In I Sent.*, d. 9, 6 obi. 2, quam concedit.

tione animalis: et sic dici per prius et posterius non est proprium analogorum, sed convenit etiam univocis logice sumptis. At hoc ipsum potest rursus bifarie contingere: aut citra communem intentionem genericam, ut animatum et inanimatum in ratione substantiae corporeae; quo in casu magis et minus mutat quidem speciem, at non mutat genus, et consequenter non tollit univocationem logicam generis, licet inducat analogiam physicam vel metaphysicam inter species consideratas secundum rem: aut citra communem intentionem specificam speciei atomae, ut Titius et Sempronius in ratione hominis; et tunc magis et minus non mutat speciem neque ideo tollit ullo modo univocationem, cum non sit per se neque afficiat lineam quidditativam, quamvis per accidens et in linea suppositali permittere possit analogiam quandam physicam, non strcite metaphysicam, quia multiplicatio individuorum intra eandem speciem est propria substantiae corporeae sive physicae [1].

255. Insuper animadvertere iuvat magis et minus non mutans genus non stare in indivisibili, sed latitudinem magnam suscipere, a genere supremo usque ad genus infimum: maior enim est inaequalitas inter species supremas, puta inter corporeum et incorporeum, quam inter species subalternas, v. gr. inter sensitivum et insensitivum; et inter has, maior quam inter species infimas ex. gratia inter rationale et irrationale: immo, maior est inter rationale et irrationale quam inter duas species animalis irrationalis, verbi causa inter hinnibile et grunnibile.

Qua de causa S. Thomas, accipiens doctrinam Aristotelis iuxta quam ubicumque unum est melius et perfectius alio, semper prius est quod melius est [2], et ideo specierum sub uno genere semper una est perfectior alia

---

[1] Cf. *De natura generis*, cap. 5, ed. cit., t. I, pp. 292-293.
[2] ARISTOTELES, *II Metaph.*, cap. 3, n. 12 (II, 494, 12-13): ὅπου τὸ μὲ βέλτιον τὸ δὲ χεῖρον, ἀεὶ τὸ βέλτιον πρότερον.

eaque prior, secus ac individuorum sub una specie atoma quorum unum non est alio prius [1], scribit: «omnis forma vel natura quae recipitur in diversis gradibus potentiarum, recipitur secundum prius et posterius secundum esse; impossibile est autem naturam speciei communicari ab individuis per prius et posterius, neque secundum esse nec secundum intentionem, quamvis hoc sit possibile in natura generis, ut dicitur in III Metaphysicorum» [2].

Et paulo post: «genus praedicatur aequaliter de speciebus quantum ad intentionem, sed non semper quantum ad esse, sicut in figura et numero, ut in III Metaph. dicitur. Sed hoc in speciebus non contingit, ut ibidem dicitur» [3].

Et alio in loco: «in III Metaphysicorum Philosophus dicit quod in individuis unius speciei non est praedicatio secundum prius et posterius; sed in diversis speciebus contingit esse huiusmodi praedicationem, ut scilicet genus de eis secundum prius et posterius praedicetur. Tunc autem praecipue videtur quod species per prius generis praedicationem recipiat, quando nobilior forma vel differentia naturam generis participat» [4].

Postremo: «in eadem specie non potest unum esse prius altero proprie loquendo ordine naturae, quia species praedicatur aequaliter de omnibus individuis, ut dicitur in III Metaphysicorum. In generibus autem non sic: nam inter species unius generis una est naturaliter prior et perfectior altera. Est autem in individuis unius speciei unum altero tempore prius» [5].

---

1 *Ibid.*, n. 11 (II, 494, 5-12). Quae ita exponit S. Doctor: «omnes species generum inveniuntur differre secundum perfectius et minus perfectum et, per consequens, secundum prius et posterius secundum naturam... Sed manifestum est quod inter individua unius speciei non est unum primum et aliud posterius secundum naturam, sed solum tempore» (*in h. l.*, lect. 8, n. 438).

2 S. THOMAS, *II Sent.*, d. 3, t, 4c in fine.

3 *II Sent.*, d. 3, 1, 5 ad 3.

4 *II Sent.*, *d.* 22, 2, 3 obi. 5, quam concedit in hac parte.

5 *Quodlib.* 3, 6 ad obiecta.

256. Et inde est quod, licet substantia corporea sive sensibilis et substantia incorporea conveniant univoce in genere logico, idest in intentione logica generis substantiae, secundum rem tamen non conveniunt univoce sed analogice analogia metaphysica, ita ut per prius dicatur nomen substantiae de substantia incorporea, nempe de angelis, qui et dicuntur Substantiae Separatae, et per posterius de substantia corporea. Quo in sensu S. Thomas ait: «Substantiae Separatae et materiales non conveniunt nisi in genere logico solum..., cum nulla sit realis convenientia inter separata et materialia. Sicut enim Substantiae Separatae non descendunt ad genus corporis, sed sunt substantiae primo perfectae genus subalternum non habentes..., ita res materiales non ascendunt usque ad Substantiam Separatam: summum enim in eis est corpus, ultra quod rem aliquam non attingunt quam non habeant per corpus; in ipsis namque est compositio materiae et formae ad quae tanquam ad sua principia prima resolvuntur, nec ultra procedere habent»[1].

Et alibi: «aliqua sunt unius generis logice loquendo, quae naturaliter [=physice] non sunt unius generis; sicut illa quae communicant in intentione generis quam logicus inspicit, et habent diversum modum essendi. Unde in X Metaph. dicitur quod de corruptibilibus et incorruptibilibus nihil commune dicitur nisi communitate nominis; et ideo non oportet Angelos cum corporalibus eadem principia communicare nisi secundum intentionem tantum, prout in omnibus invenitur potentia et actus, analogice tamen, ut in XII Metaph. dicitur»[2].

Rursus: «Substantiae Immateriales creatae sunt quidem in genere. Et quamvis logice considerando conveniant cum istis sensibilibus in genere remoto quod est substantia, naturaliter tamen [=physice] loquendo non conveniunt in eodem genere... Corruptibile enim et incorruptibile non sunt eiusdem generis, ut dicitur X Me-

---

[1] *De natura generis*, cap. 4, ed. cit., t. I, pp. 294-295.
[2] *II Sent.*, d. 3, 1, 1 ad 2.

taphysicorum. Logicus enim considerat absolute intentiones, secundum quas nihil prohibet convenire materialia immaterialibus et incorruptibilia corruptibilibus: sed naturalis [=physicus] et philosophus primus [=metaphysicus] considerant essentias secundum quod habent esse in rebus; et ideo ubi inveniunt diversum modum potentiae et actus et, per hoc, diversum modum essendi, dicunt esse diversa genera» [1].

Similiter cum scribit: «licet Intelligentia transcendat totum ordinem corporalium rerum, quia tamen sua quidditas vel essentia non est ipsum suum esse, sed est res subsistens in suo esse participato, ideo quodammodo convenit in genere cum corporibus quae etiam in suo esse subsistunt; et sic secundum logicam intentionem videtur quod ponatur in genere substantiae; sed quantum ad differentiam specificam enarrari non potest, sed oportet quod per negationem nobis notificetur in quantum transcendit totum ordinem corporalium rerum, quibus convenit diversitas» [2].

Denique ait: «Substantiae Immateriales creatae in genere quidem naturali [=physico] non conveniunt cum substantiis materialibus, quia non est in eis eadem ratio potentiae et materiae, conveniunt tamen cum eis in genere logico; quia etiam Substantiae Immateriales sunt in praedicamento substantiae, cum earum quidditas non sit earum esse» [3].

Quam distinctionem applicat consequenter ad nomen, *substantia*, secundum quod dicitur de corruptibili et incorruptibili; nam «corruptibile et incorruptibile sunt essentialia praedicata, quia consequuntur essentiam sicut principium formale vel materiale» [4]: quin etiam «corruptibile et incorruptibile dividunt per se ens, quia corruptibile est quod potest non esse, incorruptibile autem quod

---

1 *In librum Boetii de Trinitate*, 5, 3c. post medium.
2 *In librum de Causis*, lect. 7, ed. Vives, t. 26, pp. 532-533.
3 I, 88, 2 ad 4.
4 *Quaestio disputata de Anima*, 14 ad 5.

non potest non esse; unde, cum ens non sit genus, non mirum si corruptibile et incorruptibile non conveniunt in aliquo uno genere»[1]. Proprie tamen loquendo, corruptibile et incorruptibile non attribuuntur accidentibus, sed substantiae; quia sola substantia per se est, ideoque sola per se fit et per se corrumpitur[2].

Hac ergo ratione, «si anima humana et anima iumentorum per se [et directe] collocarentur in genere [ut substantiae completae et totales, et non reductive tantum et quasi ad latus ut partes substantiae], sequeretur quod diversorum generum essent secundum naturalem [=physicam] generis considerationem —sic enim corruptibile et incorruptibile necesse est genere differre—; licet in aliqua ratione communi possent convenire, ex quo et in uno genere possunt esse secundum logicam considerationem»[3].

Quin immo et ad nomen, *corpus* sive *substantia corporea*, prout ei convenit esse corruptibile vel incorruptibile iuxta veterum opinionem: et sic corpora caelestia et corpora terrestria essent analoga analogia physica, licet univoce convenirent univocitate mere logica. «Nam corruptibilium et incorruptibilium non potest esse materia una. Genus autem, physice loquendo, a materia sumitur. Unde supra dictum est quod ea, quae non communicant in materia, sunt genere diversa. Logice autem loquendo, nihil prohibet quod conveniant in genere, in quantum conveniunt in una communi ratione vel substantiae vel qualitatis vel alicuius huiusmodi»[4].

Ideo ergo corpori caelesti et terrestri sive corporeae «substantiae corruptibili et incorruptibili nihil est commune nisi logice tantum, cum plus differant quam genus aliquod reale»[5].

---

1 *In X Metaph.*, lect. 12, n. 2.145.
2 Cf. *De Caritate*, 12 ad 20.
3 *Quaestio disp. de Anima*, 14 ad 2.
4 *In X Metaph.*, lect. 12, n. 2.142.
5 *De natura generis*, cap. 14, ed. cit., p. 312.

Et hac ratione ponitur ut exemplum analogiae physicae vel metaphysicae, idest «secundum esse et non secundum intentionem»; quae quidem «contingit quando plura parificantur in intentione alicuius communis, sed illud commune non habet esse unius rationis in omnibus. Sicut omnia corpora parificantur in intentione corporeitatis; unde logicus, qui considerat intentiones tantum, dicit hoc nomen corpus de omnibus corporibus univoce praedicari: sed esse huius naturae non est eiusdem rationis in corporibus corruptibilibus et incorruptibilibus: unde, quantum ad metaphysicum vel naturalem [=physicum] qui considerant res secundum suum esse, nec hoc nomen corpus nec aliquid aliud dicitur univoce de corruptibilibus et incorruptibilibus, ut patet X Metaph. ex Philosopho et Commentatore» [1].

Quae cum ita sint, tam corruptibile quam incorruptibile «dicuntur multipliciter», idest analogice, sicut possibile et impossibile; nam corruptibile est quod potest non esse, sicut incorruptibile non potest non esse sed necesse est esse [2].

257. Et inde etiam extendit eandem doctrinam ad nomen, *substantia incorporea,* secundum quod dicitur de angelis et de anima humana. Differunt enim plus quam specie; quia «plus differt anima ab angelo quam unus angelus ab alio»: et tamen «unus angelus differt ab alio secundum speciem» [3].

Et similiter ad nomen, *angelus,* secundum quod de diversis angelis dicitur. Nam unus angelus differt ab alio

---

[1] *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1. Reapse Aristoteles dixit ἕτερον εἶναι τῷ γένει τὸ φθαρτὸν καὶ τὸ ἄφθαρτον (*In Metaph.*, cap. 10, n. 1, II, 584, 6-7); ex quo AVERROES deduxit quod corpus dictum «de corruptibili et incorruptibili est nomen aequivocum», idest analogicum (*in h. l.*, ed. Lugduni 1542, fol. 264r).

Idem repetit saepe S. THOMAS, v. gr. *I Sent.*, d. 35, 4 ad 5; *II Sent.*, d. 3, 1, 1, ad 2; d. 12, 1 ad 1; *in librum Boetii de Trinitate*, 5, 3c post medium; *in VII Physic.*, lect. 8, n. 8; *Quaest. disp. de Anima*, 14 ad 2 et 5; *de Spiritualibus creaturis*, 2 ad 16; *De Pot.* 7, 7 ad 1; I, 66, 2 ad 2.

[2] Cf. *in I de Caelo et Mundo*, lect. 24, nn. 7-9; lect. 27, n. 1.

[3] *II Sent.*, d. 3, 1, 6, arg. 1 sed contra.

non solum numero, sed et specie; eo quod omnis eorum differentia est *formalis*, non mere materialis, cum non habeant materiam partem sui neque naturalem unibilitatem ad materiam sicut anima humana.

Quam ob rem S. Thomas profunde scribit: «hoc igitur dempto quod angeli non sint formae corporum, si non sint compositi ex materia et forma, non remanet angelorum ab invicem vel ab anima differentia nisi formalis; formalis autem differentia speciem variat, nam forma est quae dat esse rei: et sic relinquitur quod non solum angeli ab anima, sed ipsi etiam ab invicem specie differant» [1].

Equidem genus et diferentia, logice loquendo, convenire possunt in substantiis corporalibus et in Angelis, qui sunt substantiae incorporeae; at realiter sive fundamentaliter magna est utrobique differentia. Ut enim egregie scribit S. Thomas, «genus et differentia possunt accipi dupliciter. Uno modo, secundum considerationem *realem*, prout considerantur a matephysico et naturali [=physico]: et sic oportet quod genus et differentia super *diversis* naturis *fundentur*; et hoc modo nihil prohibet dicere quod in substantiis spiritualibus non sit genus et differentia, sed sint formae tantum et species simplices. Alio modo, secundum considerationem *logicam*: et sic genus et differentia non oportet quod *fundentur* super diversas naturas, sed supra *unam* naturam in qua consideratur aliquid *proprium* et aliquid *commune*; et sic nihil prohibet genus et differentias ponere in substantiis spiritualibus» [2].

Eademque ratione, «*naturaliter* loquendo de genere et differentia, oportet differentias esse contrarias; nam materia, super quam fundatur natura generis, est susceptiva contrariarum formarum: secundum autem considerationem *logicam*, sufficit qualiscumque oppositio in

---

[1] *Quaest. disp. de Anima*, 7c.

[2] *Quaest. disp. de Anima*, 7 ad 17. Cf. etiam *De ente et essentia*, cap. 6, ed. L. Baur, pp. 50-51.

differentiis; sicut patet in differentiis numerorum, in quibus non est contrarietas: et similiter est de spiritualibus substantiis» [1].

In angelis enim tam genus quam differentia sumuntur ex tota essentia, modo tamen diverso; quia «una substantia separata convenit cum alia in immaterialitate et differunt ab invicem in gradu perfectionis secundum recessum a potentialitate et accessum ad actum purum: et ideo ab eo quod consequitur illas in quantum sunt immateriales, sumitur in eis genus, sicut intellectualitas vel aliquid huiusmodi; ab eo autem quod consequitur in eis gradum perfectionis sumitur in eis differentia, nobis tamen ignota» [2].

Semper tamen una species est perfectior et prior alia secundum *rem*. Quae quidem prioritas et posterioritas sive magis et minus mutat speciem. «Nec oportet —addit S. Thomas— has differentias esse accidentales quia sunt secundum maiorem et minorem perfectionem quae non diversificant speciem; gradus enim perfectionis in recipiendo eandem formam non diversificant speciem, sicut album et minus album in participando eiusdem rationis albedinem: sed diversus gradus perfectionis in ipsis formis vel naturis participatis diversificat speciem» [3].

258. Inter distinctas vero animas humanas, sicut et inter distinctos homines, datur differentia et inaequalitas non solum accidentalis sed etiam substantialis, licet non essentialis seu quidditativa sed mere individualis: quo fit, ut magis et minus in hac re non mutet speciem [4].

---

[1] *Ibid.*, ad. 18.

[2] *De ente et essentia*, cap. 6, ed. cit., p. 51, 7-15.

[3] *Ibid.*, p. 51, 15-22.

[4] S. THOMAS saepe docuit inaequalitatem substantialem animarum humanarum, non tamen specificam sed mere individualem, ut videre est in *I Sent.*, d. 8, 5, 2 ad 6; *II Sent.*, d. 21, 2, 1 ad 2; d. 32, 2, 3; *II Contra Gent.*, cap. 81, ad 2 rationem; I, 85, 7; III, 69, 8 ad 3. Et in hoc sensu eum interpretati sunt politiores thomistae, ut JOANNES QUIDORT, Parisiensis, *Correctorium Corruptorii*, «circa», a. 34, ed. J. Müller, O. S. B., pp. 200-204; a. 45, pp. 235-236. Romae, 1941; RICHARDUS

Potius enim est diversitas *formae* quam diversitas *formalis*, iuxta illud S. Thomae: «diversitas formalis est duplex. Quaedam quae est formae per se, secundum id quod ad rationem formae pertinet; et talis diversitas formae diversitatem speciei inducit, [cum sit diversitas formalis reduplicative]. Est autem alia quaedam diversitas formae non per se sed per accidens ex diversitate materiae resultans, secundum quod in materia melius disposita dignius forma participatur; et talis diversitas speciem non diversificat [cum non sit diversitas formalis reduplicative, sed solum diversitas formae specificative]: et haec est diversitas animarum»[1].

259. Quando ergo dicitur exempli gratia: Deus est magis intelligens quam angelus, alio sensu dicitur *magis* quam si dicamus: angelus est *magis* intelligens quam homo; sicut etiam alius sensus est cum dicimus: angelus est *magis* intelligens quam homo, et cum asserimus: unus angelus est *magis* intelligens quam alius; et similiter est alius sensus cum affirmamus: unus angelus est *magis* intelligens quam alius, et cum proferimus: unus homo est *magis* intelligens quam alius. Magis enim et minus inter diversos homines non mutat speciem atomam neque ullo modo tollit univocationem aut inducit analogiam: e contra, magis et minus inter diversos angelos, et a fortiori inter angelos et homines, mutat speciem et consequenter tollit omnimodam univocationem, inducens analogiam realem: tandem magis et minus inter Deum et creaturam mutat non solum speciem, sed etiam genus generalissimum, ideoque tollit omnem univocationem, et solam permittit analogiam.

Quam differentiam S. Thomas eleganter expressit his-

Clapwel, *Correctorium Corruptorii* «Quare», a. 35, ed. P. Glorieux, pp. 167-169; a. 46, pp. 195-197. Paris 1927; Capreolus, *in II Sent.*, d. 32, a. 3; Caietanus, *in I*, 85, 7; Bañez, *in I*, 85, 7; Ferrariensis, *in I Contra Gent.*, cap. 3; *in II Contra Gent.*, cap. 81; *in II de Anima*, q. 16, pp. 88-92. Venetiis, 1619; et magis ex professo Complutenses, O.P., *in II de Anima*, q. 2, a. 4, pp. 189-209.

[1] *II Sent.*, d. 32, 2, 3 ad 1. Cf. etiam I, 62, 6 ad 3.

ce verbis: «duorum enim quorum unus alio rem aliquam intellectu subtilius intuetur, ille cuius intellectus est elevatior multa intelligit quae alius omnino capere non potest; sicut patet in rustico, qui nullo modo Philosophiae subtiles considerationes capere potest.

Intellectus autem angeli plus excedit intellectum humanum quam intellectus optimi philosophi intellectum rudissimi idiotae; quia haec distantia inter speciei humanae limites continetur, quos angelicus intellectus excedit. Cognoscit quidem angelus Deum ex nobiliori effectu quam homo, quanto ipsa substantia angeli, per quam in Dei cognitionem ducitur naturali cognitione, est dignior rebus sensibilibus et etiam ipsa anima per quam intellectus humanus in Dei cognitionem ascendit.

Multoque amplius intellectus divinus excedit angelicum quam angelicus humanum. Ipse enim intellectus divinus sua capacitate substantiam suam adaequat, et ideo perfecte de se intelligit quid est, et omnia cognoscit quae de ipso intelligibilia sunt: non autem naturali cognitione angelus de Deo cognoscit quid est, quia et ipsa substantia angeli per quam in Dei cognitionem ducitur est effectus causae virtutem non adaequans.

Unde non omnia quae in seipso Deus intelligit, angelus naturali cognitione capere potes: nec ad omnia quae angelus sua naturali virtute intelligit, humana ratio sufficit capienda» [1].

260. Ideo axioma illud: magis et minus non mutat speciem vel sub alia forma expressum: magis et minus non impedit univocationem [2], semper distinguit S. Doctor. «*Magis et minus*, inquit, potest dici aliquid *dupliciter*: vel quantum ad *ipsam naturam participatam* quae *secundum se* intenditur et remittitur secundum accessum

---

[1] *I Contra Gent.*, cap. 3, arg. 2.

[2] «Perfecta autem similitudo esse non potest ubi non est eadem natura secundum speciem» (*III Sent.*, d. 11, lc. n. 16); «materia, quae includitur in ratione speciei, bene diversificat speciem et impedit univocationem» (*III Sent.*, d. 9, 1, 2, qla. 7 ad 1, n. 86).

ad terminum vel recessum, et hoc non est nisi in accidentibus[1]; vel quantum ad *modum participandi*, et sic etiam in essentialibus [=substantialibus] dicitur magis et minus secundum diversum modum participandi, sicut angelus dicitur magis intellectualis quam homo»[2].

Et alibi clarius: «magis et minus numquam univoca-

---

[1] Nec tamen omnibus. Qua da re videatur I-II, 52, 1; *in X Ethic.*, lect., 3, nn. 1983-1984.

[2] *I Sent.*, d. 8, exposit. primae partis textus. Eodem fere modo scribit S. BONAVENTURA: «magis et minus dupliciter possunt considerari, scilicet in comparatione ad *idem*, et sic dicunt intensitatem et remissionem, vel in comparatione ad *diversas* substantias et naturas, et sic dicunt gradum et excessum: et sic est bene ponere magis et minus in ente respectu creatoris et creaturae, et respectu creaturarum ad invicem; sed in comparatione Creatoris ad creaturam est excessus improportionabilis» (*In I Sent.*, d. 8, I P., dub. 4 circa Litteram Magistri, ed. cit., t. I, pp. 161-162).

Alia distinctione aequivalenti utitur S. ALBERTUS MAGNUS. Duplicem enim intensionem et remissionem seu magis et minus distinguit: aliam *proprie* dictam et secundum veram nominis impositionem, quae fit secundum causas intrinsecas per accessum vel recessum ab uno eodemque termino, et hoc modo intenduntur et remittuntur album, calidum et huiusmodi; aliam large sumptam et *secundum quid*, quae sumitur ex ordine sui ad causas extrinsecas, quatenus aliquid est in uno per essentiam et sicut in causa, in alio vero per participationem, quo modo Deus dicitur magis ens quam creatura; vel etiam in participando aliquid maiori vel minori perfectione, sicut substantia dicitur magis ens quam accidens, et actus magis ens quam potentia (*In I Sent.* d. 8, a. 7 c, ed cit., t. 25, p. 228b). Et notat quod primus modus intensitatis et remissionis non tollit univocationem, quia nec mutat speciem; secundus vero speciem, immo et genus mutat, ideoque analogiam inducit (*Ibid.*, ad 3, p. 229, una cum *III Sent.*, *d.* 9, a. 6, qla ad 3, t. 28, p. 177a).

Idem docet clarius alio in loco. «Comparationes, inquit, duobus modis fiunt. Uno modo, per intensionem formae quae *una ratione inest utrique*. Alio modo, fundatur *super unam formam, quae secundum gradus maioris et minoris perfectionis est in comparatis: et sic sufficit communitas analogiae*, sicut dicimus quod intellectualis est homo, intellectualior angelus, intellectualissimius Deus... Comparationi enim sufficit quod una aliqua forma sit in comparatis: vel secundum intensionem et remissionem; vel secundum gradus diversae perfectionis, et sic Deus dicitur iustissimus, optimus, sapientissimus et in essentia et substantia praestantissimus» (*Summa Theol.*, I P. tract. q. 59, memb. 4, qla. ad 4, t. 31, p. 596b).

Praesertim vero cum dicit: «omnia enim *univoca* comparantur *secundum magis et minus accidentia* [quae non mutant speciem]; *secundum prius et posterius* [*comparantur*] *analoga*» (*Lib. I Topicorum* tract. 4, cap. 6, ed. cit., t. II, p. 285b).

tionem vel speciei unitatem auferunt; sed ea ex quibus magis et minus causatur possunt diferentiam speciei facere et univocationem auferre. Et hoc contingit quando magis et minus causatur *non ex diversa participatione unius naturae, sed ex gradu diversarum naturarum,* sicut angelus homine intellectualior dicitur»[1]; quia «natura intellectualis non aequaliter invenitur in angelis et in hominibus, sed in angelis multo nobilius»[2].

Et sic imago naturalis Dei, quae consequitur naturam intellectualem, non invenitur aequaliter in angelo et in homine, nec in viro et in muliere, sed perfectius in angelo quam in homine et perfectius in viro quam in muliere. «Proprie enim —ait S. Doctor— et principaliter imago intellectualem naturam consequitur: unde oportet quod ubi intellectualis natura perfectius invenitur, etiam ibi sit imago expresior. Et sic, cum natura intellectualis multo sit dignior in angelis quam in homine, eo quod propter obumbrationem intellectualis luminis homo rationalis dicitur, cum ratio sit quidam intellectus obumbratus, oportet quod in angelis sit expressior Dei imago quam in anima, et in angelis superioribus quam in inferioribus, et in viro quam in muliere: quamvis illa diversitas sit minor quam prima, quia non sequitur diversitatem naturae secundum speciem»[3].

Similiter: «magis et minus est dupliciter. Uno modo, secundum quod materia *eandem formam diversimode participat,* ut lignum albedinem: et secundum hoc magis et minus non diversificat speciem. Alio modo, secundum *diversum gradum perfectionis formarum*; et hoc diversificat speciem: diversi enim colores specie sunt secundum quod magis et minus propinque se habent ad lucem; et sic magis et minus in diversis angelis invenitur»[4].

Quibus ex amussim respondent haec alia verba: «ma-

---

1 *I Sent.*, d. 35, 4 ad 3. Cf. *II Sent.*, d. 3, 1, 5 ad 3.
2 *II Sent.*, d. 16, 3 ad 1.
3 *Ibid.*, corp.
4 *Quaestio disp. de Anima,* 7 ad 6.

gis et minus dupliciter accipitur. Uno modo, secundum *diversum modum participationis unius et eiusdem formae,* sicut magis album dicitur magis clarum quàm minus album: et sic magis et minus non diversificant speciem. Alio modo, dicitur magis et minus *secundum gradum diversarum formarum,* sicut album dicitur magis clarum quam rubeum aut viride: et sic magis et minus diversificant speciem; et hoc modo Angeli differunt in donis naturalibus secundum magis et minus»[1].

Et ista alia: «magis et minus, secundum quod causantur ex *intensione et remissione unius formae,* non diversificant speciem: sed, secundum quod causantur ex *formis diversorum graduum,* sic diversificat speciem; sicut si dicamus quod ignis est perfectior aëre: et hoc modo angeli diversificantur secundum magis et minus»[2].

Et rursus haec alia: «magis et minus quandoque consequuntur *diversas formas,* et tunc diversificant speciem; sicut si dicamus quod rubeum est magis coloratum quam calidum: quandoque vero consequuntur *diversam participationem unius et eiusdem formae,* et tunc non diversificant speciem; sicut si aliquid dicatur altero magis album»[3].

261. Neque his obstat id quod vulgo dici solet, scilicet substantiam non suscipere magis et minus[4]. Nam, «cum dicitur quod substantia non recipit magis et minus, non intelligitur quod una species substantiae non sit perfectior quam alia; sed quod unum et idem individuum non participet suam speciem quandoque magis, quandoque minus, nec etiam a diversis individuis participetur species substantiae secundum magis et minus»[5]. Non ergo admittimus «intentionem et remissionem substantiae in praedicamento substantiae, sed maiorem vel

---

1 *De Spiritualibus creaturis,* 8 ad 8.
2 I, 50, 4 ad 2.
3 *De Malo,* 2, 6, ad 16.
4 Aristoteles, *Categoriae,* cap. 3, n. 20 (I, 5, 28-45).
5 I, 93, 3 ad 3.

minorem perfectionem in speciebus substantiae secundum dictam formarum differentiam»[1].

Licet igitur comparatio secundum magis et minus propriissime fiat inter individua eiusdem speciei atomae[2], extenditur tamen ad ea quae differunt specie, immo et genere; «quia etiam ea quae differunt specie recipiunt magis et minus, in quantum scilicet conveniunt in genere, puta si dicamus quod album est coloratius nigro: vel [in quantum conveniunt] secundum analogiam, puta si dicamus quod actus est melior potentia, et substantia accidente»[3]. Et in hoc sensu analogo Deus est magis colendus et honorandus quam creatura, scilicet cultu latriae, dum creaturae non sunt honorabiles nisi cultu duliae[4]; et magis diligendus, quia Deus diligendus est ut finis ultimus, creaturae vero ut media ad hunc finem. Etenim «magis et minus, quando consequuntur *rationes diversas*, diversificant speciem, [immo et genus]; et ita est in proposito. Nam diligere aliquid ut finem et sicut id quod est ad finem, *non habent eandem rationem dilectionis*», sed genere diversam[5]: iam vero Deus non comparatur creaturis in hoc quod dicitur melior vel summum bonum quasi participans naturam eiusdem generis cum creaturis sicut species generis alicuius, sed quasi principium generis»[6], totum tamen genus transcendens[7].

Quod rursus explicat amplius, scribens: «magis et minus tripliciter potest considerari, et sic praedicari. Uno modo, *secundum solam quantitatem participati*: sicut nix dicitur albior pariete, sed tamen *unius rationis*; unde

---

1 *In I de Generatione et Corruptione*, lect. 8, n. 5.

2 Nam comparatio propriissime sumpta fit inter univoca, ut docet Aristoteles in VII Physicorum, cap. 4, n. 4 (II, 339, 20), quem optime exponit S. Thomas, lect. 7, n. 7. Univoca autem plene et perfecte dicta sunt tantum quae conveniunt in eadem specie atoma, ut patet ex dictis.

3 *In VIII Ethic. Nicom.*, lect. 1, n. 1.549.

4 *III Sent.*, d. 9, 2, 1 ad 1, n. 109. Cf. *ibid.*, ad 3 et 4, nn. 111-112.

5 *De Malo*, 7, 1 ad 19.

6 *De Pot.*, 7, 7 ad 4.

7 Cf. I, 3, 5; 88, 8 ad 4.

talis diversitas secundum magis et minus non difersifi cat speciem. Alii modo, *secundum quod unum participa tur et aliud per essentiam dicitur*: sicut diceremus quoc Bonitas est melior quam bonum. Tertio modo, *secundun quod modo eminentiori convenit idem aliquid uni quan alteri*: sicut calor Soli quam igni. Et hi duo modi im pediunt unitatem speciei [et generis] et univocam prae dicationem: et secundum hoc, aliquid praedicatur magi: et minus de Deo et creatura» [1], scilicet secundum analo giam; quia «licet diversitas generis tollat univocationem non tamen tollit *analogiam*» [2].

262. Sic ergo ex omnibus hucusque dictis appare quo in sensu aequaliter aut simulter praedicari sit pro prium univocorum, itemque praedicari inaequaliter siv secundum prius et posterius sit proprium analogorum.

Si enim loquamur *formaliter*, hoc est, secundum ra tionem vel intentionem vel significationem nominis, uni voca qua talia aequaliter praedicantur simulque sunt i ratione communi significata per nomen, quin admittan prius et posterius: pariter, analoga qua talia praedicar tur inaequaliter et ratio communis significata per nome convenit eis secundum prius et posterius.

Cum quo tamen stat quod, *materialiter* loquendo, ides secundum rem vel esse vel suppositionem nominis, un voca inaequaliter praedicantur secundum prius et post rius: qua de causa, dicuntur analoga materialiter et s cundum esse. At quae formaliter dicuntur analoga, pra dicantur inaequaliter secundum prius et posterius on nibus modis, hoc est, tam secundum esse quam secundu intentionem Quo in sensu dici potest magis propriu univocorum esse aequaliter praedicari quam analogoru secundum prius et posterius; nam univoca possunt mat rialiter praedicari secundum prius et posterius, analog

---

1 *De Pot.*, 7, 7 ad 3.
2 *De Pot.*, 7, 7 ad 2 sed contra.

vero presse dicta nullo modo possunt aequaliter praedicari.

Quae cum ita sint, plane intelliguntur haec verba S. Thomae: «alicuius generis species se habent secundum prius et posterius, sicut numeri et figurae, quantum ad esse; licet simul esse dicantur in quantum suscipiunt communis generis praedicationem» [1].

Et similiter haec alia: «in his, quae ex opposito dividuntur, *quaedam* inveniuntur quae *sunt naturaliter simul, et secundum rem, et secundum rationem*: sicut duae species animalis vel duae species coloris. *Quaedam vero sunt simul secundum rationem, sed unum realiter est prius altero et causa eius*: sicut patet in speciebus numerorum, figurarum et motuum. *Quaedam vero non sunt simul nec secundum rem nec secundum rationem*: sicut substantia et accidens; nam substantia realiter est causa accidentis; et ens, secundum rationem, prius attribuitur substantiae quam accidenti, quia accidenti non attribuitur nisi in quantum est in substantia» [2].

263. Quae quidem non opponuntur doctrinae supra traditae, secundum quam semper una species est realiter perfectior alia eaque prior natura et dignitate. Nam species dividentes aliquod genus sunt duplicis classis: quaedam sunt, quarum una non solum est alia perfectior, verum etiam eius causa; quaedam vero sunt, quarum una non est causa alterius, licet sit ea dignior et perfectior. Quando ergo una est causa alterius, reapse est ea prior positive, et quidem realitate non solum essentiae sed etiam exsistentiae: quando autem una non est alterius causa, tunc non est positive ea prior realitate exsistentiae, sed solum realitate essentiae, et ideo dici possunt naturaliter simul, simultate quodammodo negativa, quatenus nulla est causalis dependentia unius ab alia [3]. Quod

---

[1] I, 77, 4 ad 1.
[2] I-II, 29, 2 ad 1.
[3] Cf. CONRADUS KOELLIN, O.P., *in I-II*, 29, 2 ad 1, ed. Venetiis.

autem haec fuerit germana mens S. Thomae, appare ex his quae paulo post scripsit in Quodlibeto III (1270). Cum enim sibi obiecisset: «quaecumque parificantur i natura, ita tamen quod unum eorum est prius altero i ordine naturae: id quod est prius est causa eius quo est posterius. Sed anima et Angelus parificantur in na tura (sunt enim homo et Angelus in natura pares, offici dispares); angelus tamen prius est in ordine natura quam anima humana, quia est simplicior. Ergo angelu est causa animae rationalis»; respondet: «prima pr positio inducta videtur includere opposita. Si enim an ma et angelus parificantur in natura, angelus non e prior anima secundum ordinem naturae —nisi dicantu parificari in natura, quia conveniunt in natura, non qu dem speciei. sed generis—.

264. Non autem oportet quod omnium quae conv niunt in natura generis vel speciei, id quod est pri sit causa omnium aliorum.

Et quidem in eadem specie non potest unum es prius altero, proprie loquendo, ordine naturae, quia sp cies praedicantur aequaliter de omnibus individuis, i dicitur in III Metaphysicorum. In generibus autem nc est sic: nam inter species unius generis una est natura ter prior et perfectior altera.

Est autem in individuis unius speciei unum alte tempore prius: et quamvis aliquod individuum, quod e prius tempore, sit causa cuidam alii quod est posteriu ut pater est causa filii, sicut in obiiciendo tangebatu non tamen hoc est universaliter verum; non enim omn antiquiores sunt causa omnium iuniorum.

Similiter etiam contingit id quod est prius inter sp cies eiusdem generis, esse aliorum principium et caus sicut motus localis aliorum motuum, et binarius alioru numerorum, et triangulus aliarum figurarum rectiline rum [1]. Non tamen hoc est universaliter verum; non eni

---

[1] Cf. *in VIII Physicorum*, lect. 14; *in IX Metaph.*, lect. 11, n. 191 *in X Metaph.*, lect. 3, n. 1971.

homo, qui est perfectissima species animalis, est causa activa aliarum specierum. Unde non oportet quod angelus sit causa factiva animae» [1].

Sic ergo species dividentes unum genus sunt simul ratione seu intentione communi, scilicet prout reduplicative conveniunt in genere illo quod dividunt; sed prout specificative sunt species formaliter distinctae [2], non sunt simul secundum rem, quin potius necessario dicuntur secundum prius et posterius: et quidem, si una sit vera causa vel ratio essendi alterius, prior est illa secundum esse reale essentiae et exsistentiae; sin autem non sit vera eius causa, est ea prior secundum esse reale essentiae tantum, non secundum esse exsistentiae.

---

1 *Quodlibetum* III, a. 6 ad 1.

2 Ita esse intelligendum Aristotelis effatum, scilicet ἅμα τῇ φύσει, ὅσα ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους κατὰ τὴν αὐτὴν διαίρεσίν ἐστι (Categoriae, cap. 10, n. 3) (I, 22, 47-48), docent frequenter peripatetici. JOANNES VERSOR, exempli gratia (c. 1485), scribit: «simul... dicuntur quae e contrario condividunt aliquod genus, ut sunt duae differentiae vel duae species eiusdem generis. Et illae species vel differentiae possunt dupliciter considerari: uno modo comparando illa inter se; et sic una semper est prior alia, via perfectionis, cum una sit perfectior altera: alio modo, considerantur in quantum conveniunt in uno genere in quo essentialiter continentur et sunt aequalis perfectionis, et sic sunt simul perfectione, nec una est perfectior alia, vel prior, vel posterior» (*Expositio in Summulas logicales Petri Hispani,* tract. V, p. 210b. Cf. *ibid.,* ad 5, p. 211a, in fine. Venetiis, 1597).

Et similiter CHRYSOSTOMUS JAVELLI, O.P. (c. 1538): «ea sunt simul in ratione divisiva quae ex aequo et absque ordine prioris et posterioris dividunt et participant aliquod commune illis superius prout respiciunt illud commune; sicut duae differentiae divisivae unius generis et duae species constitutae sub illo genere, ut rationale et irrationale, simul, idest ex aequo dividunt animal: neque enim prius rationale est animal neque magis quam irrationale. Dico: prout respiciunt illud commune, quoniam, si comparentur ad invicem et non ad commune quod dividunt, non inconvenit unam esse priorem altera et perfectiorem, ut rationale irrationali; idem dico de speciebus constitutis, ut homine et asino. In ratione autem animalis, aeque et simul conveniunt (*Compemdium Logicae,* tract. V, P. III, cap. 141v. Venetiis, 1565).

Eadem fere legi possunt apud DIDACUM MAS, O.P. (*Commentaria in Porphyrium et in universam Aristotelis Logicam, una cum quaestionibus quae a gravissimis viris agitari solent*: *in Post-praedicamenta,* cap. 3, ed. Moguntiae, 1617, t. I, p. 604), apud COMPLUTENSES CARMELITANOS (*Artium Cursus*: *in h. l. Aristotelis,* ed. cit., t. I, p. 273a) et apud alios.

265. Et secundum hoc optime intelliguntur verba S. Thomae differentia, non solum quando universaliter loquitur de speciebus, verum etiam quando de una eademque divisione facit sermonem eodem circiter tempore. Loquens enim de enunciatione affirmativa et negativa, quae sunt species dividentes enunciationem, ait: «quia sunt species ex aequo dividentes genus, sunt *simul* natura; unde non refert quae earum praeponatur»[1]. Et tamen paulo post asserit quod «enunciatio affirmativa *prior* est negativa *triplici ratione*, secundum tria quae supra [lect. 2, nn. 5 et 9] posita sunt, ubi dictum est quod *vox* est signum *intellectus* et intellectus est signum *rei*. Ex parte igitur *vocis*, affirmativa enunciatio est prior negativa, quia est simplicior: negativa enim enunciatio addit supra affirmativam, particulam negativam. Ex parte etiam *intellectus*, affirmativa enunciatio, quae significat compositionem intellectus, est prior negativa, quae significat divisionem eiusdem: divisio enim naturaliter posterior est compositione; nam non est divisio nisi compositorum, sicut non est corruptio nisi generatorum. Ex parte autem *rei*, affirmativa enunciatio, quae significat *esse*, prior est negativa, quae significat *non esse*: sicut habitus naturaliter prior est privatione»[2].

Nihilominus enunciatio simplex et una non dividitur in affirmativam et negativam ut analogum in analogata, quemadmodum opinatus est Alexander; sed ut univocum in univocata, idest ut genus in species, quin hoc impediat quominus una sit prior alia secundum rem.

Nam «unum dividentium aliquod commune potest esse prius altero dupliciter: uno modo, secundum *proprias* rationes aut naturas dividentium; alio modo, secundum *participationem* rationis illius *communis* quod in ea dividitur.

Primum autem *non tollit univocationem generis*: ut manifestum est in numeris, in quibus binarius, secundum *propriam* rationem, naturaliter est prior ternario; sed

---

1 *In I Perih.*, lect. 1, n. 10 in fine.
2 *In I Periherm.*, lect. 8, n. 3.

tamen *aequaliter* participant rationem generis sui, scilicet numeri: ita enim est ternarius multitudo mensurata per unum, sicut et binarius.

Sed *secundum impedit univocationem generis.* Et propter hoc ens non potest esse genus substantiae et accidentis; quia, *in ipsa ratione* [*communi*] *entis,* substantia quae est ens per se, *prioritatem* habet respectu accidentis quod est ens per aliud et in alio.

Sic ergo affirmatio, secundum *propriam* rationem, *prior* est negatione; tamen *aequaliter* participant *rationem* [*communem sive genericam*] enunciationis quam supra posuit, videlicet quod enunciatio est oratio in qua verum vel falsum est» [1]. Ut enim egregie dixerat paucos antea annos, «diversa ratio [propria]minus communium non facit aequivocationem in magis communi [neque tollit eius univocationem]: licet enim sit alia propria definitio equi et asini, tamen univocantur in nomine [communi] animalis, quia *communis* definitio animalis convenit utrique» [2].

Idemque prorsus edocuit in primis eius operibus, uti apparet ex his verbis: «ea quae dividunt aliquod commune *univocum,* sunt *simul* quantum ad *intentionem* generis, quamvis unum possit esse causa alterius quantum ad esse [ideoque eo prius secundum esse], sicut motus localis est causa aliorum motuum contra quos dividitur. Sed ea quae dividunt aliquod commune *analogum,* se habent secundum prius et posterius, *etiam quantum ad intentionem communis* quod dividitur [et non solum quantum ad esse proprium essentiae, vel essentiae quoque et exsistentiae], sicut patet de substantia et accidente» [3].

Ex quibus omnibus constat quod, formaliter loquendo, dici per prius et posterius et dici analogice conver-

---

1 *Ibid.,* n. 6. Quae verba ad litteram exscribuntur ab auctore Summae totius Logicae Aristotelis, tract. 7, cap. 6, quae invenitur inter Opuscula spuria S. Thomae, ed. cit., t. I, pp. 82-83.

2 I, 29, 4 ad 4.

3 *III Sent.,* d. 33, 2, 1, qla. 1 ad 2, nn. 139-140.

tuntur; eodemque iure convertuntur dici univoce et dici aequaliter vel simulter: at, loquendo materialiter, non convertuntur dici analogice et dici per prius et posterius, quia hoc modo convenit etiam univocis a specie atoma usque ad genus supremum, non autem individuis sub specie atoma; hoc tamen convenit univocis, non quatenus reduplicative univoca sunt, sed quatenus identice et specificative sunt analoga realia.

266. Quem ad sensum oportet reducere verba Caietani, fatentis quidem quod «iam in usum venit ut quasi synonime dicamus aliquid dici analogice et dici per prius et posterius», sed statim addentis: «*abusio* tamen vocabulorum haec est; quoniam dici per prius et posterius, superius [=universalius] est ad dici analogice»[1]. *Formaliter* enim loquendo, nullus est abusus; sicut nulla abusio est synonime sumere dici univoce et dici aequaliter vel simulter.

267. Hanc Thomae doctrinam optime expressit Joannes a S. Thoma, dicens: «non omne prius et posterius costituit analogiam, ut patet in speciebus numeri; unus enim numerus prior est alio, et tamen univoce sunt numeri: et potentia et habitus et actus habent rationem prioris et posterioris, et tamen univoce sunt qualitas. Sed illa prioritas, quae facit inaequaliter participare rationem superiorem, ita quod in uno sit principalius et per se, in alio secundum quid et per accidens, facit analogiam: sicut ens respectu substantiae et accidentis, sanum respectu animalis et herbae; in uno enim invenitur per prius, in alio per posterius[2]. Et dicuntur species unius generis esse simul natura simultate participandi

---

[1] CAIETANUS, *De nominum Analogia*, cap. I, n. 7, ed. cit., pp. 8-9.

[2] Vel, ut ait alio in loco, «analogum requirit *inaequalitatem* in participantibus illud, ita ut in uno sit *simpliciter*, in alio *secundum quid*; in uno *per attributionem* et denominationem, in alio *essentialiter*» (JOANNES A S. THOMA, *Cursus theol.*, in I P., q. 29, Disp. 14, a. 1, n. 26, ed. Coloniae Agripinae 1711, t. III, p. 123a).

orationem superiorem, non simultate exsistendi inter se»[1].

Sicque plene apparet quam merito dictum est rationem significatam per nomen analogiam simul esse partim aequalem et partim inaequalem, utpote essentialiter participantem suo modo aliquod aequalitatis univocorum et aliquid inaequalitatis aequivocorum.

268. Quo semel dato et probato, adhuc superest investigandum an ratio analogiae participet ex aequo aequalitatem univocationis et inaequalitatem aequivocationis purae vel potius inaequaliter, ita scilicet ut unam magis quam aliam participet.

269. Atqui non ex aequo. Primo quidem quia extrema participari debent a medio per modum medii, non per modum extremorum[2]. Iam vero, si extrema inaequalitatis aequivocationis purae et aequalitatis univocationis participarentur ex aequo a medio analogiae, essent participata per modum extremorum et non per modum medii, quia retinerent proprium modum extremorum ut extrema sunt, quin neutrum esset praedominans. Non possunt igitur participari ex aequo a medio analogiae.

Deinde, quia hoc in casu analogia esset simul eodemque gradu sub extremo aequivocationis purae et univocationis, quae tamen plus distant inter se quam duo genera suprema. At vero nequit idem simul et ex aequo esse sub duobus generibus supremis, idest non subalternatim positis, sed primo diversis[3]. Ergo neque analogia potest simul et ex aequo participare extrema univocitatis et aequivocationis purae, quasi esset species quaedam sub utroque quasi genere supremo contenta.

Igitur concludendum est analogiam participare inae-

---

1 *Cursus Philosophicus*, Logica, I P. q. 5, a. 4. Solvuntur obiectiones, ad confirmationem primae obiectionis, ed. Reiser, t. I, pp. 163-164.

2 Cf. *supra*, hoc art. 2, A, § I, pp. 290-295.

3 ARISTOTELES, *Categoriae*, cap. 2, n. 4 (I, 11-16); *II Posteriorum*, cap. 12 (I, 164-167); *VI Topic.* (I, 235-255).

qualiter et per modum medii extrema univocationis et aequivocationis purae, iuxta communem legem mediorum per veram extremorum participationem. Nam, ut optime ait S. Thomas, «quandocumque multa requiruntur [vel concurrunt] ad unum, necesse est unum eorum esse principale, ad quod omnia alia ordinantur: unde et in quolibet toto necesse est esse unam formalem partem praedominantem, a qua totum unitatem habet» [1]. Et sic, exempli gratia, quia «homo est quasi horizon et confinium spiritualis et corporalis naturae et quasi medium inter utrasque, utrasque bonitates participat et corporales et spirituales» [2], magis tamen spirituales quam corporales, iuxta illud eiusdem S. Doctoris: «cum angelis magis communicamus quam cum brutis quantum ad animam, sed cum brutis [magis quam cum angelis] quantum ad corpus et ad virtutes corporeas. Homo autem, ut dicit Philosophus in IX Ethic., magis est id quod est ex parte animae quam ex parte corporis; quia unumquodque est id quod est potissimum in ipso: et ideo, simpliciter loquendo, magis distamus a brutis quam ab angelis» [3].

270. Hoc autem concesso, remanet postremo investigandum quodnam extremorum magis participet; an extremum inaequalitatis aequivocorum, vel, e contra, extremum aequalitatis univocorum.

Qua in re non est unica danda responsio. Licet enim analogia recedat a perfecta et totali aequalitate univocationis et importet inaequalitatem quamdam, haec tamen inaequalitas non stat in indivisibili, sed latitudinem sat magnam suscipere valet: nam, ut S. Thomas scite animadvertit, «etiam inaequalitas dicitur secundum magis et minus; quia distantia ab aequalitate, quae aequalitatem tollit, potest esse maior vel minor» [4]. Quod quidem intelligendum est non solum de inaequalitate totali sive

---

1 S. THOMAS, II-II, 49, 6 ad 1.
2 *III Sent.*, prologus S. Thomae.
3 *III Sent.*, d. 28, 3 ad 4, n. 34.
4 *II Sent.*, d. 42, 2, 5c.

absoluta et partiali sive relativa, quae manifeste dicuntur secundum magis et minus, verum etiam de una inaequalitate relativa, quae plures gradus suscipere valet, ut idem S. Doctor aequivalenter innuit [1], pro diversis modis analogiae.

271. Si ergo loquamur de analogia secundum esse tantum et non secundum intentionem, quae est analogia pure realis (physica vel metaphysica) et large dicta, haec plus habet de aequalitate univocorum quam de inaequalitate aequivocorum; quia formaliter sive secundum intentionem participat omnimodam aequalitatem univocorum et nonnisi materialiter vel secundum esse participat aliquid inaequalitatis aequivocorum. Sunt enim analoga huiusmodi analogia species diversae sub uno genere contentae, quae univocae sunt et omnino aequales ut species, idest ut contentae sub genere et ut ad genus relatae, ut patet ex dictis [2]; licet inaequales sint et analogae si comparentur inter se in sua *reali et propria perfectione*, quia hoc modo semper una species est prior et perfectior alia. Unde S. Thomas, loquens de huiusmodi analogia, scribit: «hoc contingit quando plura parificantur [=aequantur] in *intentione* alicuius comunis [scilicet generis], sed illud commune non habet esse unius rationis in omnibus. Sicut omnia corpora parificantur in intentione corporeitatis: unde logicus, qui considerat *intentiones* tantum, dicit hoc nomen *corpus* de omnibus corporibus univoce praedicari; sed esse huius naturae non est eiusdem rationis in corporibus corruptibilibus et incorruptibilibus: unde quantum ad metahysicum et naturalem, qui considerant res secundum suum *esse*, nec hoc nomen corpus nec aliquid aliud dicitur univoce de

---

[1] Cf. *in VII Physic.*, lect. 8, n. 8.

[2] Cf. *supra*, p. 438. Unde S. THOMAS: «unumquodque autem genus dividitur *univoce* in species contentas sub genere, et ideo speciebus [qua talibus] non debetur proprius modus praedicandi ut adunantur sub uno gener (*I Sent.*, d. 22, 3 ad 2).

corruptibilibus et incorruptibilibus, ut patet X Metaph. ex Philosopho et Commentatore»[1].

Et hac ratione S. Doctor appellat *proximam* huiusmodi analogiam[2], quia non recedit a perfecta unitate et aequalitate univocitatis nisi secundum esse reale tantum; quod tamen non est de significatione sive intentione nominis communis, secundum quam proprie et formaliter dicitur univocatio, sed de eius suppositione materiali tantum.

Meritoque vocari solet, post Caietanum, analogia *inaequalitatis*; «quia, licet in omni analogia reperiatur *inaequalitas,* consuevit tamen nomen divisi simpliciter et absque addito applicari *imperfectiori membro* dividenti»[3]: sicut animal irrationale, quod est species imperfectior generis animalis, nominatur nomine generis, et dicitur simpliciter *animal*; vel sicut species imperfecta generis subalterni, *dispositio,* retinet nomen commune *dispositionis,* dum species perfecta nomen habet proprium et dicitur *habitus*[4].

271. Habet tamen plures gradus huiusmodi inaequalitas, tot scilicet quot sunt inter genus supremum et speciem infimam alicuius praedicamenti; et quidem tanto maior est inaequalitas vel distantia quanto superiores sunt species constitutae superioribus differentiis dividentibus genus: sicut maior inaequalitas est inter substantiam corpoream et substantiam incorpoream quam inter duas substantias corporeas, licet una sit animata et alia inanimata; et maior est inaequalitas inter animal et plantam quam inter duas species animalis vel plantae. Haec igitur analogia inaequalitatis incipit a speciebus primo dividentibus genus supremum et finitur in speciebus atomis ultimo dividentibus genus: nam individua sub specie

---

1 *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1.

2 *In VII Physic.*, lect. 8, n. 8.

3 COMPLUTENSES CARMELITANI, *Artium Cursus*, Logica, dosp. 10, q. 1, n. 3, ed. cit., p. 164.

4 I-II, 49, 2 ad 3.

atoma non dividunt formaliter speciem neque essentialiter differunt inter se, sed solum materialiter et secundum esse exsistentiae quod primo debetur suppositis sive individuis. Quo in sensu recte scribit Joannes a S. Thoma: «singulare autem seu singularitas in communi non respicit inferiora, scilicet hoc et illud singulare designatum ut inaequalia; quia omnia singularia aequalia sunt, non solum in natura sed etiam in singularitate, non unum secundum quid et aliud simpliciter. Habet tamen modum analogi quantum ad hoc quod est includi in inferioribus et per modum transcendentis se habere ad omnes modos inferiores; sed quia illa inferiora non sunt inaequalia [ut reduplicative stant sub ratione communi speciei, licet sint inaequalia prout comparantur inter se secundum proprias individuationes], non pervenit ad rationem analogi simpliciter. Quod autem dicimus de singularitate, eodem modo dicimus de persona, quae est terminatio singularitatis» [1].

Itaque genus supremum est quidem formaliter univocum, sed materialiter sive secundum esse est in confinio analogiae, quam hoc modo, scilicet secundum esse, participat magis vel minus usque ad genus ultimum: species autem atoma est omnibus modis univoca, quia non est amplius essentialiter divisibilis per inaequales differentias tam secundum intentionem quam secundum esse essentiae. «Et huius ratio est, ait S. Thomas, quia *species sumitur a forma ultima, quae simpliciter una est in rerum natura*: *genus autem non sumitur a forma aliqua quae sit una in rerum natura, sed secundum rationem tantum*; non enim est aliqua forma ex qua homo sit animal praeter illam ex qua homo est homo. Omnes igitur homines, qui sunt unius speciei, conveniunt in forma quae constituit speciem, quia quilibet habet animam rationalem: sed non est in homine, equo aut asino aliqua anima communis quae constituat animal praeter illam

[1] J. a Sancto Thoma, *Cursus theol.*, in I P., q. 29, disp. 14, a. 1, n. 26, ed. cit., t. III, p. 123a.

animam quae constituit hominem vel equum aut asinum (quod si esset, tunc genus esset unum et comparabile, sicut species); sed in sola consideratione accipitur forma generis, per abstractionem intellectus a differentiis. Sic igitur species est unum quid a forma una in rerum natura exsistente: genus autem non est unum; quia secundum diversas formas in rerum natura exsistentes, diversae species generis praedicationem suscipiunt: et sic genus est unum logice, sed non physice»[1].

Genus ergo est univocum ideoque unum et aequale logice, idest secundum rationem vel intentionem; simul tamen est analogum proindeque multiplex et inaequale physice vel metaphysice, idest secundum rem vel secundum esse. Ita substantia finita est logice univoca, et tamen est metaphysice analoga secundum quod dicitur de substantia incorporea et de substantia corporea, hoc est, de angelo et de corpore[2].

Ita etiam substantia corporea est univoca logice, et nihilominus est physice analoga secundum quod dicitur de corpore corruptibili et de corpore incorruptibili[3]. Nam «ea quae habent diversum modum *essendi*, non communicant in aliquo secundum *esse* quod considerat *naturalis* [=physicus); possunt tamen communicare in aliqua communi *intentione* quam considerat *logicus*... Nihilominus tamen Philosophus non intendit excludere *analogicam* communitatem, sed solum univocam: vult enim ostendere quod corruptibile et incorruptibile non communicant in genere» physico[4].

Similiter, «motus *univocatur*, ad minus *in intentione generis*»[5]; quia «omnes species motus *aequaliter* conveniunt *in ratione communi* motus: tamen, secundum

---

1 S. THOMAS, *In VII Physic.*, lect. 8, n. 8.
2 *De natura generis*, cap. 5, ed. cit., t. I, pp. 292-294.
3 ARISTOTELES, *IX Metaph.*, cap. 10 (II, 584, 4-31). Cf. S. THOMAM, *in h. l.*, scilicet *in X Metaph.*, lect. 12, nn. 2.142-2.145; in *VII Physic.*, lect. 8, n. 8; I, 66, 2 ad 2; 88, 2 ad 4, et alibi passim.
4 S. THOMAS, *De Pot.*, 7, 7 ad 1 sed contra. Cf. *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1.
5 *I Sent.*, d. 2, 1, 1 ad 3.

esse suum *proprium*, motus localis est *prior* aliis motibus»[1].

Et eadem ratione potest aliquod genus quantitatis esse univocum mathematice et analogum physice; quia, ut scite animadvertit S. Thomas, «multa quidem secundum abstractam considerationem vel logici vel mathematici non sunt aequivoca, quae tamen secundum considerationem naturalis ad materiam applicantis aequivoce quodammodo dicuntur, quia non secundum eandem rationem in qualibet materia recipiuntur: sicut quantitatem et unitatem, quae est principium numeri, non secundum eandem rationem contingit invenire in corporibus caelestibus et in igne et in aere et in aqua»[2]. Et vel ipsum nomen *aequalitatis* non secundum eandem omnino perfectionem accipitur quando est sermo de aequalitate mathematica et de aequalitate physica et de aequalítate morali[3].

273. Si vero loquamur de analogia presse dicta, ut est analogia attributionis et proportionalitatis, haec plus participat de inaequalitate quam de aequalitate, eo quod inaequalitatem habet in ipsa ratione communi significata per nomen, atque ideo recedit essentialiter a perfecta aequalitate univocorum: sunt enim analoga generis diversi, iuxta illud S. Thomae: «licet diversitas generis tollat univocationem, non tamen tollit analogiam. Quod sic patet: sanitas enim, secundum quod dicitur de urina, est in genere *signi*; secundum vero quod dicitur de medicina, est in genere *causae*»[4]. Inaequalitas tamen, quam formaliter participant, non est totalis et absoluta et penitus disparata ut inaequalitas aequivocationis purae, sed relativa tantum et essentialiter ordinata secundum prius et posterius.

---

[1] *II Sent.*, 15, 4, 2 ad 2.

[2] *In VII Physic.*, lect. 7, n. 9.

[3] *II Sent.*, d. 42, 2, 5; *III Contra Gent.*, cap. 139; *De Malo*, 2, 9; *De Virtutibus in communi*, 11 ad 16; I-II, 73, 2.

[4] *De Pot.*, 7, 7 ad 2 sed contra.

274. At neque huiusmodi inaequalitas stat in indivisibili, sed plures suscipit gradus: alia enim est inaequalitas analogiae attributionis purae, alia analogiae proportonalitatis propriae, alia analogiae proportionalitatis metaphoricae.

Quod quidem, ut plene intelligatur, prae oculis habendum est inaequalitates, etiam relativas, bifarie comparari posse: uno modo, intensive; alio modo, extensive, eo fere modo quo una qualitas, v. gr. calor, virtus, potest esse maior vel minor intensive et extensive [1].

Extensive igitur maior est inaequalitas analogiae proportionalitatis quam inaequalitas analogiae attributionis purae: quia illa est simul et secundum intentionem, et secundum esse; haec vero est secundum intentionem tantum et non secundum esse, quia *esse* in analogia attributionis purae non est nisi in uno tantum, scilicet in supremo analogato, atque ideo est unum numero: unde, secundum esse, nulla est inaequalitas, quia nulla est multiplicitas sed perfecta unitas.

Ideo S. Thomas, loquens de analogia attributionis purae, scribit eam haberi «quando *una intentio* refertur *ad plura per prius et posterius, quae tamen non habet esse nisi in uno*: sicut *intentio* sanitatis refertur ad animal, urinam et diaetam *diversimode, secundum prius et posterius*; non tamen secundum diversum *esse*, quia *esse* sanitatis *non est nisi in animali*» [2]. Et alio in loco asserit «quod illud unum ad quod diversae habitudines referuntur in analogicis [hac analogia attributionis purae] est *unum numero*, et non solum unum ratione sicut in univocis» [3]. Quod rursus explicat amplius, dicens: «quando aliquid ex uno derivatur in alterum sicut ex causa univoca, tunc aliud est quod est in utroque; sicut, cum calidum calefacit, alius numero est calor calefacientis et

---

1 *De Virtutibus in communi*, 11, ad 10.
2 *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1.
3 *IV Metaph.*, lect. 1, n. 536.

calor calefacti, licet idem sit in specie. Sed, quando aliquid derivatur ab uno in alterum secundum analogiam vel proportionem, tunc est tantum *unum numero*: sicut a sano, quod est in corpore animalis, derivatur sanum ad medicinam et urinam; nec alia sanitas est medicinae et urinae quam sanitas animalis, quam medicina facit et urina significat»[1].

Quando vero loquitur de analogia proportionalitatis, dicit eam contingere «quando *neque parificatur in intentione communi neque in esse*, sicut ens dicitur de substantia et accidente: et de talibus oportet quod natura communis *habeat esse in unoquoque* eorum de quibus dicitur, sed *differens secundum rationem maioris vel minoris perfectionis*. Et similiter dico quod veritas et bonitas et omnia huiusmodi, dicuntur analogice de Deo et de creaturis: unde oportet quod secundum suum esse haec in Deo sint, et in creaturis secundum rationem maioris perfectionis et minoris; ex quo sequitur, *cum non possint esse secundum unum esse utrobique*, quod sint diversae veritates»[2].

275. *Intensive* tamen est minor haec inaequalitas quam inaequalitas attributionis purae, si loquamur de analogia proportionalitatis propriae; quia plus distat mera denominatio extrinseca ab ipsa forma reali significata per nomen quam una forma realis ab alia, licet una sit prior alia secundum rationem nominis et secundum esse: minus siquidem distant duo entia realia inter se quam ens reale et ens rationis. Quam ob rem, magis distat, ex. gr. in ratione sani sanitas aeris vel sanitas coloris a sanitate animalis, quam in ratione entis substantia ab accidente vel quantitas a qualitate vel actus a potentia. Et sic etiam S. Thomas maiorem distantiam ponit inter hominem verum et hominem pictum in ratio-

---

1 I-II, 20, 3 ad 3.
2 *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1.

ne hominis qui conveniunt inter se analogia attributionis purae, quam inter magistrum scholae et magistrum domus, qui conveniunt inter se analogia proportionalitatis propriae; nam magister domus proprie praeest et regit domum sicut magister scholae praeest et regit proprie scholam [1].

Mitto comparationem inter proportionalitatem univocam sive homogeneam [2] et analogiam attributionis; nam per se notum est maiorem esse distantiam inter terminos analogiae attributionis quam inter terminos proportionalitatis homogeneae: sicut etiam maior est distantia inter terminos proportionalitatis analogicae quam inter terminos proportionalitatis univocae.

276. Tandem maior est distantia et inaequalitas inter terminos proportionalitatis metaphoricae quam inter terminos proportionalitatis propriae. Sicut enim maior est distantia inter ens reale et ens rationis quam inter duo entia realia, ita maior est inaequalitas et dissimilitudo inter unum terminum proprium et alium metaphoricum quam inter duos terminos proprios. Qua de causa, convenientia et similitudo et aequalitas relativa proportionalitatis propriae inter Deum et creaturas intellectuales, sufficit ad veram rationem imaginis Dei in illis creaturis; e contra, mera similitudo et aequalitas relativa proportionalitatis metaphoricae inter Deum et creaturas corporales, non sufficit ad rationem imaginis Dei in eis. Ut enim egregie scribit S. Thomas, «proprietates divinae ostenduntur in creaturis dupliciter: vel secundum similitudinem analogiae [attributionis, non purae, sed unitae analogiae proportionalitatis propriae], sicut vita, sapientia et huiusmodi, quae analogice Deo et creaturis conveniunt, et sic divinae proprietates praecipue osten-

---

[1] *In VII Physic.*, lect. 8, n. 8. «*Magistrare*, regere et temperare est. *Magistrari*, moderari. Unde *magistri* non solum doctores artium, sed etiam pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, equitum dicuntur; quia omnes hi *magis ceteris possunt*», utpote ceteris maiores (FESTUS, *De verborum significatione*, pp. 88, 20-24. Parisiis, 1584).

[2] Cf. *supra*, art. 1, § II, A.

duntur in rationali creatura; vel secundum similitudinem proportionalitatis [metaphoricae], secundum quod spirituales proprietates corporalibus metaphorice designantur, et hoc modo in igne ostenduntur proprietates divinae... Sed haec similitudo non facit ad rationem imaginis» [1].

Quod quidem, ut per se patet, intelligendum est formaliter et reduplicative, hoc est, ut rationes comparatae sive proportionales, non materialiter et specificative ut entia. Materialiter enim plus differt anima a corpore quam anima ab anima; et tamen reduplicative ut unibiles minorem distantiam habet anima ad corpus quam una anima ad aliam. Unde iterum S. Thomas: «convenientia potest attendi dupliciter. Aut secundum proprietates naturae, et sic anima et corpus multum distant. Aut secundum proportionem potentiae ad actum, et sic anima et corpus maxime conveniunt: et ista convenientia exigitur ad hoc ut aliquid uniatur alteri immediate ut forma» [2]. Quibus consonant, ad rem quod attinet, haec alia eius verba: «sapientia creata magis differt a sapientia increata quantum ad *esse,* quod consistit in modo habendi, quem floritio prati a risu hominis; sed quantum ad *rationem* a qua imponitur nomen, magis conveniunt, quia illa ratio est una secundum analogiam, per prius in Deo, per potserius in creaturis exsistens: et secundum talem rationem significatam in nomine, magis attenditur veritas et proprietas locutionis quam quantum ad modum significandi quod datur ex consequenti intelligi per nomen» [3]; nec tamen talis modus secundario consignificatus inducit metaphoricam sive impropriam prae-

---

1 *II Sent.*, d. 16, 2 ad 4. Cf. etiam *III Sent.*, d. 2, 1, 1, qla. 1 ad 3, n. 24. Retinet autem analogia proportionalitatis metaphoricae nomen genericum analogiae proportionalitatis sicut analogia secundum esse tantum retinet nomen commune analogiae inaequalitatis, ea ratione qua species vel modus impertfectior retinet nomen generis vel nomen commune, dum species vel modus perfectior sortitur nomen proprium.

2 *II Sent.*, d. 1, 2, 4 c.

3 *I Sent.*, d. 22, 2 ad 3.

dicationem, sed solum imperfectam, idest non plene ac perfecte adaequatam [1].

Et haec inaequalitas analogiae proportionalitatis metaphoricae est quae maxime distat ab aequalitate absoluta univocationis, citra inaequalitatem tamen absolutam aequivocationis purae, cuius tamen confinium veluti attingit. Sicut enim analogia merae inaequalitatis est in confinio univocationis, ita analogia merae proportionalitatis, quae est analogia proportionalitatis metaphoricae, est in confinio aequivocationis purae: sicut enim illa est univoca secundum intentionem et analoga secundum esse, ita haec est quasi aequivoca secundum esse et analoga secundum intentionem. Quo fit ut, si comparentur cum analogia attributionis et proportionalitatis propriae, quae sunt plene ac perfecte mediae inter perfectam univocationem et puram aequivocationem, hi duo modi extremi analogiae imperfecti et improprii quodammodo sunt opposita ratione.

277. Omnes tamen modi analogiae praeter analogiam merae inaequalitatis habent inaequalitatem in ipsa ratione communi significata per nomen. Et quia unumquodque dicitur simpliciter secundum quod absolute et nullo addito dicitur [2], hoc est, «quando consideratur secundum propriam rationem suae speciei» vel naturae [3], secundum quam unumquodque dicitur absolute id quod est; secundum quid vero dicitur quando consideratur secundum accidentia extra propriam rationem speciei: consequens est ut nomina importantia inaequalitatem in ipsa ratione communi significata per nomen, dicenda sunt importare inaequalitatem simpliciter; quod si inaequalitatem tantum suscipiant secundum esse, dicenda sunt importare inaequalitatem secundum quid.

Quae cum ita sint, univoca proprie et perfectissime

---

[1] *Ibid.*, ad 2 et 4.
[2] Cf. *II-II*, 58, 10, ad 2; *III*, 50, 5 c.
[3] *I-II*, 66, 3 c.

dicta, quae sunt species atomae [1], definiri possunt: quorum nomen est aequale, pariterque ratio per nomen significata est absolute et totaliter aequalis: sicut nomen *homo* dictum de omnibus hominibus.

Pure aequivoca vero definiuntur: quorum nomen est aequale [2], ratio autem per nomen significata est totaliter et absolute inaequalis, diversa et disparata; ut nomen *gallus* dictum de animali et cive Galliarum.

Analoga autem in tota eorum latitudine dicuntur: quorum nomen est aequale, ratio vero vel res per nomen significata non est totaliter aequalis nec totaliter inaequalis, sed partim aequalis et partim inaequalis.

278. Quod si sumantur analoga large dicta, quae revera sunt genera, idest univoca proprie sed minus perfecte sumpta, aequalitas et inaequalitas significatae per nomen diversa respiciunt, nempe aequalitas respicit *rationem* per nomen significatam, inaequalitas vero respicit *rem*. Et quia *ratio* est id quod simpliciter *significatur* per nomen, *res* vero significatur ex consequenti ac proprie loquendo *supponitur,* ideo haec analoga purae inaequalitatis definiuntur: quorum nomen est aequale, ratio vero significata per nomen est simpliciter aequalis, nempe ut ratio, et inaequalis secundum quid, scilicet ut res vel esse quod supponit. Aequalitas enim perfecta et simpliciter dicta est formalis utpote *rationis* formaliter *significatae*

---

1 Univoca proprie et perfectissime dicta dicuntur univoca non solum logice sed etiam realiter vel physice; unde et ea vocant nonnulli univoca *physica,* ut videre est in his verbis JOANNIS A STO. THOMA: «univocatio vero *physica* est aequalitas etiam in inferioribus contrahentibus superiorem rationem, qualis invenitur solum in speciebus atomis, quae aequalitatem habent in individuis» (*Logica,* II P. q. 14, a. 2, p. 507 a).

2 Inde enim dicuntur *aequivoca* per antonomasim, quia nonnisi *vocem* habent *aequalem.* «Dicuntur ergo *aequivoca,* ait S. ALBERTUS MAGNUS, quasi nomen quod secundum *vocem* est *ex aequo* quoad imponentem habentia... Quamvis enim aequivocum actuali multiplicitate multa dicat, tamen nihil omnium illorum aequa participatione participatur ab his quae in nomine significantur: propter quod *aequivoca dicuntur, quia aequaliter nomen habentia, esse nominis non aequa suscipiunt participatione*» (*De Praedicamentis,* lib. I, tract. 1, cap. 2, ed. cit., t. I, pp. 151-152).

per nomen; inaequalitas vero imperfecta et relativa est materialis, utpote *rei suppositae* per nomen ideoque materialiter significatae.

279. Si vero accipiantur analoga presse dicta, quae sunt analoga attributionis et proportionalitatis, haec ita recedunt ab aequalitate perfecta et totali univocorum in ipsa ratione communi significata per nomen, ut tamen simul retineant aequalitatem quandam mere relativam et proportionalem in eorum inaequalitate: quo fit ut simpliciter, idest sine addito et secundum essentiam suam, participant inaequalitatem; secundum quid tamen et relative participant aequalitatem: licet utramque modo suo pro diversis modis analogiae huius. Et ideo analoga presse dicta definiuntur: quorum nomen est aequale, ratio vero significata per nomen est inaequalis simpliciter et aequalis secundum quid, idest absolute inaequalis et proportionaliter aequalis; quia reapse recedit ab aequalitate absoluta et accedit ad aequalitatem relativam seu proportionalem quam induit essentialiter. Porro, essentialis recessus ab aequalitate absoluta univocorum, quae est aequalitas simpliciter, importat inaequalitatem simpliciter: haec tamen non est totalis sicut inaequalitas aequivocorum, quia simul induit et retinet aequalitatem quandam relativam et mere proportionalem, quae est aequalitas quaedam secundum quid et deminuta. Medium ergo analogiae, si comparetur ad extremum aequalitatis absolutae et totalis univocorum, importat inaequalitatem simpliciter; si vero comparetur ad extremum inaequalitatis totalis et absolutae aequivocorum, importat aequalitatem quandam relativam et secundum quid, quae est aequalitas proportionalis.

280. Sed placet, claritatis gratia, ob oculos ponere quae hucusque disputata sunt, ea contrahendo sequenti tabella:

UNIVOCA

A. *Perfecte dicta. idest species atomae.*

Nomen omnino aequale, id vero quod significatur per nomen est:

1. Totaliter aequale secundum rationem et secundum rem.

2. Omnino compar secundum rationem et secundum rem.

3. Penitus simul secundum rationem et secundum rem.

4. Prorsus ordinatum ordine absoluto, hoc est, aequali gradu secundum rationem et secundum rem.

B. *Imperfecte dicta, idest genera.*

Nomen omnino aequal
nomen:

1. Est totaliter aequal
est totaliter aequale secun
et minus.

2. Est omnino compar
omnino compar secundum
minus.

3. Est penitus simul s
nominis; at non est penitus
sed secundum prius et pos

4. Est prorsus ordinatu
gradus secundum rationem;
tum ordine tantum relativ
dum diversos gradus.

UNIVOCA

te dicta idest species e.	B. *Imperfecte dicta, idest genera.* B. *Imperfecte dicta, idest purae inaequalitatis.*	a) *Attributionis pura*
nnino aequale, id vero ficatur per nomen est:	Nomen omnino aequale, id vero quod significatur per nomen:	Nomen omnino aeq vero quod significatur men:
liter aequale secundum :t secundum rem.	1. Est totaliter aequale secundum rationem; at non est totaliter aequale secundum rem, sed secundum maius et minus.	1. Est totaliter vel potius identicum dum rem; at non est t aequale secundum ra sed secundum maius nus.
no compar secundum t secundum rem.	2. Est omnino compar secundum rationem; at non est omnino compar secundum rem, sed secundum magis et minus.	2. Est omnino com potius unum secundur at non secundum ra sed secundum magis nus.
is simul secundum ra- secundum rem.	3. Est penitus simul secundum rationem communem nominis; at non est penitus simul secundum rem propriam, sed secundum prius et posterius.	3. Est penitus sin tura secundum rem; cundum rationem non mul, sed secundum p posterius.
ordinatum ordine abso- l, aequali gradu secun- m et secundum rem.	4. Est prorsus ordinatum ordine absoluto aequalitatis gradus secundum rationem; at secundum rem est ordinatum ordine tantum relativo et proportionali, idest secundum diversos gradus.	4. Est prorsus ord ordine absoluto secund se; at secundum ration ordinatum ordine tant lativo, secundum d gradus prioris et post